


nihil esse difficilius quam hominem male institutum restituere

ALL THE DIDACTIC WORKS OF IAN AMOS COMENIUS (1592-1670). JOHANNIS AMOS COMENII OPERA DIDACTICA OMNIA (1638). 385 PAGINAE. CAMENA 12/2008 REINHARD GRUHL. DIDACTICA MAGNA UNIVERSALE OMNES OMNIA DOCENDI. DIDÁTICA MAGNA PARA ENSINAR TUDO A TODOS UNIVERSALMENTE POR DILO JANA AMOSE KOMENSKÉHO. PROF. DR. DARCY CARVALHO. FEA USP. SÃO PAULO. BRAZIL. ANNO 2018. STUDIES IN MEDIEVAL AND MODERN LATIN

Prohoemium

PROHOEMIUM

"Didactica magna universale omnes omnia docendi artificium exhibens: sive certus et exquisitus modus, per omnes alicujus christiani regni communitates, oppida et vicos, tales erigendi scholas, ut omnis utriusque sexus juventus, nemine usquam neglecto, literis informari, moribus expoliri, pietate imbui, eaque ratione intra pubertatis annos ad omnia quae praesentis et futurae vitae sunt, instrui possit, compendiose, jucunde, solide. Ubi omnium quae suadentur, fundamenta, ex ipsissima rerum natura eruuntur: veritas, artium mechanicarum parallelis exemplis demonstratur: series, per annos, menses, dies, horas, disponitur: via denique in effectum haec feliciter deducendi, facilis et certa ostenditur." Ioannes amos comenius , bohemice appellatus jan amos komensky; in moravia meridionali, cechia, natus est, die 28 martii 1592; mortuus amstelodami, die 15 novembris 1670. Fuit paedagogus et vir politicus moravus, magister et rector scholarum egregius. Multa et splendida opera paedagogica scripsit, quibusdam tituli sunt didactica magna (1638), orbis sensualium pictus (1658), novissima linguarum methodus (1648), mundi labyrinthus et mentis paradisus (1623), vestibulum latinae linguae, atrium linguae latinae (1649), pansophiae prodromus (1639), lexicon atriale latino-latinum, janua linguarum reserata: sive omnium scientiarum et linguarum seminarium, schola ludus, etc. Comenius quoque promovit artem docendi (paedagogiam) non solum in terris coronae bohemicae, sed etiam in tota europa et in caeteris orbis terris.

The text of Jan Amos Comenius, Opera Didactica Omnia, is published here just as a corpus terminorum for students of the living modern Latin of the seventeenth century. Its source is the OCR version of the original, scanned, partially edited and published by Reinhard Gruhl, to accompany the images of the original, page by page, inside the Camena Project of Early Modern Latin texts. The texts of Comenius are difficult to edit due to his practice of writing substantives referring to philosophical concepts in capital letters. The problem is aggravated by the fact that Comenius, writes with capital letters all the substantives and adjectives that refer to God, the Christ, the Holy Spirit and the Church. To circumvent these and many other difficulties, we

decided to use only minuscule letters throughout, inclusive for proper names. Only the first letter of each sentence is written with capital letters. All diacritics have been suppressed, the orthography was partially modernised and the letter j was maintained representing consonantical i, a practice of the Ramist orthography. Considering the long extension of the Camena text, these were sensible and necessary measures to make available a precious text exclusively for the sake of learning Latin. The mechanical procedure that we adopted to publish this text was made possible by the editing resources of the Microsoft Office 365. and. CAMENA Latin Texts of Early Modern Europe. Corpus Automatum Multiplex Electrorum Neolatinitatis Auctorum.Termini. Structured vocabulary of early modern knowledge. German Department of Heidelberg. University. Chair of German Literature (Modern Period). Prof. Dr. Wilhelm Kühlmann in Cooperation with the Information Technology Center and the Library of the University of Mannheim. Funded by Deutsche Forschungsgemeinschaft.

O texto de Jan Amos Comenius, Ópera Didática Omnia, é publicado aqui apenas como um corpus terminorum para estudantes do latim moderno vivo do século XVII. Sua fonte foi a versão OCR do original, escaneada, parcialmente editada e publicada por Reinhard Gruhl, para acompanhar as imagens do original, página por página, dentro do Projeto Camena de textos latinos do início dos tempos modernos. Os textos de Comenius são difíceis de editar devido à sua prática de escrever substantivos referentes a conceitos filosóficos em letras maiúsculas. O problema é agravado pelo fato de Comenius ser um cristão devoto, que escreve com letras maiúsculas todos os substantivos e adjetivos que se referem a Deus, a Cristo, ao Espírito Santo e à Igreja. Para contornar essas e muitas outras dificuldades, decidimos usar apenas letras minúsculas por toda parte, inclusive para nomes próprios. Apenas a primeira letra de cada frase é escrita em maiúscula. Todos os sinais diacríticos foram suprimidos, a ortografia foi parcialmente modernizada e a letra j foi mantida representando i consonantal, uma prática da ortografia Ramista, que facilita muito a leitura. Considerando a longa extensão do texto de Camena, estas foram medidas prudentes e necessárias para disponibilizar um texto precioso rápidamente e exclusivamente para aprender latim. O procedimento mecânico que adotamos para publicar este texto foi possível graças aos recursos do Microsoft Office 365 e da CAMENA Textos latinos do início da Europa moderna. Corpus Automatum Multiplex Electrorum Neolatinitatis Auctorum.Termini. Vocabulário Estruturado do Conhecimento Moderno Inicial. Departamento Alemão de Heidelberg. Cátedra Universitária de Literatura Alemã (Período Moderno). O Prof. Dr. Wilhelm Kühlmann em Cooperação com o Centro de Tecnologia da Informação e a Biblioteca da Universidade de Mannheim. Financiado pelo Deutsche Forschungsgemeinschaft.

https://www2.uni-mannheim.de/mateo/camenahtdocs/hilfe_e.html

Conspectum Operis



https://www2.uni-mannheim.de/mateo/camenaref/comenius/comenius1/p1/Comenius_opera_1.html#s208

J. A. COMENII OPERA DIDACTICA OMNIA. VARIIS HUCUSQUE OCCASIONIBUS SCRIPTA, DIVERSISQUE LOCIS EDITA: NUNC AUTEM NON TANTUM IN UNUM, UT SIMUL SINT, COLLECTA,

SED ET ULTIMO CONATU IN SYSTEMA UNUM MECHANICE CONSTRUCTUM, REDACTA. AMSTERDAMI, IMPENSIS D. LAURENTII DE GEER, EXCUDERUNT CHRISTOPHORUS CUNRADUS, ET GABRIEL À ROY. ANNO M. DC. LUII.

- Nb. S228 html-text
- Iii. S229 html-text
- V. S230 html-text
- Vi. S230 html-text
- Vii. S230 html-text
- Viii. S230 html-text
- Ix. S231 html-text
- Nb. S231 html-text
- Nb. S231 html-text
- Nb. S232 html-text

Consilium de vestibulo, ac porro etiam janua latinitatis eximie perficiundis: primo utriusque auctori. D. I. A. C. Per epistolam suggestum a g. V. D. S233 html-text

- Clarissime vir, domine et compater faventissime, s233 html-text
- Humanissimi lectores. Illud poetae excitat auditor studium, laudataque virtus crescit --- s238 html-text

Pansophiae praeludium. Quo sapientiae universalis necessitas, possibilitas, facilitasque (si ratione certa ineatur) breviter ac dilucide demonstratur. Omnibus sapientiae luminis, et veritatis amantibus, a christo sapientiae, luminis, et veritatis fonte, salutem et benedictionem. S238 html-text

- Ad lectores. S263 html-text
- Conatuum pansophicorum dilucidatio ingratiam censorum facta. S264 html-text

Conatuum pansophicorum dilucidatio in gratiam censorum facta. S264 html-text

- Johan. 3. 21. S264 html-text
- Eruditi censores, veritatis et lucis amantes, saluete per christum, veritatem et lucem nostram. S265 html-text

Septem partium templi pansophiae christianae tituli speciales. S276 html-text

- I. Templi sapientiae propylaeum s276 html-text
- Ii. Templi sapientiae porta per quam in omnium scibilium cognitionem veram aditus primus datur. Sive sapientiae apparatus generalis, s276 html-text
- Iii. Templi sapentiae atrium primum, s277 html-text
- Iv. Templi sapientiae atrium medium. S277 html-text
- V. Templi sapientiae atrium intimum. S277 html-text
- Vi. Templi sapientiae penetrale ultimum, sanctum sanctorum dictum. S277 html-text
- Vii. Templi sapientiae fons aquarum viventium. Hoc est, s277 html-text
- Psal. 43. Vers. 3. S277 html-text



Incipit Opus

12/2008 reinhard gruhl
text typed - structural and semantic tagging completed - spell check partially performed

Nb: greek words may not display properly on your browser (sgreek greek font installation required; see http://www.siluermnt.com/fonts.htm).

Image: s001

[gap: frontispiz]

Image: s002

[gap: blank space]

Image: s003

J. A. Comenii opera didactica omnia. Variis hucusque occasionibus scripta, diversisque locis edita: nunc autem non tantum in unum, ut simul sint, collecta, sed et ultimo conatu in systema unum mechanice constructum, redacta. Amsterdami, impensis d. Laurentii de geer, excuderunt christophorus cunradus, et gabriel à roy. Anno m. dc. luii.

Image: s004

Urbi eminentissimae amsterdamo, emporio orbis celeberrimo, ejusque sapientissimo senatui. Omnem prosperitatem!

Image: s005

Ocelle urbium amsterdamum, decus belgii, exultatio europae!

Quotidianos tibi non deesse video salutatores, hospitum vario ex orbe agmina, tum peregrinatorum, qui gloriae tuae exciti fama, longinquis e terris spectatum veniunt splendores tuos, tum mercatorum omne genus, suas tibi importantium, tuas exportantium, quotidianis classibus, opes. Bino huic tuorum compellatorum agmini tametsi ego me non annumerem (quippe non consilio, sed casu, huc ad te, ut olim tumultum in macedonia fugiens paulus athenas, delatus) quia tamen non sic latere potui ut ignorarer, nec erat cur in lucido orbe tuo latibula quaererem, non possum non publice me vestrum profiteri hospitem, vestramque mihi exhibitam celebrare humanitatem: tandemque et publice vos alloqui, causa non absimili, quam quae illi athenis data fuit publice perorandi, mihi praebita. Benigne me audite! Ut non frustra audiatis, efficiam cum deo.

Fui ego ab annis jam quadraginta quatuor aliquoties (peregrinationis meae via semel et iterum, et tertio, per te data) splendorum tuorum, o urbium flos, spectator: at nunquam iis quibus nunc oculis. Quippe tot illas raritates et singularitates tuas, nonnisi exultante juvenili oculo antea lustrans: nunc autem, senili aetate, paulo plus ultra superficiem in tua interiora

penetrans, num splendoribus tuis aliquid accedere posse sperari possit, ruminari coepi. Qua de re tum tacitus

---

Image: s006

Apud me cogito, vel apud unum et alterum (occasionem et stimulos illo praebente) amice disquiro, evenit quod athenis paulo, ut a privata cum privatis dissertatione, in areopagum protractus, publice loqui, scribere certe, juberer. Ad colloquium enim ab uno et altero, et tertio, procerum vestrorum evocatus, et de studiis meis interrogatus, tandem sacri senatus decreto, quicquid cogitationum in rem juventutis consignatum haberem, in publicum exponere jussus sum. Quam voluntatem vestram dum exsequor, et ea quae alibi cogitata, dicta, facta fuerunt, exhibeo: non peccaturum me sperabo, si magni illius gentium doctoris eminus relegens vestigia, quid ad vos quoque delatus egerim, quas de vobis quoque cogitationes habuerim, quid vestram quoque in rem valde salutare suaderi posse autumem, stylo veritatis, nude ac simpliciter, exponam: eventu horum divinae providentiae, sicut ibi a paulo factum, commisso.

Quid autem ille? Fassus est, se apud eos dies aliquot hospitantem, non servasse illam in vulgus prudentiae nomine commendatam regulam: aliena in domo caecum, surdum, mutum esse oportere.obambulasse se, et spectatorem egisse, fatetur. Quarum autem rerum? Non deerant sane urbi amoenissimae varia, quae vulgi convertere in se oculos, excitareque admirationem, solent: ille tamen nihil horum sibi, sed cultuum divinorum rationem, spectaculo fuisse narrat. Nec se fuisse surdum, quin sapientum illorum varias de rebus variis audisset sententias; neque mutum, quin et de interrogatis proferret suam, memorat. Nunc tandem tamen se apertius expositurum, quid illorum deesse existimaret felicitati: nempe veri dei, cui hactenus ignoto servirent, notitiam: quam si admitterent, habituros demum verum splendorem, communis illius sospitatoris favorem, et cum illo omnia. Hoc fuit habitae; illius in areopago orationis argumentum: quo prudenter ac fervide apostolatus sui ea in urbe jecerat fundamenta.

Image: s007

Quid igitur ego? Cui apostolatus suus (ex eo tempore quo me ab apostolatu evangelii suspenderat deus, per annos triginta) fuit missio ad gentes minutulas, juventutem christianam: ad aperiendum oculos eorum, ut convertantur tanto certius a tenebris ad lucem (act. 26. V. 18.) Cujus apostolatus mei edita alibi, diversas per gentes, specimina, en simul offeruntur tibi genti oculatissimae, et ad alias orbis gentes omnes aditus percallenti. Et quidem offeruntur ita, ut quia me superior illa omnia sapienter disponens vis, ultimo ad te deferri voluit, aliquid etiam hoc in genere quasi ultimum tibi offerri existimes. Quod quale sit, ultima operis hujus parte, quam quartam esse ordo voluit, videre erit.

Disposueram enim mea haec opuscula didactica, secundum temporum et occasionum articulos, tripartito.

In primum tomum ea transferens, quae didactico in studio ab anno 1627 ad 1642 acta erant, in polonia potissimum.

In secundum ea, quae ab an. 1642 ad 1650 elbingae borussorum.

In tertium ea, quae quadriennio post; in hungaria.

Addo tamen quarto loco ea, quae apud vos amsterdami, inter ista retractandum, sub manu nata sunt: colophon omnium hoc in genere studiorum meorum. Hic enim desino: morte jam obsignaturus, quicquid in juventutis salutem observasse dedit dominus, fideliter me exposuisse, et apud vos tandem deposuisse, omnia.

Quae omnia tibi do, dico, dedico, urbs eminentissima: primum in gratitudinis testimonium, quod me humaniter excepisti, per quos excepisti. Dehinc in memoriam, apud vos talium occasiones objecisse deum. Tandem, quia ultimus stimulus a proceribus tuis additus est, benignissima illa ad hic subsistendum invitatione: qua ego tantisper vester factus, si non civis nati, certe hospitis grati, lege me teneri sentio, ad nihil intermittendum quod ad augendum decus tuum, per meam quoque forsan tenuitatem, facere queat.

Image: s008

Estne vero quidquam, quod splendoribus tuis accedere possit? Potesne ferre, ut id quis vel cogitare praesumat? Quidni? Ad verificandum illud christi nostri, habenti dabitur! Habes enim tu multa rara, mira, pulchra: quidni ergo tibi aliquid rari, miri, pulchri, superaddatur? Ecquid autem illud erit? Sunt tibi quasi perpetuae, ut video, nundinae; negotiationesque in auro, et gemmis, et unionibus, et ebore, et bysso, et quicquid pretiosum cogitari potest (vix enim terrarum aliquid industria tua reliquit, quod non sibi redderet tributarium) jugiter continuatae: quid peccet, si quis tibi de ingenio ad ingenia potius (quam ebora, gemmas, uniones) polienda adhibendo, sermonem inferre velit? Non quod talis quoque negotiationis et politurae tibi desint studia. (habes enim praeter illustre, academias aemulans, gymnasium, duasque classibus bene instructas, discentiumque gregibus exultantes scholas, trivialium etiam scholarum per omnes plateas innumerum numerum:) sed ut exaequandi hic et illic ardorem et industriam, sive modus ostendatur facilior, sive res verbis jungendi occasio detur nova.

Habes inquam in te artes varias, artificesque varios: quid prohibet de artium arte, homines accuratissime formandi, apud te fieri verba? Habes officinas typographicas, ubi libri imprimuntur, quasi innumeras: quid prohibet vel unum erigi typographeum vivum? Ubi consimili celeritate, copia, elegantia, non chartis imprimatur sapientia, sed ingeniis.
Habes navigationes ex orbe nostro, in quosuis ignotos, frequentes: quid prohibet quomodo ab ignorantiae orbe, ad variae scientiae insulas, felicius navigare queant omnes tui, disquiri?
Habes infinitarum ad varia negotia occasionum concursum (unde te bonarum occasionum emporium appellare soleo) quid prohibet novas etiam novi cujusdam, salubris admodum et gloriosi negotii, offerri occasiones? Germinat

---

Image: s009

Equidem feliciter juventus tua, o amsterdamum, quasi salices juxta praeterfluentes aquas: (jesa. 44. V. 4.) Illud tamen quia de spiritu sancto, et spiritualibus incrementis, intelligit

scriptura, quomodo non corporis tantum, aut externarum artium, sed et sapientiae donis, augmenta capiant, tot illae tam feliciter germinantes saliculae tuae, cogitandum est. De his ergo cogitationes meas tum tribus prioribus tomis, ut olim nascebantur, expressas, tum ultimo per meae apud vos hospitationis dies melius illustratas, cur aliis potius quam tibi offeram?

Dixerat enim unus vestrum, patres conscripti, inter me recipiendum, optare se ut labores nostri juventutis vestrae bono, alter ut vrbis honori, cederent. Utriusque ego memor utrumque, si possum, praesto. Urbis consulo honori, dum omnia alibi varie desiderata, quaeritata, acceptata, fasce uno offero: et praeterea plus quiddam, indictum et inauditum alibi. Juventuti autem vestrae, dum profectuum occasionem non unam et simplicem, sed tripatentem, ostendo: determinatione ultima, quid horum potissimum amplecti e re sit, prudentiae vestrae: relicta.

Feci itaque quod ut fieret voluistis, gratiosi domini mei. Scribere me jussistis: scripsi. Edere mandastis: edo. Vestrorum hic artificum typis publicata ista ecce jam prodeunt! Quod ergo vestra prodit auctoritate, vestrae etiam auctoritatis protegendum se commendat scuto. Non quasi mihi, sed causae quae hic agitur (quae christi est, et sacratae christo juventutis) patrocinium quaeram: si forte adhuc infelicitas illa seculi obtineat, ut meliora non praevaleant consuetis. In eo enim peccat mundus, quod subministratas divinitus meliorum occasiones non attendendo, deteriora sua mordicus retinet. Quo ubi ventum, frustra fuerit vel deum ipsum de coelo loqui: mittuntur in ventos omnia, rerumque humanarum babylon manet babylon. Hinc illa christi

---

Image: s010

Vox: cantavimus vobis, et non saltastis; lamentati sumus vobis, et non planxistis (matth. Xi. V. 17.)

Non sine causa igitur ego, sub operis hujus finem, omnes qui cum potestate rebus praesunt supplex requiro, et obtestor, ut haec examinari faciant. Ante alios autem vos domini mei religiosissime oro, libeat viros pios et sapientes, quibus nihil praeter deum et commune bonum cordi sit, nullisque praejudiciis aut affectu occupati sint, nominare, qui haec ipsa quae vobis offeruntur attente legant, expendant, dijudicent (aut etiam, si videtur, de his mecum conferant) demumque qualia haec deprehensa fuerint ad vos referant. Quod si illis omnia haec recognoscere non vacaverit, at ultima saltem illa, ad vos nominatim directa, latium redivivum, typographeum vivum, scholamque paradisi, lustrare ne grave sit. Ut si quid inest boni, fructus ejus ad vos redeat primum: sin, ut secure contemni posse sciatis. Tantilli huc impensi laboris neminem poenitere poterit: posset amissae occasionis poenitere. Mihi, quo res cunque ciciderit modo, satis erit solatii prodesse voluisse.

Vale amsterdamum! Et gaude te tot affluere, bonis, externis et internis! Etiam quod cives habeas, qui bona sua publico orbis bono dividere sciant. Et quod a te prodeant, quae publico orbis bono (gratiae dei humana cooperante industria) servire possunt. Signabam 12 calendas januarii, anni 1658: quem tibi, patriae, orbi terrarum, felicem opto.

Hospes apud te

Tuus

Image: s011

Lectoribus piis, et prudentibus, s.

Quandoquidem singulari dei providentia (cujus ductu in rebus humanis, maximis et minimis, omnia fiunt) eo ventum est, ut tot annorum meditata et scripta, didactica mea, hic publicentur, ubi nihil meorum praeter januam linguarum ante plus viginti annos scriptam, et forte pansophiae prodromum, me inconscio ab amicis in anglia et belgio editum, innotuit: et vero nonnullos praeteritis annis latinam linguam viis a communi scholarum methodo recedentibus docere his in locis tentavisse, eoque ut quidquid novitatem prae se fert contemni meruerit obtinuisse, audio: necessitatem mihi sentio imponi paucis super hac re informandi eos, qui forte haec nostra lecturi sunt.

2. Ante omnia vero protestor coram deo vivo, cordium scrutatore, me ad opus hoc didacticum inchoandum, et continuandum, jamque etiam finiendum, nnlla ambitione ductum venisse: quasi mihi per haec paraturus nomen, extenuaturus vero aliorum bonorum virorum de juventutis studiis bene meritorum, et in dies merentium, labores et industriam. Absit absit, absit a me vanitas illa! Absit iniquitas! Nec etiam rem hanc, didactica studia, quaestui habui hunc usque in diem, lucra inde captans: deus est portio mea, qui me ut a prima aetate, ita per hos triginta exilii annos, mirabiliter sustentavit, neque me dum hic esse voluerit, deseret, illius confido bonitati. Sed quod, a patriae ruinis occasione data, ad juventuti meliora optandum zelo dei accensus, a multis vero sapientibus viris ad haec talia continuandum varie stimulatus, ductui divino resistere non potui, nec debui. Metu scilicet dei: ut ne forte scintillarum melioris lucis talentulo in silentii scrobe defosso, triste illud, serve nequam cur minam meam men sae non exposuisti? Audire haberem.

3. Etiam cum de studiis latinae linguae (quae pro sapiente, et eruditionis vehiculo habetur, eoque omnium in orbe christiano scholarum praecipua occupatio est) tot querelae fierent (non vulgi tantum, sed sapientissimorum virorum, quas recitabo suis locis) extendere huc etiam meas illas pra juventutis bono curas volui, si quo modo labyrinthis illis (seu ex toto seu ex parte) liberari possent. Nempe ut non tantis molestiis et sudoribus studum linguae hujus constet: ingeniaque citius in res ipsas (in quarum cognitione sapientia proprie sita est) admitti, et per id melius vitae muniis praeparari, valeant. Quod si cogitare, aut etiam sperare, et dehinc (caritate suadente) conari ausus sum, quid peccavi? Aut si aliquid hanc in rem invenisse dedit deus; inventumque aliquid omnino esse multi boni et docti viri persuasi sunt, quae hic mea culpa?

4. Equidem inventiones meas obtrudere aliis, nunquam adhuc animum incessit libido. Potius non ita esse inventis illis meis applaudendum, sed perfectius quiddam hoc in genere junctis consiliis quaerendum, aliquoties in publico monui: quod hic suis locis legere erit. Ita enim me finxit natura, ut in omnibus actionibus meis plus metuam quam sperem: eoque novatorem agere, etiam

Image: s012

Ubi haud parum meliora sese ostentant, trepidem. Nimis esse mobilem, levis esse animi; eosque qui ad quamvis quasi novae lucis scintillam sese proripiunt, saepe fatuos ignes sequi, statuo. Quam timiditatem meam non omnibus placuisse scio: quorundam etiam me, mea verecundius quam illi suadebant venundantem, perstringentium scomma, comenium habere posse, non habere audere, novi. Frustra igitur de me quis, ac si ullius erroris magister, aut adversus recepta seditionis dux, esse velim, metuat.

5. Nec tamen rursus me illorum gregi associatum velit deus, qui consuetis et receptis sic inhaerent, ut sive deus aliud suadeat, sive ratio, sive ipse communis sensus, nihil moveantur, suis pertinaciter intenti. Quod quia indicium fuerit hominis aut nimium sui amantis; aut stolidi, rationes rerum, et quid magis expediat, non expendentis, aut denique in ipsam dei bonitatem ingrati, pios et prudentes omnes cavere convent.

6. Ego ab utroque isto ad extrema tendentium hominum genere alienior, cum neutris mihi negotium esse opto: sed cum moderatis illis, qui res humanas ita tolerant, ut meliora anhelare, circumspectare, sique consueta dei (confusionibus nostris subinde intervenientis) bonitate offerantur cedere, bonorumque auctori deo gratias agere, parati sunt. Atque tales mihi in hoc opere meo lectores, censores, arbitros, judices, deposco, alios deprecor. Deprecor inquam, aeque intempestivos laudatores et applausores, tanquam de re jam ad plenum triumphum deducta; ut et amarulentos istos vituperatores, qui tanquam nihil actum sit, aut aliquid cum injuria actum, ita effervescunt, publicaque bene merendi studia, et hinc ipsa etiam benefacta, maledictis proscindunt.

7. Et nequis haec dicis causa dici suspicetur, aperte profiteor, plus didactico studio intempestivos approbatores, quam ullos improbatores et cavillatores, nocuisse. Hi enim docuerunt aliquid, aut certe ad melius omnibus attendendum excitarrunt: illi contra, paeana ante tempus canere suadentes, attentionem sopararunt. Quare si didactica inventa adhucdum castigari et perfici opus habent (quis autem neget?) Plus a momis et zoilis exspectandum esse agnosco, quam ab illis qui nihil nisi annuere, et in praeeuntis sententiam manibus pedibusque ire, norunt.

8. Interim quia nemini bono et prudenti momo aut zoilo audire, multo, minus in numerum stultorum, et confusione dignorum (qui prius respondent quam audiverunt, proverb. 18. V. 13. Hoc est, de incompertis pronuntiant) conjicere sese, allubescit: valde oro ut si cui de opere hoc pronuntiare libet, libeat prius judicare: atque si judicare, legere prius; atque si legere, seponere prius praejudicia. Hoc enim nisi fecerit, fucum certo faciet, non rebus, sed sibi: seipsum falso judicio non minus dementans, atque solet qui cum per liberum aspectum posset, per vitrum coloratum res intueri mavult.

9. Humanitatis quidem esse errantibus comiter monstrare viam, aut etiam ne errent praemonere, scio: ego tamen praejudiciorum obices, quos sibi ponunt nonnulli praedivinare, ut eos tollam, quomodo possum? Melius fuerit consilium, ut sepositis potius omnibus praejudicii perspiciliis, pura mente huc veniat, quisquis venire proponit: doceri et docere paratus, prout ipsam veritatem fulgoris sui radios evibrare senserit.

10. Audio tamen quaedam in me, et mea haec, torqueri tela: quae si recte praevisa sunt scutum oppono. Dicunt, primum, mea haec nimis a

---

Image: s013

Communi via recedere. Respond. Nihil generi nostro communius, quam hallucinari, errare, labi, per omnes vitae partes, et quicquid usquam geritur. Quod si ergo quis emendandum aliquid ostendit, a communi via recedat necesse est. Nec ergo de eo illi quaestio movenda, an recedat? Sed an recte?

11. Dicunt (ut auditione accepi) impossibilia promitti, linguae: totius, una cum rerum universitate, spatio unius triennii cognitionem. Resp. In gratiam aliorum fuisse terminum illum assumtum, confiteor (ventilabro sap. § 63.) Et retracto. Non tamen impossibile esse, difficile licet, demonstro. Quod si difficultas etiam illa quomodo tolli possit, videre placet, veni et vide: atque tum judicare liberum erit, non ante.

12. Dicunt: ab homine extraneo, et advena, talia moveri intolerandum. Respond. Cosmopolitae sumus omnes, ejusdem mundi cives: addo et ecclesiae. Res turbare, aut loco movere, peregrino utique non licet: monere, si quid ex usu fuerit visum, inter officia habendum: quod variis sapientum dictis, infinitisque exemplis, probari posset. Jethro certe madianita, apud israelitas in deserto hospes, utile aliquid mosi, tametsi ipsius dei alloquiis per fruenti, suggerere; et puella captiva consilio suo namenem dominum suum lepra liberare; et abdemelech aethiops prophetae jeremiae amicus esse, regi vero sedekiae bonum dare consilium, potuit etc.

13. Sed nimia scriptorum mole hic lectores oneras: cur non solum illud optimum, ultimo repertum, das? Resp. Annorum triginta consultata, et actitata, hic recito, nuci meam includere iliada non potui. Et annon qui remotas in terras peregriationes, aut ad ignotos orbes vel insulas navigationes instituunt, diaria condere, et cur, quando, quomodo, iter susceperint, qua perrexerint aut deflexerint, et quos in conspectum nacti montes, flumina, insulas, urbes, scopulos etiam aut syrtes, et avia in quae forte delati, et quomodo in viam redire potuerint, similiaque, consignare solent? Consignationesque tales annon cum voluptate recognosci ab iis, qui eodem forte tendentes, tum informari de cursu recto, tum praemoneri de aviis et periculis gaudent, solent? Cur imitari pigeat hic, ubi ad scientiarum insulas breviores et tutiores quaeruntur viae? Et ubi vel errores ipsi, candide recitati, istac ituris bonae informationi servire possunt.

14. Deinde, quia natura lex est, ut ad perfecta non veniatur nisi per imperfecta, gradatim ad hoc vel illud cogitandum, optandum, quaerendum, inveniendumque, occasionibus sese offerentibus, mentemque altius semper elevantibus: sique nos nisi per talem scalam, ab imperfectis paulatim ad perfectiora nos promovendo, meliora illa (et ut confidimus optimis proxima) iventione attingere non potuimus: forsan neque judicii de his perfectionem attinget quisquam, nisi similiter gradatim elevatus

15. Tertio, tametsi dicere, aboleo priora omnia, tanquam imperfecta, postrema sola pro meis agnosco, facillimum esset: quia tamen nec deus operibus suis tale ostendit exemplum (quippe qui nihil operum suorum abolet, perficit tantum priora posterioribus): nec natura ipsa procedit aliter, quam ut quae prima radice posuit ea extendat, roboret, vegetet, cur imitari nolimus? Maneant itaque nobis etiam nostrae tot annorum, per gradus sese elevantes, cogitationes, explicandae quanta quidem brevitate potest, ordine tamen: ut quae antecedentia consequentibus, mala bonis, bona melioribus, meliora

---

Image: s014

Denique optimis, quaerendis et inveniendis ansam dabant. Quantaeque molis fuerit melioris lucis condere methodum, pateat.

16. Tandem, quia saepe humanae imperfectionis vitio evenit, ut cogitationes posteriores non sint prioribus sapientiores, tametsi videantur: si forte idem in argumento praesenti contigit nobis (nihil non humani accidere potest homim) nolui priora nostra, antehac luci data, et quasi publica jam facta, privato meo unius abolere arbitrio, sed recensere ordine: sicubi autem scopum tunc non attigisse videbor, inter retractandum haec (tomo ultimo) obelisco notare decrevi. Ita nihil utilium cogitationum perire, nihil aberrationum non emendari, et ex omnibus tandem bonis (separato prudenter si quid se admiscuit non boni) unum optimum confieri, poterit: machina systematice constructa, ad cujusuis hominis mentem intra lucidae methodi cancellos quocunque blande ducendum, ac deducendum, accommodata.

17. Prolixiora ergo nostra scripta, ea plene recognoscere avidis destinata sunto. Aliis haec si non vacat legere, et tamen quo molimina haec tendant desiderium est pervidere, poterit vel postremus caeteris brevior tomus, amsterdamensia continens, percurri. Patebit de eo consultari, quomodo pusillae humanae: genti, juventuti, meliuscule esse queat, ad meliora eos, viisque melioribus, promovendo.

18. Illis qui nos nimis diu nostra haec parturiisse querebantur hactenus, estne responderi opus? Et quid? Non placet nisi unum hoc: frustra se prolis desiderio parturire cogat faemina gravida, antequam intra se maturatus foetus ipse ultro lucem appetat, tenebrarumque claustra perrumpat. Et quod quemadmodum alia hujus aevi omnia, sic ego homuncio, tempori sum inclusus, in quo cuncta successive fiunt, et se ad destinatum suum finem nonnisi certis intervallis et gradibus suis disponunt, promovent, elevant.

19. Sat cito si sat bene, dixit sapiens illo cato. Hoc ergo tandem unum sapientes lectores meos volo rogatos, ut qualem his tam lentis deliberationibus exitum dederit deus, attendant. V.

Image: s015

J. A. Comenii didacticorum operum pars prima. Ea continens, quae de sanctiore iuventutis educatione, melioreque scholarum statu, ab anno 1627 usque ad 1642 scripta fuere: cum breviter memoratis occasionibus quibus eo fuit ventum, subsequutisque eruditorum censuris. Quorum syllabum sequens ostendet pagina.

[gap: illustration]

Image: s016

[gap: content list]

Page 3, image: s017

Lectores christiani saluete per christum!

Quod de rerum omnium vicissitudinibus sapiens observavit salomon, omnia tempus habere, suisque spatiis transire universa sub coelo: tempus esse nascendi et tempus moriendi, tempus plantandi et tempus evellendi, tempus destruendi et tempus oedificandi, tempus tacendi et tempus loquendi etc deum tamen esse qui cuncta pulchre disponit, unum quodque tempore suo (eccles. 3. 1, 11:) hoc idem cuique nostrum de se etiam ipso, et maxime, observandum relinquitur, si sapimus. Nempe ut sua cuique omnia, vitam et mortem, otia et negotia, silentiaque et sermones, transire (deo occulta providentiae suae vi disponente omnia) attendamus.

Mihi quae in vita mea, quadam saltem ex parte, acta sunt, recordandi ecce offertur occasio! Fuit et mihi nascendi tempus, ante hos 65 annos: adventat moriendi tempus, nescio an intra 65 dies, vel horas, aut momenta, fuit tempus cogitandi de plantando et aedificando, meum et aliorum in usum: et fuit tempus spectandi ruinas, meas et alienas. Fuit tempus tacendi in publico: venit et tempus loquendi in publico. Nempe de iis quae potissimum intra hos proxime elapsos triginta annos mihi meditata, scripta, tentata et acta sunt: in gratiam eorum qui amice id requirunt, propter spem non sine fructu abiturum, quicquid hujus erit.

Initium didactici studii mei pono in annum 1627, tametsi altius ordiripossem. Nam statim ut wolphgangi ratichii de studiorum rectificanda methodo consilium, ab academiis jenensi et gissena scripto publico laudatum, anno 1612, prodierat, fama haec meas quoque ad aures studiis tunc. Herbornae nassoviorum operam dantis pervenit, eo fructu, ut ego in moraviam (anno 1614) reversus, scholaeque praeroviensi praefectus, molliorem puerilium studiorum viam tentare fuerim aggressus, conscriptis facilioris grammaticae praeceptis, quaepostea (1616) pragae typis exscripta erant. Anno autem 1618 ad ecclesiae fulnecensis pastoratum, scholaeque ibidem recens erectae curaturam vocatus, alia insuper eodem spectantia consiliis agitare, et in chartas referre coepi: sed quae triennio post urbecula nostra ab hispanis occupata, et bibliotheca mea tota direpta perierunt. Anno demum 1627 ad eadem studia redeundi rediit occasio talis. Eramus evangelici pastores, caesareo edicto tota jam bohemia et moravia proscripti, aliquo numero in bohemiae montibus, prope albis fontes, apud baronem georgium sadowskide slaupna latitantes: quorum uni (johanni stadio) filios ille suostres (wenceslaum ferdinandum, johannem georgium, et petrum) instituendos commiserat: quia me canones aliquot melioris methodi suum in usum conscribi petiit: et obtinuit. Cumque per dies caniculares in vicinam arcem wilcitz, ad spectandam celebrem nobilissimi d. Silueri bibliothecam exspatiati essemus, factum insperato ut in eliae bodini recens e germania allatam incideremus didacticam. Cujus lectio stimulos nobis addidit nostra in lingua simile scriptum adornandi, suoque tempore evulgandi. Quod et caeteri fratres, hujus consilii eonscii, vehementer approbare, desiderioque desiderare, coeperunt. Nempe quia per eosdem dies novum caesaris edictum contra evangelicos proceres de emigrando, quisquis religionem mutare nollet, promulgatum fuit: illique emigrare parabant. Tanta igitur in patria ecclesiarum et scholarum ruina, quam prae oculis habuimus, conceptusque inde dolor, et spes (cur id dissimulem?) De reditura tandem aliquando ad nos misericordia dei, solicite nos de reparandis ruinis cogitationes suscipere coegit. Nec autem aliud consilii mentem subibat, quam ut, si quando misericordiae oculo respicere nos dignaretur deus, juventuti ante omnia succursum iretur, per erectas quam ocyssime scholas, easque libellis bonis, et methodo lucida instructas, ad rectificandum quam optime posset literarum, virtutum, pietatisque studia. Agressi ergo fervide negotium (quanquam alii cotis vice fungebat) fecimus tum, intra patriae

adhuc latitantes viscera, quod potuimus. Sed cum sequenti 1628 anno (eadem persequutionis procella magis magisque saeviente)

Page 4, image: s018

Omnes nos solum vertere, ac dispergi, cogeremur: mihique lesnam polonorum delato, et exilii tolerandi gratia ad scholasticam functionem detruso, nec perfunctorie in ea versari cupienti, coeptum didactices studium urgendi novum adderetur calcar; prodrentque plures per id tempus in germania didactici, promicaret denique in patriam redeundi novae: cujusdam (quanquam, eheu, evanidae) spei jubar: factum est ut ego didactica mea primis a fundamentis retexere, omniaque prioribus omnibus, nostris et alienis, ampliora et firmiora constituere, tentarim: donec et praesidentia quadam molimen hoc toto genere novum didacticam magnam, sive omnes omnia docendi artisicium, appellare subiret animus. Quam tamen, quia de reditu spes decollaverat silentio lubens pressi: alios tantummodo libellos, ad hujus ductum conscriptos (ianuam linguarum, vestibulum etc.) In publicum ire, amicis urgentibus, passus. Demum anno 1638, cum e suecia venirent (gubernatorum tunc regni jussu scriptae) literae, conclusum esse de me ad scholarum reformationem vocando consilium, si vocationem acceptare vellem. Rescripsi, multa causatus, cur tantae molis onus suscipere, negotioque tam invidiae obnoxio humeros submittere, mihi non esset integrum: suadens aliquem e gente sua provinciae huic idoneum eligi, me consiliis, si quid possem, non defuturum. Coepi ergo hac ipsa. Occasione scriptum hoc vernaculum nostrae tantum genti destinatum, transferre in latinum. Cujus quia anglicans amici contenta requirebant, communicataque fuerunt capitum lemmata: illi vero haec desiderii quadam impotentia typis exscribi curarunt: ecce nihil in his muto, tametsi possem, et vellem, meliora nonnulla videns. Qualiter ista tum juvenili calido meliorum desiderio, effusa suerant, ita exstent: temperaturam, refrigerato primae inventionis ardore, senilis maturescens prudentia invenire, in fine horum docebit. Haec sic praefatus, rem aggredior ipsam.

Favete! Et quod genti meae votis destinatum prodesse non potuit, num vobis, quibuscunque, prodesse queat videte!

Page 5, image: s019

Didactica magna universale omnes omnia docendi artificium exhibens: sive certus et exquisitus modus, per omnes alicujus christiani regni communitates, oppida et vicos, tales erigendi scholas, ut omnis utriusque sexus juventus, nemine usquam neglecto, literis informari, moribus expoliri, pietate imbui, eaque ratione intra pubertatis annos ad omnia quae praesentis et futurae vitae sunt, instrui possit, compendiose, jucunde, solide. Ubi omnium quae suadentur, fundamenta, ex ipsissima rerum natura eruuntur: veritas, artium mechanicarum parallelis exemplis demonstratur: series, per annos, menses, dies, horas, disponitur: via denique in effectum haec feliciter deducendi, facilis et certa ostenditur.

Page 4, image: s020

Didacticae nostrae prora et puppis esto:

Investigare et invenire modum, quo docentes minus doceant, discentes vero plus discant: scholae minus habeant strepitus, nauseae, vani laboris, plus autem otii, deliciarum, solidique profectus: respublica christiana minus tenebrarum, confusionis, dissidiorum; plus lucis, ordinis, pacis et tranquillitatis.

Psal. 67. 1, 2.

Deus misereatur nostri! Et benedicat nobis! Illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri! Ut cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum.

Page 7, image: s021

Lectoribus s.

Didactica, docendi artificium sonat. Quod nuper eximii quidam viri, sysiphica scholarum saxa miserati, vestigare aggressi sunt; ut dispari ausu, ita profectu dispari.

2. Quidam linguam solum, hanc aut illam, facilius tradendi compendia venati sunt. Alii scientiam vel artem, hanc vel illam, celerius instillandi breviores tentarunt vias. Alii aliud. Omnes fere per externas quasdam e faciliore praxi collectas observationes; id est a posteriori, ut loquuntur.

3. Nos didacticam magnam polliceri audemus: id est universale omnes omnia docendi artificium. Et quidem docendi certo; ne possit non sequi effectus. Et docendi prompte; nulla scilicet docentium aut discentium molestia, vel taedio, summa potius utrinque jucumditate. Et docendi solide: non supersicietenus, et dicis ergo, sed promovendo ad literaturam veram, mores suaves, pietatem intimam. Denique, monstramus omnia haec a priori, h. e. ex ipsissima immota rerum natura, velut e vivo fonte perennes producendo mvulos: quos iterum in unum colligentes flumen, universale quoddam universales erigendi scholas constituimus artificium.

4. Magna utique sunt quae promittuntur, et vehementer exoptanda: sed quae alicui somnia verius, quam rei certoe narrationem iri visum, facile praevideo. Cohite tamen judicium, quisquis es, donec quid rerum subsit, cognoveris: atque tum liberum erit, non judicare solum, sed et pronuntiare. Non enim opto, nedum ut cupiam, persuasionibus nostris quenquam abripi, ut minus exploratae rei assensum praebeat: sed ut quicunque spectator huc seinfert, afferat proprio, eosque exacutos (qui nullo opinionum fascino praestringi se patiantur) sensus, obnixe moneo, hortor, obtestor.

5. Res profecto plane seria est, atque ut omnium votis expetenda, ita omnium consiliis ponderanda, omnium junctis operis urgenda: ut quae communem humani generis salutem

respicit. Quod munus reipublicae afferre majus meliusue possumus, quam si docemus atque erudimus juventutem? His praeser tim moribus atque temporibus, quibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refrenanda atque coercenda sit: inquit cicero philippus autem melanchthon scripsit, juventutem recte formare paulo plus esse quam expugnare trojam. Quo gregoris nazianzeni illud spectat:[gap: greek word(s)]h. e. ars artium, hominem formare, versatilissimum et perplexissimum omnium animalium.

6. Artemigitur artium tradere, operosae molis res est, exquisitoque eget judicio, nec unius hominis, sed multorum, cum unus nemo tam sitoculatus, cujus aciem non subterfugiant plurima.

7. Iccirco merito a lectoribus meis requiro, imo per humani generis salutem omnes, quibus haec videre dabitur, obtestor; primum, ne temeritati tribuant, quod sit qui talia et tanta non solum tentare, sed et polliceri, animum inducat; cum id salutari admodum scopo siat. Secundo, ne desperent illico, sinon primus statim conatus suceesserit, resque concepta votis non ad pleam a nobis deducatur perfectionem. Necesse enim est primo rerum semina nasci: tum gradibus suis assurgere. Utut ergo nostra haec impertfecta sint, et propositum scopum nondum attingant, gradum tamen esse altiorem, et scopo quam hactenus visum est propiorem, res ipsa docebit. Tandem lectores oro, ut talem afferant attentionem, industriam, judiciique non solum libertatem, sed et sagacitatem, qualem adres maximas convenit. Meum erit, cum coepti occasionem paucis innuere, tum inventi novi capita simplicissime recitare: exinde vero plena fiducia, illud candori, hoc ulteriori disquisitioni, omnium dextre judicantum, committere.

8. Ars haec, docendi et discendi, eo perfectionis gradu, ad quem nunc assurgere velle videtur, bonam partem ignota fuit anteactis seculis: ideoque laborum et molestiarum, haesitationum et hallucinationum, errorum et mendorum, plena fuitres literaria, plenae scholae; ut nonnisi quibus diviniora contingebant ingenia, ad solidiorem eruditionem eluctari possent.

9. Sed capit nuper deus exorienti cuidam novo seculo velut auroram praemittere, excitatis per germaniam aliquot viris bonis, qui perplexitatum methodi scholis usitatae pertaesi, de faciliore aliqua et compendiosiore linguas et artes docendi via cogitationes susceperunt; alii nempe post alios, ideoque alii prae aliis successu majore; ut ex editis in lucem didacticis eorum libellis, et spieciminibus, patet.

Page 8, image: s022

Rattichios intelligo, lubinos, heluicos, ritteros, bodinos, glaumios, vogelios, wolfstirnios, et quem inprimis nominasse conveniebat, johannem valentinum andrea (qui ut ecclesiarum et politiarum, ita scholarum, morbos passim in aureis suis scriptis egregie detexit, remediaque sparsim monstravit:) aut si qui praeterea nobis nondum visi. Sed et gallia voluere saxum hoc caepit,jano caecilio frey, scitulam didacticam (sub titulo, ad divas scientias artesque, et linguas, sermonesque extemporaneos, nova et expeditissima via) parisiis publicante, anno 1629.

11. Hos ego cum data undecunque occasione evoluere caepissem, incredibile dictu quantam conceperim voluptatem, dolores meos de patriae ruina, totiusque germaniae afflictissimo

statu, multa ex parte lenientem. Caepi enim sperare, non frustra haec altissimi numinis providentiam conjungere, ut et ruinae: scholarum veterum, et novarum delineationes ad ideas novas, in idem tempus inciderent. Nimirum, cui novum aedificium erigere stat sententia, complanare prius solet aream, etiam prioris minus commodi, aut ruinosi, aedificii am litione.

12. Haec inquam cogitatio spem bonam in me excitabat, jucunda voluptate temperatam: sed quam paulatim post dilui sensi, non satis e fundamento rem tantam explicari autumans.

13. Plenius itaque super quibusdam informari, de nonnullis etiam monere, cupiens, ad unum, et alterum, et tertium istorum literas dedi, sed frustra. Partim quod sua sibi inventa nimis arcte custodiat nonnemo: partim quod literae iis ad quos erant datae non repertis, ad me sine responso redierint.

14. Unus illorum (clarissimus i. V. A.) Lampada se tradere nobis amanter rescripsit, et ad audiendum etiam aliquid animavit. Quo animus meus veluti stimulatus frequentius haec apud se agitare caepit, donec et impotens publici profectus desiderium a fundamentorem hanc tentare coegit.

15. Statutis igitur extra orbitam alienis inventis, cogitatis, observatis, monitis, rem ipsam abintegro speculari ag gressus sum; et in causas, rationes, modos, metasque discentiae (quam ex tertulliano vocare sic licet) inquirere.

16. Unde mihi tractatus hic, rem plenius quam hactenus (uti spero) enucleatam exhibens, enatus est: conceptus primum vernacule, in gentis meae usum, jam autem suadentibus viris bonis latinitate donatus, ut publice prosit, si poterit.

17. Jubet quippe caritas, quod deus in salutem generis humani monstravit (ita d. D. Lubinus de sua didactica loquitur) generi mortalium non invidere, sed toti exponere mundo. Illa enim omnium bonorum natura est (pergit idem) ut cum omnibus communicentur: quippe quae quo magis, et quo pluribus, communicantur, hoc plus et magis omnibus sufficiunt.

18. Humanitatis etiam lex est, ut si quis laborantibus proximi rebus auxilii aliquid novit, ferre non intermittat: praesertim ubi non unius hominis, sed multorum, nec hominum, sed vrbium provinciarum, regnorum, atque adeo totius generis humani, res agitur, quemadmodum in hoc proposito.

19. Si quis nihilominus reperiatur tam morosus, qui a theologi vocatione alienum esse putet scholastica tractare: sciat is ad sanguinem usque scrupulum hunc intra pectus mihi versatum: sed a quo non alia. Ratione me liberari posse sensi, quam obsequendo deo, et in medium consulendo quid quid divinus suggessit instinctus.

20. Patimini quaeso confidentius me vobiscum loqui, christiana pectora! Norunt, qui me propius norunt, hominem esse me tenuis ingenii, et propemodum nullius literaturae: deflentem tamen aetatis damna, et perquam cupidum ad hiatus nostros, si ulla ratione detur, explendos, sive meis sive alienis (quae ubique non nisi a propitio deo venire possunt) inventis.

21. Si quid ergo hic etiam dextre inventum est, non meum sit, sed ejus, qui ab ore infantium parare sibi consuevit laudem: et qui, ut se fidelem, veracem, benignum, reipsa demonstret, petentibus dat, pulsantibus aperit, quaerentibus offert (luc. 11.) Quo et nos collata in nos dona nonillubentes conferamus in alios. Christus meus novit, tam simplex mihi

esse pectus, ut docere et doceri, monere et moneri, doctorem doctorum (si qua parte liceat) et discipulum discipulorum (sicubi profectum sperem) agere, nullo mihi discrimine habeatur.

22. Ergo quod mihi observasse dedit dominus, en depono in medium commune sit.

23. Si quis invenerit meliora, faciat idem: ne, si minam suam reponat in sudario, et abscondat, sceleris arguatur a domino, qui negotiari vult servos suos, ut mina cujusque mensae exposita lucretur alias. (luc. 19.)

Quaerere magna licet, licuit, semperque licebit:

Nec labor in domino coeptus inanis erit.

Page 9, image: s023

Omnibus rerum humanarum praesidibus, politiarum moderatoribus, ecclesiarum pastoribus, scholarum rectoribus, liberorum parentibus et tutoribus, gratia sit et pax a deo et patre domini nostri jesu christi, in spiritu sancto.

[note: duo excellentissimae creationis opera, paradisus, et homo.] Creatum primitus e puluere terrae hominem collocavit deus in paradiso voluptatis, quem plantaverat in oriente, non solum ut eum custodiret et coleret (gen. 2. 15.) Sed ut ipse quoque esset hortus deliciarum deo suo.

[note: comparatio hominis cum paradiso.] 2. Ut enim paradisus erat amoenissima mundi pars: ita homo creaturarum delicatissima. Paradisus fuit ad orientem plantatus: homo ad imaginem ejus, cujus exortus [note: 1.] Sunt ab initio, a diebus aeternitatis. In paradiso productum [note: 2.] Fuit omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave, de omnibus quae alibi sparsim exstabant, per universam terram: in homine omnis materia mundana, omnesque formae et formarum gradus, ad totum divinae sapientiae artificium exprimendum, in unum veluti cumulum congesta [note: 3.] Sunt. Paradisus habebat arborem scientiae boni et mali: homo habet mentem ad discernendum, et voluntatem ad eligendum, quidquid usquam [note: 4.] Boni aut mali est.paradiso inerat arbor vitae, homini arbor ipsa immortalitatis; sapientia nempe dei, quae radices aeternas in homine posuit (ecclesiastici [note: 5.] 1. 14.) Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividebatur in quatuor capita (gen. 2. 10.) In hominis cor varia spiritus sancti dona influunt, ad irrigandum eum, rursumque de ventre ejus flumina fluunt aquae viva: (joh. 7. 38) hoc est, in homine et per hominem diffundit se varie sapientia dei, tanquam divisis quaquaversum fluminibus. Quod idem apostolus testatur, cum ait, per ecclesiam principibus et potestatibus coelorum innotescere multiformem sapientiam dei (ephes. 3. 10.)

3. Vere itaque paradisus deliciarum deo suo est quisque homo, si se continet ubi collocatus est. Similiter ecclesia ipsa, quae est hominum deo deditorum collectio, paradiso, horto, vineae dei, saepius in scriptura comparatur.

[note: paradisi utriusque amissio.] 4. Sed eheu infelicitatem nostram! Amisimus paradisum deliciarum corporearum, in quo fuimus: et amisimus simul paradisum deliciarum spiritualium, quod fuimus ipsi. Ejecti sumus in solitudines terrae: et facti sumus ipsimet solitudo, et desertum quoddam tetrum et squalidum. Ingrati nempe fuimus iis, quibus nobis abunde prospexerat deus in paradiso, corporis et animae respectu: merito igitur utrisque sumus exuti, anima et corpus nostrum aerumnis exposita.

[note: querela de hoc dei.] 5. Audiamus de his prophetam, in persona superbi et ad poenas damnati tyrii regis, ita loquentem: in deliciis paradisi dei fuisti. Omnis lapis pretiosus operimentum tibi fuit, sardis, topazius, et iaspis, chrysolithus, et onyx, et berillus, sapphirus, et carbunculus, et smaragdus cum auro. Opus tympanorum et fistularum, die quo procreatus fuisti, parata erant tibi. Tu cherub fuisti, ex quo unxi te protectorem (dominum caeteris creaturis): ex quo praeposui te, in monte sancto dei eras, inter lapides ignitos indesinenter ambulabas. Perfectus eras in viis tuis, a die conditionis tuae donec inventa est iniquitas inte. In multitudine negotiationis tuae repleta sunt interiora tua iniquitate, et peccasti. Ideo ejeci te de monte dei, et perdidite, etc. Cumelevatum est cor tuum in decore tuo, perdidisti sapientiam tuam, in terram projeci te etc (ezech. 28. 13. Etc) projecit, eheu, et disjecit nos justa indignationo sua, ut quanquam fuerimus velut hortus eden, jam facti simus velut solitudo deserti.

Page 010, image: s024

[note: reparatio paradisi nostri gratia dei.] 6. Gloria tamen, et laus, et honor, et benedictio, in sempiterna secula sit miseratori nostro deo, qui ut nos ad momentum dereliquit, non tamen in solitudinem aeternam reliquit: quin emittens sapientiam suam, per quam plantati sunt coeli, et terra, et omnia, misericordia sua iterum circummunivit derelictum paradisum suum, humanum genus: ut intermortuis, retorridisque cordium nostrorum arboribus securi, et serra, et radula legis suae succisis, et decorticatis, novos de coelesti paradiso surculos insereret: et quos, ut radices agere et increscere possent, proprio sanguine rigavit, variisque spiritus sui sancti donis, veluti aquae vivae rivulis, perfundere non intermittit: operarios quoque suos, spirituales arboratores, qui novi plantarii dei fidelem curam gerant, submittens. Ita enim iesajam, et in persona ejus alios, alloquitur deus: posui verba mea in ore tuo, et in umbra manus meae protexite, ut plantet caelos, et fundes terram, et dicas ad sion, populus meus es tu (jes: 51, 16:)

[note: ecclesia revirescens paradisus] 7. Virescit igitur denuo ecclesiae hortus, cordis di vini delicium: quemadmodum apud jesaiam iterum loquitur (cap. 51. V. 3) consolabitur dominus sion, consolabitur omnes ruinas ejus: et ponet desertum ejus quafi delicias, et solitudinem ejus quasi hortum domini. Gaudium et laetitia invenietur in ea, gratiarum actio, et vox laudis. Et apud salomonem: hortus conclusus, soror mea, sponsa; hortus conclusus, fons signatus. Emissiones tuae paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus, cypri cum nardo etc. (cant: 4. 12. 13.) Cui respondet sponsa ecclesia: o [tu ipse] fons hortorum, putee aquarum viventium, quae fluunt impetu de libano! Surge aquilo, et veni auster, perfla hortum meum, ut fluant aromata illius! Ut veniat dilectus meus in hortum, et comedat fructum pretiosum suum. (ibid: 15, 19, 17.)

[note: subinde tamen marcescens] 8. Verumenimvero satisne ex voto nova haec paradisi dei plantatio succedit? Omniane germina feliciter succrescunt? Omnesne novae plantationis arbores nardum, vel crocum, vel cinnamomum, vel myrrham, vel aromata, et fructus pretiosos, ferunt? Audiamus vocem dei, ecclesiamsuam alloquentis: ego plantavi te vineam electam, totum semen fidele: quomodo ergo versa mihi es in palmites degeneres? (jer: 2. 21.) Ecce querelam dei, novam etiam hanc paradisi plantationem degenerare!

[note: querelae super hac re dei et sapientum hominum.] 9. Cujus modi quiritationum plena est scriptura: pleni omnigenae confusionis omnium oculi, qui unquam res humanas, vel etiam ipsius ecclesiae, contemplari aggressi sunt. Sapientissimus hominum, salomon, omnia quae sub sole fiunt, etiam propria sua cogitata, dicta, facta, diligenter animo revoluens, deplorare coepit,nihilusquam occurrere praeter vanitatem et ataxias: perversa non posse corrigi, nec defectus numerari (eccles. 1. 15.) Adeo ut ipsa quoque sapientia afflictio sit spiritus, addatque indignationem et aerumnam. (ibid. 18.)

[note: vulgus cur haec non curat] 10. Ut enim qui morbum suum ignorat, non curat: qui dolorem non sentit, non gemit; qui periculum non animadvertit, non horrescit, etiam super abyssum, aut praecipitia quaecunque constitutus; ita qui depascentes genus humanum, et ecclesiam, ataxias non considerat, eum non affici mirum non est. At qui se et alios infinitis naevis scatere videt; vulnera et ulcera, sua et aliena, magis magisque supputare persentiscit, prodeuntisque foetoris gravitate nares oppletas habet, qui se et alios inter periculosissimas voragines et antra constitui, inter dispositos laqueosubique obambulare, imo per praecipitia perpetua ferri, et jam hunc jam illum praecipitari, videt, difficile est non exhorrescere, non stupescere, non dolore emori.

[note: demonstratio per inductionem, omnia nostra esse perversa, ac depravata] 11.
Nam, ecquid tandem in nobis, et rebus nostris, suo loco aut statu est? Nihil usquam. Omnia praepostere et disturbate, aut jacent aut ruunt. Intelligentiae loco, qua angelisaequari debuimus, in plerisque stupor tantus est, ut res maxime scitu necessarias juxta cum belluis ignorent, loco prudentiae, qua aeternitati destinati aeternitati nos parare debuimus, tanta est non solum aeternitatis, sed et mortalitatis oblivio, ut se terrenis et transitoriis adeoque praesentissimae morti mancipent plerique.[note: 1. 2.] Loco sapientiae coelestis, qua optimorum optimum agnoscere, venerari,

---

Page 011, image: s025

Eoque dulcissime perfrui, concessum erat, faedissima est ab illo deo in quo vivimus, movemur, et sumus, aversio, stolidissimaque sanctissimi numinis ejus irritatio. Loco mutui amoris et candoris, mutua odia, inimicitiae, bella, caedes. Loco iustitiae, iniquitas, injuria, oppressiones, furta, rapinae. Castitatis loco, impuritates et obscaenitates, in cogitationibus, sermonibus, factis. Loco simplicitatis et veracitatis, mendacia, fraudes, doli mali. Loco humilitatis, fastus et tumores aliorum adversus alios.

[note: nosque planis perditos.] 12. Vae tibi infelix progenies, quae tantopere degenerasti! Dominus de coelo prospexit super filios hominum, ut videret, si est intelligens, et requirens deum. Sed omnes declinaverunt, simul in utiles sacti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. (psal. 14.) Etiam qui aliorum duces se venditant, male praeeunt, seducunt: qui phosphori esse debebant, tenebras plerumque offundunt. Sicubi vero boni et veri aliquid est, mutilum est, elumbe est, disjectum est: quin imo umbra et opinio, si compares cum eo quod vere adesse nobis debebat. Hoc si quis non animadvertit, scotomate laborare se

sciat: sapientes, non per consuetarum opinionum conspicilia, sed per clarum veritatis lumen, suas et alienas res contemplando, vident quod vident.

[note: solatium duplex 1. Paradisus aetemus] 13. Duplex autem relinquitur nobis solatium. Primum quod pro electis suis deus paradisum aeternum parat, ubi perfectio redibit, et quidem plenior ac firmior prima illa, nunc amissa. In hunc paradisum e corpore abibat christus (luc. 23. 43.) Et raptus fuit paulus (2. Cor. 12. 4.) Et gloriam ejus conspexit johannes (apoc. 2. 7. Et 21. 10)

[note: paradisi ecclesiae hic etiam subinde reparatio.] 14. Alterum solatium, quod hic etiam subinde paradisum ecclesiae renovare, desertaque ejus in hortum voluptatis transformare, soleat deus: quemadmodum allegatae supra divinae promissiones ostendunt. Solemniter id aliquoties jam vidimus factum: post lapsum; post diluvium; post introductionem populi in terram canaan; sub davide et salomone; post: reditum e babylone, et reaedificatam hierosolymam; post christi in coelos ascensionem et evangelii ad gentes praedicationem; sub constantino, et alias. Quod si forte nunc etiam, post tam atrocium bellorum furores, tantasque terrarum vastationes, benigniore nos vultu respicere parat misericordiarum pater, grati obviam deo ire tenemur, succurrereque et ipsi rebus nostris, modis et ulis quas monstrabit ipse omnia viis suis disponens, sapientissimus deus.

[note: cujus reparationis efficacissimus mod us per iuventutis informationem rectam.] 15. Hoc autem inprimis est, quod nos scripturae divinae docent, nullam sub coelo aliam efficaciorem ad emendandas humanas corruptelas viam esse, iuventutis recta institutione. Salomon enim omnes errorum humanorum labyrinthos pervagatus, et perversa non posse corrigi, neque. Defectus numerari, questus, tandem se ad adolescentiam convertit, obsecrans, ut in diebus juventutis suae meminissent creatoris sui, eumque timeant, et mandata ejus observent: hoc enim esse totum hominis (eccl. 12. 13.) Et alibi dicit: instriue adolescentem juxta viam suam: etiam cum senuerit, non recedet abea. (prov. 22. 6.) Ideo david: venite filii, audite me, timorem dei docebo vos(psal. 34. 11.) Sed et ipse coelestis david, verusque salomon, aeternus dei filius, ad reformandum nos coelo missus, eandem viam intento velut digito monstravit, dicens: sinite parvulos venire ad me, et ne prohibete eos: talium enim est regnum caelorum (mar. 10. 14.) Ad nos vero caeteros dicebat: nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum (matt. 18. 3.)

[note: pueri verae reformationis non tantum subjectum: sed et exemplar] 16. Hem quales isti sermones! Audite haec, attenteque considerate omnes, quid hic omnium magister et dominus edisserat! Quam solos parvulos regno dei idoneos, imo ejusdem regni haeredes, pronunciet! Illos solos ad haereditatis participationem admittens, qui se parvulis assimilaverint. Outinam vos dilecti pueruli vestrum hoc coeleste privilegium intelligatis! Vestrum ecce est, quidquid residui decoris, aut in patriam coelestem juris est, in genere nostro!

Page 012, image: s026

Vester est christus, vestra sanctificatio spiritus, vestra gratia dei, vestra futuri seculi haereditas: vestra omnia haec, ad vos praecipue, et infallibiliter, imo ad solos vos, spectantia, nisi quis conversus efficiatur sicut vos. Ecce nos adulti, qui solos nos existimamus homines, vos simiolas; solos nos sapientes, vos amentes, solos nos facundos, vos infantes; jam in vestram ablegamur scholam! Vos dati nobis in magistros, gesta vestra in ideam et exemplar nostris!

[note: curparvulos tanti faciat deus] 17. Cur tanti faciat et celebret parvulos deus, si quis expendere velit, causam non reperiet potiorem hac, quod in infantibus omnia simpliciora, et recipiendae medianae, quam deploratis humanis rebus divina misericordia offert, aptiora sunt. Quanquam enim a lapsu adami veniens corruptela pervasit totam generis nostri massam, quia tamen secundus adam, christus, genus humanum denuo sibi, arbori vitae, insevit, excludituque nemo nisi quise propria incredulitate (quae in infantes nondum cadit) excludit (marc. 16. 16.) Fit ut infantes, nondum se denuo peccatis et incredulitate polluentes, regni dei exasse haeredes pronuntientur: modo se in accepta jam gratia dei custodire, et a mundo impollutos servare sciant. Quod et ipsum facilius pueri, quam alii, doceri possunt, malis consuetudinibus nondum occupati.

[note: cur ad illos ableget nos adultos] 18. Ea de causa christus nos adultos converti jubet, ut fiamus velut parvuli: id est, ut mala quae a prava institutione hausimus pravisque mundi exemplis didicimus, dediscamus, et inpriorem gradum simplicitatis, mansuetudinis, humilitatis, castitatis, obcdientiae etc. Redeamus. Sed enim quia nihil gravius accidit, quam adsuetis desuescere (consuetudo enim altera natura: naturam vero ut expellas furca, tamen usque recurrit) sequitur inde, nihil esse difficilius quam hominem male institutum restituere. Arbor enim uti excrevit, procera aut humilis, et ramis bene exporrectis aut concurvatis, ita manet adulta, transformari se non patitur. Canthus, lignum rotae curvatum, eoque situ induratum, facilius frangitur quam ad rectitudinem redeat; ut experientia patet. Quod idem de hominibus male agere adsuetis pronuntiat deus: si mutare potest aethiops cutem suam, et pardus maculas suas, etiam vos poteritis bene facere, edocti malefacere (jer. 13. 23.)

[note: reformatio ecclesiae ab infantibus inciptat necesse est] 19. Unde necessario; concluditur: si generis humani corruptelis remedia adhibenda sunt, id potissimum per cautam et providam iuventutis educationem fieri oportere. Aeque ut qui hortum renovare velit, novellis eum arbusculis conserere, plantatasque ad laeta incrementa provide curare, necesse habet: quando quidem ad arbores vetulas transplantandum, et faecunditate imbuendum, artis exigua, vis est. Simplices ergo mentes, vanis mundanis conceptibus et consuetudinibus nondum occupatae et coinquinatae, aptissimae sunt deo.

[note: teste deo] 20.quod apud prophetam ostendit deus, ubi de universali corruptione questus, neminem superesse quem doceat scientiam, quem intelligere faciat doctrinam, protestatur:praeterquam ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus (jes. 28. 29.)

[note: jllustre christi factum] 21. Atque hoc idem in figura ostendere voluisse videtur dominus, cum hierosolymam profecturus jussit sibi quidem asinam adduci et pullum asinae; non tamen asinae, sed pullo, inequitavit. Additque evangelista, talem pullum sibi adduci mandasse dominum, cui nullus hominum adhuc insederat (luc. 19. 30.) Frustrane id factum, et consignatum putabimus? Absit: omnia christi, maxima et minima, dicta et facta, quemadmodum et omnes scripturae apices, mysteria continent, ad instructionem nostram. Certum itaque sit, ut ut christus senes et juvenes ad se vocat, et utrosque ad coelestem hierosolymam lubens secum ducit, juniores tamen, a mundo nondum subjugatos, aptiores esse ad asuescendum jugo christi, prae illis quos impositis oneribus suis mundus fregit, ac vitiavit. Pullitiem itaque nostram christo adduci aequum est: his suave jugum juum, et seipsum, imponere gaudet christus, (matt. 11. 30.)

Page 13, image: s027

[note: provide juventutem educare quid.] 22. Educare autem provide juventutem, est providere, ut animi eorum a corruptelis mundi praeserventur: et indita illis honestatis semina, castis perpetuisque, monitis et exemplis, ad feliciter germinandum proliciantur; denique dei, et sui ipsius rerum que variarum cognitione vera, mentes imbuantur: quo in lumine dei videre lumen, patremque luminum super omnia amare et venerari, consuescant.

[note: et quis ejus fructus.] 23. Id si fieret, appareret re ipsa, verum esse quod psaltes canit, deumex ore infantium et lactantium peficere laudem propter inimicos, ut destruat inimicum et ultorem.(ps. 8. 3.) Hoc est, ut confundat satanam. Qui ulturus condem nationem sui has dei arbusculas, juventutem, variis fraudulentissimarum machinationum suarum vulneribus conficit, aut infernali veneno (exemplorum variae impietatis, et instinctuum pravorum) radicitus inficit, ut vel exarescant penitus et concidant; vel intabescant saltem, et marcescant, et inutiles fiant.

[note: deus quomodo iuventutz provideat] 24. Atque ea de causa deus, tum angelos custodes puerulis addit (matt. 18. 10.) Tum parentes nutritios constituit, ab illisque liberos in disciplina et correptione domini educari jubet (ephes: 6. 4.) Tum caeteris omnibus, ne malis exemplis juventutem scandalizent et corrumpant, serio mandat, secus facientibus aeternum vae denuntians. (matt. 18. 6, 7.)

[note: et quomodo nos teneamur: patriarcharum exemplo.] 25. At qua ratione id in tanto confusionis mundanae diluvio faciemus? Patriarcharum tempore, cum sancti illi viri a mundo segregati seorsim habitarent, ipsique in suis familiis, essent non solum patresfamilias, sed et sacerdotes, magistri ac praeceptores, facilius negotium procedebat. Remotis enim apravorum consortio liberis suis, bono virtutum exemplo praelucentes, leni admonitione, exhortatione, et sicubi opus suit increpatione, suos secum ductabant. Quod factitasse abrahamum testis est deus ipse: scio, inquit, quod praecepturus sit filiis suis, et domui suae post se, ut custodiant viam domini, et faciant judicium et justitiam gen. 18. 19.)

[note: nunc male consortia iuventutem perdunt.] 26. Sed nunc promiscue habitamus, boni mixti malis: malorumque quam proborum infinitio major est numerus. Quorum exemplis tam valide abripitur juventus, ut subministratae in mali antidotum de virtute colenda praeceptiones vim nullam, aut exiguam, obtineant.

[note: nec patentes malis obsistere curant, aut sciunt.] 27. Quidautem, quod et illa virtutum praecepta raro suppeditantur? Pauci sunt parentum, qui liberros suos boni aliquid docere possint: sive quod nihil tale didiceruntipsi, sive quod aliis intenti haec negligunt.

[note: nec praeceptores omnes.] 28. Pauci et praeceptorum, qui juventuti bona bene instillare norint. Aut si quis aliquando est, rapitur ab aliquo satrapa ad privatim suis impendendam operam, vulgo ejus copia non datur.

[note: hinc omnia syluescunt, et in pejus ruunt.] 29. Inde fit ut juventus reliqua sine debita cultura crescat, syluae instar, quam nemo plantat, rigat, putat, ad rectitudinem format. Hinc feri et indomiti mores et consuetudines occupant mundum, omnesque urbes et oppida, et omnes domos, et omnes homines, quorum corpora et animi meris confusionibus scatent undique. Si hodie nobis redivivus diogenes, socrates, seneca, salomon, redeat, non aliud

reperient quam olim. Si deus de coelo nos alloquatur, non aliud dicet quam quod dixit, corruptos esse omnes, et abominabiles factos in omnibus studiis suis (ps 14. 2.)

[note: consilia igitur procommuni salute jungenda omnibus: aut exspectanda dei fulmina.] 30. Quapropter, si quisquam usquam gentium, qui consilii aliquid ferre, aut excogitare, aut gemitibus, suspiriis, fletu et lachrymis, a deo exorare potest, qua ratione succrescenti juventuti quam optime consuli possit, is ne taceat, sed consulat, cogitet, oret. Maledictus qui errare facit coecum in itinere inquit deus (deut: 27. 18.) Maledictus igitur et qui cum reducere queat caecum aberrore, non reducit. Vae illi, scandalizaverit unum de pusillis istis: inquit christus (matt. 18. 6, 7.) Vae ergo illi etiam, qui cum amovere queat scandala,

---

Page 14, image: s028

Non amovet. Non vult deus asinum, aut bovem, per siluas et campos errantem, aut sub onere jacentem, deseri, sedei subveniri, etiamsi cujus sit nescias, etiamsi inimici tut esse scias (exod. 23. 4. Deut. 22. 1.) Et debet illi placere, si nos non jumenta bruta, sed creaturam rationalem, non unum et alterum, sed mundum totum, errare videntes, secure transeamus, manum non admoveamus? Absit, absit!

[note: in confusionum babylonem strigendus gladius.] 31. Maledictus qui facit opus domini fraudulenter: et maledictus, qui prohibet gladium suum sanguine babylonis. (ier. 48. 10.) Et speremus nos extra culpam fore; abominabilem confusionum nostrarum babylonem, secura mente tolerantes? Ah exseregladium, quicunque accinctum habes, aut qua haereat reconditus vagina non ignoras! Utque sis benedictus a iehova, babylonis exterminationem promove.

[note: a magistratu politico.] 32. Urgete opus hoc domini vos magistratus, ministri dei altissimi, et gladio quem vobis accinxit dominus, gladio justitiae, exterminate ataxias, quibus sese opplet, et deum vestrum irritat, mundus!

[note: et a ministris ecclesiae.] 33. Urgete vos praesules, ministri iesu christi fideles, et gladio vobis commisso utrinque acuto, gladio oris, exscindite mala! Eo enim, ut evellatis et destruatis, et disperdatis, et dissipetis mala; aedificetis vero plantetis bona, constituti estis (ier. 1. 10. Ps. 101. 5. Rom. 13. 4. Etc) iam autem intellexistis, felicius non posse obsisti malis in genere humano, quam ut aetate prima obsistatur: felicius non posse plantari arbusculas ad aeternitatem perennaturas, quam si novellae plantentur et educentur: felicius non posse in babylonis locum sionem exaedificari, quam si vivi dei lapides, juventus, mature caedantur, dolentur, poliantur, structuraeque coelesti adaptentur. Si ergo bene ordinatas et florentes volumus ecclesias, et politias, et oeconomias, ante omnia scholas ordinemus, et efflorescere faciamus, ut verae vivaeque sint hominum officinae, ecclesiarum, politiarum oeconomiarumque seminaria. Sic demum potiemur fine nostro, alias nunquam.

[note: modus illius rei jam exponendus, et expendendus.] 34. Id autem quomodo sit aggrediendum, et in effectum desideratum deducendum, en id pandimus ob oculos, nos, quorum spiritum excitavit dominus! Quid sit, videte et audite, et attendite, quibuscunque deus oculos dedit ad videndum, et aures ad audiendum, et mentem ad judicandum.

[note: sive quis lucis hic novae aliquid visurus, sive non, quid jaciendum.] 35. Si cui affulserit non animadversum prius lumen, det honorem deo, fulgoremque hunc novum novae aetati ne invideat. Si autem in lumine hoc luminis defectum notaveris, etiam minimum, aut supple et depura, aut ut depurari queat mone: plus vident oculi, quam oculus.

[note: praemia gnavis hic exspectanda.] 36. Ita opus dei concorditer agere nos mutuo juvabimus: ita maledictionem fraudulenter opus domini facientibus denuntiatam effugiemus: ita pretiosissima mundi cimelia, juventutem, optime curaverimus: ita fulgorem, erudientibus alios ad justitiam promissum (dan. 12. 3.) Participabimus.

Misereatur nostri deus, ut in lumine ejus videamus lumen! Amen.

Page 15, image: s029

Ut didactica recte constituatur, interest

Arentum: qui hactenus plerumque incerti erant, quid de liberis suis sperandum esset? Conducebant praeceptores, exorabant, donariis permulcebant, permutabant etiam, tam saepe in cassum quam cum fructu aliquo. At methodo instituendi ad infallibilem usque certitudinem deducta, non poterit non semper speratus effectus, cum deo, sequi.

2. Praeceptorum: quorum plerique docendi artem plane ignorarunt, ideoque cum satis facere vellent officio, macerabant se, et operara diligentia exhauriebant vires; aut mutabant methodum, jam hoc jam illo modo successum tentantes, non sine taedioso temporis et laborum dispendia.

3. Discipulorum: ut sine difficultate, taedio, clamonbus et plagis, quasiper ludum et jocum ad fastigia scientiarum duci queant.

4. Scholarum: quae methodo rectisicata, non solum in vigore consevari constanter, sed in infinitum augeri poterunt. Erunt enim vere ludi, domus deliciarum et illecebrarum. Atque cum (ob methodi infallibilitatem) ex quelibet discipulo doctor fiet (superiore aut inferiore gradu) nunquam poterunt apti scholarum moderatores deesse, nunquam non vigere studia.

5. Rerumpublicarum; ciceronis testimonio ante citato. Cui consonat illud (apud stobaeum) diogenis pythagoraei: quodnam est fundamentum totius reipublicae? Adolescentum educatio. Haud enim unquam vites utilem fructum protulerint, quae non bene sunt excultae.

6. Ecclesiae: cum scholarum recta constitutio sola essicere queat, ut ne ecclesiis eruditi doctores, doctoribus vero eruditis apti auditores deesse possint.

7. Coeli denique interest, scholas ad exactam et universalem animorum culturam reformari: quo nimirum facilius divinae lucis fulgore a tenebris liberentur, quos tubae divinae clangor excitare non valet. Quanquam enim praedicetur passim evangelium, proeditatumque iri ad mundi finem speremus quemadmodum tamen in panegyri aliqua, nundinis, aut caupona, aliove tumultuoso bominum conventu, evenire solet, ut non is audiatur solus, aut praecipue, qui optima profert, sed prout quisque alteri occurrit, aut adstat, vel assidet, ita eumnugis suis occupat et detinet: perinde fit in mundo. Faciant verbi ministri officium quantocunque zelo: loquantur, inclament, hortentur, obtestentur, a potiore tamen hominum parte non exaudiuntur. Multi siquidem coetus sacros non accedunt, nifi casu aliquo; alii utut veniant, clausis tamen cum auribus et oculis, quia plerunque aliis intra se occupati, quid hic fiat parum

attendunt. Tandem attendant licet, et quo tendant admonitiones socroe percipiant, non tammen certe affciuntur et commoventur tam valide, quam fieri conveniebat: quia adsuetus animi torpor, et attractus vitiorum habitus, mentem illis hebetat, fascinat, indurat, ut seveterno illo liberare nequeaut. Haerent itaque in consueta caecitate peccatis suis, tanquam compedibus adstricti, ut ex inveterata pernicie liberare eos nemo possit, praeter solum deum: quemadmodum patrum quispiam dixit, prope abesse a miraculo, si peccator inveteratus ad poenitentiam convertatur. Quia vero alias, ubi deus media suppeditat, miracula poscere deumtentare est, non aliter hic etiam rem babere statuendum est. Officii proinde nostriesse credamus, cogitare de mediis, quibus tota christiana iuventus ad mentis vigorem, et coelestium amorem, fervidius excitetur. Atque id si obtinuerimus, videbimus passurum vim renum coelorum, quemadmodum olim.

Ne me igitur a tam sancto proposito subtrahat cogitationes, desideria, vires et opes suas. Qui dedit velle dabit et perficere: id sine exceptione a divina misericordia votis exposcere, et spe praesumere, convenit. Hominum enim salus, et gloria hic agitur altissimi.

Joh. Val. Andreae.

Desperare de profectu inglorium: delignari aliena consilia. Iniurium est.

Page 16, image: s030

[gap: lemmata capitum]

Page 17, image: s031

Caput primum. Hominem creaturarum ultimam, absolutissimam, excellentissimam, esse.

[note: nosce teipsum, coelo lapsum fingebatur.] Cum pittacus olim suum illud [gap: greek word(s)] pronuntiasset, tanto applausu a sapientibus excepta fuit sententia haec, ut eam plebi commendaturi, coelo lapsam asseverarint, temploque apollinis delphici (quo ingens hominum confluxus erat) aureis literis inscribi curarint. Hoc prudenter et pie: istud ficte quidem, sed omnino ad veritatem: quod nobis prae illis liquet.

[note: vere tamen coelo lapsum est.] 2. Coelitus enim resonans in scripturis vox, quid est nisi, noveris o homo me, noveris te? Me, aeternitatis, sapientiae, beatitudinssque fontem: te, facturam, imaginem, delicium meum.

[note: sublimitas humanae narurae.] 3. Te enim mihi destinavi aeternitatis consortem; tuos in usus paravi coelum, terram, et quaelis continentur; tibi uni contuli junctim omnia, quae creaturis caeteris singula, essentiam, vitam, sensum, rationem. Te constitui super opera manuum mearum, omnia subjeci pedibus tuis, oves et boves et pecora campi, volucres coeli, et pisces maris: eaque ratione te gloria et honore coronavi. (psal. 8.) Tibi denique, nequid deesset, meipsum dedi nexu hypostatico, meam tuae naturam copulans in aeternum: qualiter nulli creaturarum, visibilium aut invisibilium, contigit. Ecquae enim creaturarum, in coelo vel in

terra, gloriari pot est, deum in carne sua revelatum, et exhibitum angelis? (1 tim. 3. 16.) Nempe non ut videant et stupeant solum, quem videre desiderabant: (1 pet. 1. 12.) Sed et i manifestatum in carne deum, nempe dei et hominis filium, (hebr. 1. 6. Joh. 1. 52. Matt. 4. 11.) Adorent. Intellige ergo te operum meorum absolutum colophonem, mirabilem epitomen, vicariumque inter illa deum esse, coronam gloriae meae.

[note: omnibus hominibus ab eculos ponenda.] 4. Quae omnia utinam non templorum valuis, non librorum frontispiciis, non denique linguis, auribus, oculis omnium hominum, sed cordibus, insculpta sint! Hoc utique agendum est omnibus, qui homines formandi obeunt munus, ut hujus dignitatis, et excellentiae suae memores vivere omnes condocefaciant: et ad hujus sublimitatis assequendum scopum omnia media dirigant.

Caput ii. Hominis sinem ultimum extra hanc vitam esse.

[note: creaturarum summam summum habere scopum necesse est.] Tam excellentem creaturam ad excellentiorem prae cunctis creaturis finem destinari, ratio ipsa dictitat: nimirum ut deo, omnis perfectionis, gloriae, beatitudinis fastigio, junctus, absolutissima cum eo gloria et beatitudine perfruatur in aeternum.

[note: quod patet.] 2. Quod etsi satis e scriptura liquet, nosque, ita omnino rem habere, secure. Creidimus: non operae tamen dispendium fuerit, si quot modis deus in hac vita nostrum plus ultranobis effigiarit, vel obiter attingamus.

[note: i. Exhistoria creationis.] 3. Et primo quidem in ipsa creatione. Non enim hominem, ut caetera, nude existere jussit: sed praemissa solenni consultatione, corpus quidem ei propriis veluti digitis efformavit, animam vero ex seipso inspiravit.

[note: 2. Ex constitutione nostri.] 4. Constiturio nostri nobis id, quod in hac vita nobis adest, non sufficere ostendit. Triplicem enim hic vivimus vitam, vegetavivam, animalem et intellectualem,seu spiritualem, quarum prima extra corpus nusquam se exerit: secunda per sensuum et motus operationes ad objecta se exporrigit: tertia separatim quoque existere potest, ut in angelis patet. Jam quia evidens est, supremum hunc vitae gradum a prioribus valide in nobis obumbrari et praepediri, necessario sequitur futurum esse, ubi in [gap: greek word(s)], deducatur.

[note: 3. Ex omnibus quae hic agimus et patimur.] 5. Omnia quae in hac vita agimus et patimur, ostendunt nos finem ultimum hic non assequi; sed omnia nostra, ut et nos ipsos, alio tendere. Quicquid enim sumus agimus, cogitamus, loquimur, machinamur, acquirimus, possidemus, non nisi gradatio quaedam est: ubi longius longiusque provecti, gradus quidem superiores, semper conscendimus, supremum tamen nunquam invenimus. Principio enim homo nihil est, quemadmodum ab aeterno nihil fuit: in utero demum matris

---

Page 18/19, image: s032

Initium sumit, e sanguinis paterni gutta. Est igitur homo primum, quid? Massa informis et bruta. Tunc assumit lineamenta corpusculi: sed absque sensu et motu tamen.
Incipit postea moveri, et naturae vi in apertum prorumpit; patescuntque paulatim oculi, aures, et sensus caeteri. Temporis tractu prodit se internus sensus, cum videre audire, sentire, sentit. Intellectus postmodum, rerum discrimina notando, sese exerit: tandem voluntas, ad objecta quaedam se applicando, ab aliis avertendo, gubernatricis arripit munus.

[note: 3. In quibus omnibus gradatio est, sine termino tamen.] 6. Sed et in singulis illis mera gradatio est. Nam et rerum intelligentia paulatim, velut e prosunda noctis caligine emergens aurorae jubar, promicat: et quamdiu vita superest, semper ei plus plusque luminis accedit (nisi quis brutescat omnino) ad ipsam usque mortem. Actione nostrae itidem primum tenues sunt, invalidae, rudes, et confusae nimis: paulatim deinde cum viribus corporis animi quoque virtutes sese explicant, ut quamdiu vivimus (nisiquem extrenius occupaverit torpor, vivumque sepelierit) non desit quod agamus, quod proponamus quod moliamur: omniaque illa in animo generoso semper altius prendunt, sine termino tamen, nec enim in hac vita vel desideriorum, vel moliminum, ullum finem reperire est.

[note: quod omnis experientia ostendit.] 7. Quoquo se quis vertat, experimento id cognoscet. Si quis opes et divitias adamaverit, non inveniet quo famem suam expleat, quamvis mundum possideat universum: quod alexandri patuit exemplo. Si quis honorum exarserit cupidirate, non si se mundus universus adoret, acquiescere poterit. Si voluptatibus se dediderit, quamvis delitiarum flu mina omnes sensus perluant, obsolescent tamen omnia, et appetitus ad aliud ex alio se extendet. Si quis ad studium sapientiae applicaverit animum, nullum inveniet finem: nam quo quis plura novit, eo sibi plura deesse intelligit. Recte enim salomon, non satiari oculum videndo, veque impleri aurem audiendo (ecclesiastes 1. 8.)

[note: 4. Neque mors ipsa rebus nostris finem adfert.] 8. Sed neque mortem ultimam rebus adferre lineam, morientium exempla docent. Hic enim quibus bene transacta est vita, meliorem ingressuri exultant: qui vero se praesentis immerserant amori, derelinquendam illam, et alio sibi migrandum videntes, trepidare incipiunt, et si qua ratione adhuc possunt, deo et hominibus se reconciliant. Et quamvis doloribus fractum corpus elanguescat, sensus tenebrescant, vita ipsa exspiret: mens tamen vividius quam unquam functiones suas obit, de se, familia, haereditate sua, republica, etc. Pie, graviter, circumspecte, disponens: adeo ut qui hominem pium et sapientem morientem videt, limum terrae diffluentem videre; qui audit, angelum audire, sibi videatur; faterique necesse habeat, nihil hic agi, nisi quod tuguriolo ad ruinam prpperante hospes exitum paret. Intellexerunt id ipsimet gentiles: ideoque romani, auctore felto, mortem clicebant abitionem; et graecis [gap: greek word(s)], quod abire significat, pro interire et mori frequenter usurpatur. Cur? Nisi quia per mortem alio transiri iutelligitur?

[note: 5. Homines aeternitati deberi, christi hominis exemplum docet.] 9. Sed magis id nobis christianis patet, postquam christus, filius dei vivi, ad reparandum deperditam in nobis imagmem dei coelo missus, idem suo ostendit exemplo. Conceptus enim, et per nativitatem luci expositus, inter homines, versatus est: tum mortuus resurrexit, et ad coelos ascendit, nec ei mors dominatur amplius. Iile autem dicitur, et est, pracursor noster (hebr. 6. 20.) Primogenitus inter fratres (rom. 8. 29.) Caput membrorum suorum (ephes. I. 22.) Archetypus omnium qui ad imaginem dei reformandi sunt (rom. 8. 29.) Quemadmodum [note: n. B.] Igitur ipse non ideo hic fuit, ut eisset; sed ut confecto curriculo, transiret ad habitacula aeterna: ita quoque nobis, ipsius consortibus, non hic manendum, sed alio transmigrandum est.

[note: hominis mansio triplex.] 10. Triplex igitur cuique nostrum vita et vitae mansio, constituta est, uterus maternus, terra, coelum. E prima in secundam ingressus est per nativitatem; e secunda in tertiam, per mortem et resurrectionem; e tertia nusquam in aeternum. In prima accipimus vitam solummodo, cum initiali motu et sensu: in secunda vitam, motum, sensum, cum primordiis intellectus: in tertia omnium plenitudinem absolutam.

[note: triplexque vita.] 11. Prima illa vita, praeparatoria est secundae: secunda tertiae: tertia in se ipsam est, sine fine. Transitus e prima in secundam, et e secunda in tertiam, angustus est et cum dolore: et utrobique deponendae veniunt exuviae, seu involucra (ibi quidem secundinae, hic corporis ipsa compages) veluti cum fracta testa pullus excluditur. Prima itaque et secunda mansio officinarum sunt instar; in quibus formatur, ibi quidem corpus, ad vitae sequentis usum; hic autem anima

---

Page 20/21, image: s033

Rationalis, ad usum vitae sempiternae: tertia mansio ipsam utriusque perfectionem et fruirionem adferet.

[note: typus illius res in israelitis.] 12. Ita israelitae (liceat huc typum etiam accommodare) in aegypto erant progenerati: indeque per montium et maris rubri angustias in desertum delati, tabernacula exstruebant, legem addiscebant, cum hostibus variis configebant: tandem jordane perrupto terrae canaan, lacte et melle perfluentis, haeredes constituti fuerunt.

Caput iii. Vitam hanc non nisi praeparatoriam esse aeternae.

[note: testes bujus res.] Vitam hanc, cum alio tendat, non vitam esse (proprie loquendo) sed verae semperque duraturae vitae proaemi um, patebit, testibus primo nobismer ipsis iterum; dehinc mundo: tandem scriptura divina.

[note: i. Nosmet ipsi.] 2. Nos ipsos si intuemur, videmus omnia nostra ita gradatim procedere, ut antecedens quodvis subsequenti sternat viam. Exempli gratia: vita nostra prima in maternis visceribus est. Sed cujus rei gratia? Anne sui ipsius? Nihil minus: hoc ibi agitur solum, ut corpusculum in animae habitaculum et instrumentum apte conformetur, ad commodum subsequuturae, qua sub sole fruimur, vitae usum. Hoc simul ac perfectum est, erumpimus in lucem; quia quod amplius istis in tenebris de nobis siat, nihil est. Eodem igitur modo haec sub sole vita, nihil nisi praeparatio est aeternae: ut nimirum anima corporis ministerio ea sibi, quae futurae vitae usui sint, comparet. Id simul ac fuerit effectum, migramus hinc, quia quod praeterea hic agatur non suppetit. Quanquam nonnulli imparati abripiuntur, aut potius ad interitum abjiciuntur: quemadmodum abortivi etiam foetus variis casibus ex utero emitti solent, non ad vitam, sed ad mortem; quod utrobique dei quidem permissu, hominum tamen culpa evenit.

[note: 2. Mundus visibilis, factus duntaxat in seminarium, nutritorium, scholamque hominum.] 3. Mundus ipse visibilis, quacunque illum parte intueamur, testatur non alio sine se creatum, quam ut serviat

Progenerationi humani generis.

Enutritioni humani generis.

Exercitationi humani generis.

Quia enim deo non eodem simul momento omnes homines producere libuit, uti factum angelis, sed marem et foeminam solum, illis per generationem multiplicandi sui collatis viribus et benedictione: successivae huic multiplicationi tempus justum concedi necesse fuit, concessi igitur sunt aliquot mille anni. Et ne tempus illud esset confusum, surdum, caecum, expandit

coelos, sole, luna, stellisque instructos: eosque circumcirca gyrando horas, dies, menses, et annos, dimetiri jussit. Rursum, quia corporea futurus erat creatura, loco ad habitandum, spatio ad respirandum et sese agitandum, victu ad incremenra, et amictu ad ornamenta egens, substravit (in mundi imo) pavimentum solidum, terram: eique circumsudit aerem, et imgavit aquis, et progerminare jussit multiformes plantas, et animalia: non jam solum ad necessitatem, sed ad delicias usque. Et quia ad imaginem suam hominem condiderat, mente instructum, ne menti quoque suus deesset pastus, in multivarias species creaturas singulas diduxit, quo ei mundus hic visibilis ut lucidissimum infinitae potentiae, sapientiae et bonitatis dei, speculum exstaret, cujus contemplatione in creatoris admirationem raperetur; agnitionem promoveretur, amorem alliceretur: invisibili nempe et in aeternitatis abysso latente soliditate, pulchritudine, et dulcedine, ubique per visibilia illa promicante, et sese palpandam, spectandam, gustandam, praebente. Nihil itaque mundus hic est nisi seminarium nostrum, nutritorium nostrum, schola nostra. Ergo aliquod est plus utra, quo e scholae hujus classibus dimissi promovebimur, ad academiam nempe aeternam. Ratione igitur ita hoc esse constat; manifestius tamen e divinis oraculis.

[note: 3. Deus ipse in verbo suo.] 4. Testatur apud oseam ipse deus, coelos terrae causa esse, terramtritici, vini, olei, causa; haec autem hominum (ose. 2. 21, 22.) Omnia igitur hominis causa sunt, tempus etiam ipsum. Duratio enim mundo longior non concedetur, quam ad complendum electorum numerum (apoc. 6. 11.) Id simul ac fuerit factum, coeli et terra transibunt, et locus eis non invenietur (apoc. 20. 7.) Novum enim coelum et nova terra prodibunt, in quibus justitia habitabit (apoc. 21. 1. 2 petr. 3. 23.) Tandem appellationes quas scriptura vitae huic iribuit, eam nihil nisi alterius vitae praeparatoriam esse; innuunt. Appellant enim viam, itionem, portam, exspectationem: nos autem peregrinos, advenas, inquilinos, expectantes aliam civitatem, et quidem manentem (vide genes. 47. 9. Psal. 39. 13. Job. 7. 12. Luc. 12. 34.)

Page 20, image: s034

[note: 4. Experientia.] 5. Quae omnia res ipsa, omniumque hominum oculis exposita omnium nostrum conditio, nos docent. Quis enim omnium qui nati sunt, postquam comparuit, non iterum disparuit? Cum tamen ad. Aeternitatem destinati simus. Aeternitati igitur quia debemur, hac solum esse transitum, necessum est. Inde christus: parati estote, inquit, nescitis enim qua bora silius hominis venturus est. (matt. 24. 44.) Atque ea causa est (id quoque e scriptura novimus) cur deus aliquos vel prima aetate hinc avocet; nempe quum paratos jam videt, ut enochum (gen. 5. V. 24. Vide sap. 4. 14.) Cur contra longanimitate erga malos utatur? Quia nimirum imparatum nollet quenquam opprimi, sed ut resipiscat (2 pet. 3. 9.) Si tamen quis patientia dei abuti pergit, rapi jubet.

[note: clausula] 6. Quam certum igitur est commorationem in utero matris praeparationem esse vitae in corpore, tam certum est commorationem [note: n. B.] In corpore, praeparationem esse vitae illus quaebit. Felix qui bene formata membra e matris mero extulit! Felicior millies, qui bene politam hinc extulerit animam.

Caput iv. Praeparationis ad aeternitatem gradus essetress se (et secum omnia) nosse, regere, et ad deum dirigere.

[note: fines hominis secundarii, summo illi (aeternitati) subordinati, unde cognoscantur?] Finem ergo ultimum hominis esse patet, aeternam cum deo beatisudinem: subordinati vero, atque huic transitoriae vitae inservientes sines, qui sint, e verbis consultationis divinae, quam. Conditurus hominem iniit,
patet: faciamus (inquit) hominem ad imaginem et similitudinem nostram: ut praesit piscibut maris, et volatilibus coeli, et bestius universae terrae quae moventur super terram. (gen. I. 26.)

[note: tres sunt: nempe ut sit] 2. Hinc enim patet, hominem inter visibiles creaturas collocatum ideo ut sit

[note: 1. Ratiocinarius omnium.] I. Creatura rationalis.

[note: 2. Rex sui.] Ii. Creatura creaturarum domina.

[note: 3. Delicium dei] iii. Creatura creatoris sui imago, et delicium.

Quae tria ita sunt copulata, ut nullum horum divortium admitri possit: quia vitae praesentis et futurae basis, in his fundatur.

[note: creaturam esse rationalem, quid?] 3. Creaturam rationalem esse, est esse omnitum speculatorem, et nomenclatorem et rationarium: i. E. Nosse, et nominare pose, et intelligere, quae mundus habet universa: ut patet (gen. 2. 19.) Aut quemadmodum enumerat salomon (sap. 7. 17. Et c.) Nosse mundi constitutionem, et vim elementorum; solstitiorum mutationes, et varietates tempestatum; anni circuitus, et stellarum situs; naturas animantium, et animos bestiarum; spiricuum vires, et hominum cogitationes: differentias plantarum, et radicum facultates: verbo, quaecunque sunt occulta vel manifesta, et c. Eodem pertinet opisiciorum scientia, nec non sermocinationis ars: ne (ut syracides loquitur) in ullae re, parva aeque ac magna, quidquam ignotum sit(eccles. 5. 18.) Ita enim revera demum animantis
rationalis titulum tueri poterit, si rationes sciat rerum omnium.

[note: creaturarum esse dominum, quid?] 4. Creaturarum esse dominum, est omnia ad legitimos disponendo fines, utiliter in sua transferre commoda: inter creaturas ubique regaliter, hoc est, graviter et sancte, sese gerendo (ununi videlicet illum adorandum creatorem supra se; angelos autem ejus, conservos suos, juxta se; caetera omnia longe infra se agnoscendo) concessam dignitatem tueri; nulli creaturae, ne propriae quidem carni, sese mancipare, omnibus libere ad servitia. Uti; ubi, quando quomodo, et quousque, unum quodque prudenter adhibendum sit; ubi, quando, quomodo, et quousque corpori obsecundandum; ubi, quando quomodo et quousque proximo gratificandum sit, non ignorare, verbo, prudenter motus et actiones, externas et internas, suas et alienas, moderari posse.

[note: imaginem esse dei, quid?] 5. Imaginem denique dei esse, est archetypi sui perfectionem ad vivum repraesentare: quemadmodum ipse dicit; sancti estote, quoniam ego sanctus sum deus vester (lev. 19. 2.)

[note: quae tria sese resoluunt in i. Eruditionem. Ii. Virtutem. Iii. Pietatem.] 6. Unde sequitur, genuina hominis requisita esse, ut sit. I. Rerum omnium gnarus 2. Rerum et sui potens. 3. Ad deum, omnium fontem, se et omnia referens. Qaes tria si tribus vulgo notis exprimamus verbis, erunt

I. Eruditio,

Ii. Virtus, seu mores honesti.

Iii. Religio, seu pietas.

Eruditionis nomine, omnem rerum, artium, et ling varum cognitionem; morum, non externam civilititem solum, sed omnem internam et externam motuum compositionem; religionis autem, internam illam venerationem, qua se supremo numini religat et adstringit aninmus hominis, intelligendo.

[note: tria haec sunt totum hominis hac in vita: reliqua omnia [gap: greek word(s)].] 7. Intribus hisce tota hominis excellentia sita est, quia sola haec praesentis et futurae vitae basis sunt: reliqua (sanitas, robur, forma, opes, dignitas, amicitiae, fortunati, rerum successus, longaevitas) nihil sunt, nisi

---

Page 25/26, image: s035

Vel additamenta, et extrinseca vitae decoramenta, si quibus ea deus adjicit; aut superfluae vanitates, inutilia pondera, noxiaque impedimenta, si quis cupide iis inhians ea sibi ultro accersit, iisque se, principalioribus illis neglectis, occupat et obruit.

[note: illustratur id exemplo (i.) Horologii.] 8. Exemplis rem illustro. Horologium (solare vel automatum) elegans et pernecessarinm temporis dimetiendi instrumentum est: cujus substantiam, sive essentiam, artificiosa omnium commensuratio absoluit. Thecae superadditae, sculpturae, picturae, deauramenta, accessoriae sunt res, formae addentes aliquid, bonitati nihil. Si quis pulchrum malit quam bonum ejufmodi instrumentum, ridebitur puerilitas ejus, quid potissimum ferat usum, non attendentis. [note: (2.) Equi.] Ita equi dignitas, robur ejus est, cum magnanimitate, aut agilitate, et ad sessoris nutum sese circumagendi promptitudine, conjunctum: cauda diffluens, vel in nodum adstricta, coma pexa et erecta, deaurati freni, phrygiatum integumentum, et phalerae quaecunque, ut ut ornamentum addant, stupidum tamen pronunciaremus, si quem excellentiam equi inde metiri videremus. Tandem, [note: (3.) Valetudinis.] Valetudinis nostrae bona constitutio in legitima alimentorum concoctione, internaque bona habitudine, sita est: molliter cubare, splendide vestiri, sapide pasci, valetudinis conditioni adeo nihil addit, ut detrahat potius: proinde qui delectabilibus potius dat operam, quam salubribus, desipit. Desipit autem infinite perniciosius, qui cum homo esse cupiat, hominis ornamenta quam essentiam attendit magis, ideo sapiens stultos et impios pronuntiat, qui rem ludicram esse existimant vitam nostram, aut mercatum quaestuosum: a talibus dei laudem et benedictionem fugere dictirans. (sapient. 15. 12. Et 19.)

[note: conclusio.] 9. Maneat igitur, quatum operae eruditionis, virtutum, pietatisque studio hac in vita impenditur, tantum nos ad ultimum finem promoveri. Tria proinde illa sunto vitae nostra, "evor: reliqua omnia parerga, remorae, fucus.

Caput v. Trium illorum [eruditionis, virtutum, religionis] semina nobis inesse a natura.

[note: natura hominis prima bona fuit, ad quam (a corruptione) revocandi sumus.] Per naturam hoc loco intelligimus, non corruptionem post lapsum omnibus jam adhaerentem (per quamnatura filii irae dicimur, non idonei ex nobis ipsis, ut ex nobis, cogitare quidquam boni): sed primam et fundametalem nostri constitutionem, ad quam ut principium revocandi sumus. Quo sensu ludov. Vives dixit: quid aliud est christianus, quam homo naturae, suae redditus, ac veluti natalibus restututus, a quibus eum dejecerat diabolus? (libr. I. De concordia et disc.) Et

quo sensu accipi potest, quod seneca scripsit: haec est sapientia, in naturam converti; et eo restuui, inde publicus error (generis scilicet humani, per protoplastos admissus) nos expulit. Item: non bonus est homo, sed in bonum fingitur, ut ad deum acquandum tendat, originis suae memor. Nemo improbe eo conatur ascendere. Unde descenderat. (epist. 93.)

[note: idque vi aeternae providentiae, prolapsa restituentis.] 2. Intelligimus quoque naturae voce trovidentiam dei universalem, sive bonitatis divinae influxum indesinentem, ad operandum in omnibus omnia: nempe in una quaque creatura id, ad quod eam destinavit. Sapientiae namque divinae fuit, nihil facere frustra: hoc est, nec sine sine aliquo, nec sine mediis ad finem illum obtinendum proportionatis. Qyidquid ergo est, ad aliquid est: et ut eo pertingere possit, necessariis quibusque organis et adminiculis instructum est: imo et impetu quodam, ut nihil invitum et reluctans ad suum feratur finem, prompte potius et jucunde, ipsius naturae instinctu, ut dolor sit, et mors, si prohibeas. Certum itaque est, hominem etiam ad rerum intelligentiam, ad morum harmoniam, ad dei super omnia amorem (ad haec enim destinatum esse jam vidimus) natum aptum esse factum: triumque: illorum radices ei inesse tam certo, quam arbori cuivis suas substratas radices.

[note: sapientia aeternas in homine posuit radices idque.] 3. Ut. Autem evidentius pateat, quid sit, quod syracides pronuntiat, sapientiam aeterna posuisse fundamenta in hominibus (ecclesiast. 1. 14.) Eja videamus, quae in nobis fundamenta sapientiae, virtutum, religionis, posita sint, ut qyam mirabile sapientiae organon sit homo videamus.

[note: i. Scientiae rerum acquirendoe] 4. Ad scientiam rerum acquirendam omnem hominem aptum nasci patet: quia, primum,

---

Page 27/28, image: s036

[note: illum reddendo aptum. Quod patet, quia fecit i ad imaginem sui.] Est imago dei. Imago enim, si accurata est, archetypi sui lineamenta necessario repraesentat: aut non erit imago. Cum igitur inter caeteras dei proprietates omniscientia emineat, necessario hujus aliquod simulachrum in homine resplendebit. Et quidni? Stat certe homo in medio operum dei, mentem lucidam speculi globosi in conclavi suspensi instar habens, quod omnium rerum species excipit: omnium inquam circumcirca. Mens enim nostra non vicina solum rapit, sed et remota (sive loco sive tempore; sibi admovet, ad ardua se erigit, occulta indagat, velata revelat, inscrutabilia etiam scrutari satagit: adeo infinitum quiddam est, et inteminabile. Concedantur homini mille anni, quibus semper aliquid addiscendo, aliud ex alio comprehendat, semper adhuc quo objecta excipiat, habebit: tam inexplebilis capacitatis est mens hominis, ut se abyssi instar exhibeat in cognoscendo. Corpusculum nostrum perexiguis circumscribitur terminis: vox paulo latius se spargit? Visum sola coeli altitudo terminat: menti nec in coelo, nec usquam extra coelum; terminus figi potest: tam supra coelorum, coelos quam infra abyssum abyssi, illa ascendit et descendit, etiamsi seipsis vastiora ista sint millies, penetrat tamen velocitate incredibili. Et negabimus pervia ei esse omnia? Negabimus omnium esse capacem?

[note: 2. Epitomen universi.] 5. Dictus est a philosophis homo [gap: greek word(s)], universi epitome, comprehendens involute omnia, quae longe lateque per macrocosmum expansa visuntur: quot ita esse, alibi demonstratur. Hominis igitur mundum intrantis mens aptissime semini aut nucleo comparatur: in quo etsi herba vel arboris figura actu non existat herba tamen vel arbor ei revera inexistit ut patet, cum immissum terrae semen subter se radiculas, supra se virgulas pandit quae nativa postmodum vi in ramos et frondes abeunt, foliis conteguntur, floribus et fructibus decorantur, nihil igitur homini ab exira inferri, sed quae in

seipso involutahabet, ea solum evolui, explicari, et quid unum quodve sit commonstrari, opus est. [note: n. B.] Ideo pythagoram dicere solitum accepimus, tam naturale esse homini omnia scire, ut si puer septennis: de omnibus totius philosophiae quaestionibus prudenter interrogetur, ad omnia certo respondere possit: eo nimirum, quia unicum rationis lumen sufficiens forma et norma sit rerum omnium: tantum quod nunc, post lapsum, seipsum obumbrans et involuens, expedire seipsum non novit; qui autem expedire debebant, magis subinde implicant.

[note: 3 instructum sensibus.] 6. Praeterea, inhabitanti nobis animae nationali addita sunt organa, et velut emssarii ac speculatores; quorum illa ministerio omnia quae extra sunt consectatur, visus, auditus, olfactus, gustus, tactus; ut quicquid usquam creaturarum est, nihil eam latere possit. Quoniam igitur nihil habet mundus visibilis, quod non videri, vel audiri, vel odorari, vel gustari, vel tangi, eoque quid et quale sit dignosci, possit: sequitur nihil habere mundum, quod non sensu et ratione praeditus homo capiat.

[note: 4 stimulatum sciendi desideriis.] 7. Implantatum quoquee homini est sciendi desiderium, laborumque non tolerantia solum, sed appetius. Emicat id in prima statim infantili aetate, et comitatur nos per vitam totam. Quis enim non semper aliquid novi audire, vidae, tractare, gestit? Cui non quotidie aliquo prodire, cum aliquo conversari, aliquid percontari, aliquid rursum narrare, volupe est? Prorsus ita res habet: oculi, aures, tactus, mens ipsa, pabulum semper quaerentes, semper, extra se feruntur: nec quidquam aque intolerabile est vividae naturae, ac otium et torpedoet quod idiotae etiam viros. Doctos mirantur, cujus rei indicium id est, nisi quod narturalis cujusdam desiderii sentiunt illecebras? Quarum vellent et ipsi, si fieri posse sperarent, participes fieri; quia. Autem desperant, suspirant, eosque quos supra se vident, suspiciunt.

[note: unde multi seipsis ducibus ad variam penetrant rerum cognitionem.] 8. Autodidactorum exempla ostendunt evidentissime, hominem natura duce ad omnia peneirare posse, longius enim quidam progressi sunt seipsis magistris, aut (ut bernhardus loquitur) quercubus et fagis doctoribus (nempo in syluis obambulando et meditando) quam alii operosa praeceptorum institutione. Annon istud homini omnia vere inesse docet? Et lampada videlicet, et lychnum, et oleum, et ignitabulum, cum omni apparatu: modo scintillas excutere, excipere, lychnos accendere, satis nosset, videret illico miros sapientiae dei, tam in se quam in majore mundo (quomodo ad numerum, mensuram, et pondus, disposita sint omnia) the sauros, spectaculo jucundussimo. Nunc quum ei non internum accenditur lumen, sed externe alienarum opinionum circumseruntur lampades, non aliter fieri potest quam sit: ita nempe ut alicui tenebricoso carceri occluso faces circumserantur, quarum quidem radii per rimas subintrant, lumen tamen plenum intrare non potest. Ita est ut seneca dicit: insita sunt nobis omnium artium semina, magisterque ex occulto deus producit ingenia.

[note: mens nostra comparatur.] 9. Idem docent res quibus assimilatur mens nostra. Terra enim (cui saepe scriptura comparat [note: (1) terrae.] Cor nostrum) annon omnis generis [note: (2) horto.] Semina recipit? Nonne unus idemque hortus

---

Page 29/30, image: s037

Omnis generis herbis, floribus, aromatibus, conseri patitur? Utique, si hortulano prudentia non desit, et sedulitas. Et quo major varietas, eo jucundius oculis spectaculum, suavior naribus illecebra, fortior cordi recreatio. Aristoteles hominis [note: (3.) Tabulae rasae.] Animum comparavit tabula rasae, cui nihil inscriptum sit, inscribi tamen omnia possint. Quemadmodum

igitur in tabula vacua quidquid vult scriptor scribere, pictor pingerc, potest, artis non ignarus: ita in mente humana omnia delincare aeque facile illi, qui docendi non ignorat artificium. Quod si non fit, certo certius est non tabulae, culpa fieri (nisi quod aliquando subscabra sit) sed scribae aut pictoris inscitia. Hoc interest, quod in tabula lineas ducere non licet, nisi quousque margo permittat: in mente usque et usque scribendo, et sculpendo, terminum nus quam invenies quia (ut ante monitum) interminabilis est.

[note: cerae, cui sigilla imprimuntur infinita.] 10. Apte etiam cerebrum nostrum, cogitationum officina, cerae, cui vel sigillum imprimitur vel ex qua imagunculae singuntur, comparatur. Ut enim cera omnem admittensformam, quovis modo sigurari et transfigurari patitur; ita cerebrum omnium rerum simulachra suscipiens, quidquid mundus universus continet, in se recipit. Quo simul eleganter quid cogitatio, et quid scientia nostra sit, innuitur. Quicquid mihi meum visum, auditum, olfactum, gustum, tactum, stringit, id mihi sigilli instar est, quo imago rei cerebro imprimitur: et id quidem adeo, ut amota quoque re ab oculis, auribus, naribus, manu, imago ejus mihi jam supersit; nec potest non superesse, nisi quando negligens attentio debilem efformavit impressionem. Ex. Gr. Si hominem quempiam intuitus vel alloquutus sum; si iter aliqua faciens montem, fluvium, campum, syluam, urbem etc. Conspexi: si aliquando tonitrua, musicam, sermones aliquos, audivi; si attente aliquid in auctore legi etc. Omnia ista cerebro imprimuntur: ut quoties recordari subit, tantundem sit ac si nunc in oculis prostent, in auribus resonent, gustentur aut palpentur. Quas impressiones tametsi cerebrum aliud prae alio, vel distinctius recirpit, vel evidentius repraesentat, vel constantius retinet: unumquodque tamen et recipit, et repraesentat, et retinet, aliquo modo.

[note: mentis nostrae capacitas miracutum dei.] 11. Ubi mirandum habemus sapientiae dei speculum, quae providere potuit, ut cerebri illa haud quaquam grandis massa, recipiendis tot millies millenis imaginibus sussiceret. Quidquid enim nostrum quisque (praesertim literatorum) per tot annos vidit, audivit, gustavit, legit, experientia vel ratiocinatione collegit, et cujus pro re nata recordari potest, id omne cerebro circumserri evidens est; simulachra nempe rerum olim conspectarum, auditarum, lectarum. Etc. Quorum millia millium, et millies amplius, existunt, et in infinitum quasi, quotidie novi aliquid videndo, audiendo, legendo, experiundo etc. Multiplicantur, omnia tamen capiuntur. Quae haec omnipotentiae dei imperscrutabilis sapientia? Miratur salomon flumina omnia oceanum influcre, nec tamen mare impleri (eccles. 1. 7.) Et quis non hanc memoriae nostrae abyssum, quae exhaurit omnia, et reddit omnia, nunquam tamen expletur aut depletur, miretur? Ita mens nostra revera mundo major est, eo modo quo continens contenio necessario majus est.

[note: mens nostrae speculum.] 12. Tandem oculus aut speculum mentem nostram refert accommodatissime: cui quidquid opposueris, et cujuscunque formae aut coloris, mox simillimam illi imaginem in se exhibet: excepto, si per tenebras admoveas, aut a tergo, aut eminus nimis, per majorem justo distantiam; aut impressionem prohibeas, vel confundas inquietatione: ibi non succedet, fatendum est. Ego autem de eo, quod lumine praesente, et commoda objecti admotione, per naturam fieri consuevit, loquor. Quemadmodum igitur oculum ut se aperiat, et rem intueatur, nihil opus est cogi: ultero enim (utpote natura luminis sitiens) obtutu pasci gaudet, et ad omnia (modo non nimietate simul objectorum confundatur) sufficit, neque unquam videndo satiari potest: ita prorsus mens nostra rerum sitiens est, ipsa hiat semper, ipsa speculari gestit, ipsa capit, imo rapit, omnia; indefessa ubique, dummodo non offunditur multimdine, legitimoque ordine aliud post aliud speculandum illi offertur.

[note: ii. Honestatis in homine radix, harmonia.] 13. Morum harmoniam naturalem esse homini, viderunt ipsi ethnici: quanquam superadditam divinitus aliam lucem, certioremque attributam aeternae vitae ducem ignorantes, has scintillas sibi faces (irrito conatu)

constituebant. Sic enim cicero: sunt ingeniis nostris semina innata virtutum, quae si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret. Hoc nimium!) Nunc autem simul atque editi in lucem et suscepti sumus, in omni continuo pravitate versamur, ut pene cum lacte nutricis errores sugere videamur (3. Tuscul.) Ita vero esse, virtutum semina quaedam connasci homini, duplici hoc argumento colligitur: primo, quod omnis homo harmonia delectatur; secundo, quod ipse quoque nihil nisi harmonia est, intus et extra.

Page 31/32, image: s038

[note: (1.) Qua ubique delectatur: in omnibus nempe visibilibus,] 14. Harmonia hominem delectari, eamque cupide persequi, patet. Nam quis non formoso homine, eleganti equo, pulchra imagine, pictura venusta, delectetur? Unde vero id, nisi quod et partium et colorum proportio jucunditatem affert? Haec oculorum illecebra est naturalissime. Quaero item, quem non musica afficit? Et id [note: audibilibus, gustatilibus,] quare? Quia nempe vocum harmonia gratam efficit consonantiam. Cui bene conditi cibi non sapiunt? Quia nimirum saporum temperatura palatum jucunde titillat. [note: tangibilibus.] Gaudet quisque temperato calore, temperato refrigerio, temperato membrorum sutu et motu. Cur? Nisi quod naturae omnia temperata, amica et salutaria; immoderata omnia inimica et sperniciosa?
Quinimo virtutes ipsas alii. In aliis diligimus (nam et [note: virtutibus etiam ipsis.] Virtutum expertes aliorum virtutes mirantur, licet non imitentur, impossibilem sibi superatu pravi consuetudinem opinantes): cur non igitur in seipso quisque? Nae nos caecos, si non omnis harmoniae radices inesse nobis agnoscimus!

[note: (2) quam in seipso quoque reperit: respectu tumcorporis.] 15. Sed et ipse homo nihil nisi harmonia est, tam corporis quam animae respectu. Ut enim ipsae major mundus ingentis horologii instar est, ex plurimis rotis et cymbalis tam artificiose concinnati, ut ad motuum perpetuitatem et harmoniam aliud ab alio excipiatur per universum: ita et homo. Quantum enim ad corpus miro artificio constructum, primum hic mobile cor est, vitae et actionum fons; a quo membra caetera motum, et motus mensuram, accipiunt. Pondus vero, motuum efficiens, cerebrumest: quod nervorum, tanquam funium, ministerio reliquas rotas (membra) attrahit retrahitque. Operationum vero intus et extra varietas, est illa ipsa motuum commensurata proportio.

[note: tum animae.] 16. Sic in animae, motibus princeps rota voluntas est: pondera hanc agentia, sunt desideria et affectus, voluntatem huc illuc inclinantia. Sera, motum reserans et occludens, ratio est, quae, quid, ubi, quatenus, amplectendum aut fugiendum sit, dimetitur ac determinat. Caeteri animae motus, sunt minores, quasi rotae, principalem insequentes. Unde, si desideriis et affectibus non nimium pondus tribuatur: et sera, ratio, dextre claudat et recludat; non potest non virtutum harmonia et concentus sequi: condecens videlicet actionum et passionum temperatura.

[note: harmonia turbata reconcinnari potest.] 17. Ecce igitur homo nihil nisi harmonia in seipso revera! Proinde, quemadmodum de horologio, vel musico organo, quod periti artificis efformaverat manus, si corruptum et dissonans fuerit, non illico pronunciamus, usui amplius non esse (potest enim refici et corrigi): ita de homine, quantumvis peccati lapsu corrupto, statuendum est, virtute dei per media certa reconcinnari posse.

[note: 111. Religionis radices inesse homini, argumento est] 18. Religionis radices inesse homini a natura eo demonstratur, quod imago dei est. Imago enim similitudinem infert: simile vero simili gaudere, lex omnium rerum est immutabilis (eccl. 13. 18.) Homo ergo [note: (1) imaginis natura.] Cum nihil aequale habeat, praeter eum ad cujus imaginem conditus est, sequitur, non esse quo potius desideriis feratur, praeter ad scaturiginem e qua prosiliit: modo eam cognoverit distincte satis.

[note: (2) innata omnibus numinis reverentia.] 19. Patet id ethnicorum etiam exemplo, qui nullo dei verbo instructi, solius naturae occulto instinctu numen et ag noscebant, et venerabantur, et anhelabant: quamvis aberrarent in numero, et cultus ratione. Omnes homines notionem deorum habent, omnesque summum locum divino cuidam numni assignant; scribit arist. Lib. 1. De coelo cap. 3 et seneca: primus est deorum cultus, deos credere: deinde, reddere illis majestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla majestas est: scire illos esse qui praesident mundo, qui universa ut sua temperant, qui humani generis tutelam gerunt. (epist. 96.) Hoc autem quantillum abest ab illo apostolico? Heb. 11. 6. Acceden tem ad deum credere oportet esse deum, et requirentibus se praemia largiri.

[note: (3) summi boni (quod deus est) appetentia.] 20. Plato sic: deus est summum bonum, supra omnem substantiam, omnemque naturam, quod cuncta expetunt. (pl. In timaeo.) Quod adeo verum est (deum esse summum bonum, quod cunita expetunt) ut cicero dicat: prima pietatis magistra natura est (1. De nat. Deor.) Nempe quia (ut lactantius lib. 4. Cap. 28. Scribit) hac conditione gignimur, ut generantinos deo justa et debita obseavia praebeamus, hunc solum noverimus, hunc sequamur. Hoc vinculo pietatis obstricti deo et religati sumus: unde ipsa religio nomen accepit.

[note: ne lapsu quidem generis humani prorsus exstincta.] 21. Fatendum est quidem, naturale illud dei, ut summi boni, desiderium, lapsu peccati esse corruptum, et in vertiginem quandam, redire ad rectitudinem vi sua nunquam valentem, degenerasse: in illis tamen quos denuo illuminat verbo et spiritu suo deus, usque adeo iterum exacuitur, ut david ad deum clamet: quis mihi esset in coelis praeter te? Et extra te nullo delector in terra. Deficiat caro mea et cormeum! Rupes tamen cordis mei, et pars mea, deus in aeternum, (psal. 73. 25. 26.)

[note: praetextus igitur adversus pietatis studia impie quaeruntur.] 22. Nemo itaque nobis, dum de remediis corruptionis consultatio instituitur, corruptionem opponat: quia hanc per spiritum suum, intervenientibus ordinatis

---

Page 33/34, image: s039

Mediis, sublatum it deus. Nam quemadmodum nabuchodonosori cum sensus humanus fuisset ablatus, et cor bestiale attributum, relicta tamen fuit spes ad mentem humanam, imo et ad dignitatem regalem, redeundi, quamprimum agnovisset coelos dominari (dan. 4. 23.) Ita nobis e: paradiso dei excisis arboribus relictae sunt radices, quae superveniente gratiae dei pluvia et sole denuo germinare possunt. Annon n. Deus mox post lapsum, et denunciatam excisionem (mortis poenam) mox novae gratiae surculos (seminis benedicti promissione) cordibus denuo insevit? Annon filium, per quem restituerentur collapsa, misit?

[note: nec vetus adam armandus contranovum.] 23. Turpe et nesandum, ingratitudinisque nota evidens, nos corruptionem semper crepare, restitutionem dissimulare! Quid adam vetus in nobis possit praetendere, quid vero novus adam christus possit, non experiri! Apostolus certe, suo et regenatorum nomine, omnia, inquit, possum in eo qui me corroborat,

christo (phil. 4. 13) si possibile est surculum sativum salici, spinae, arbusculae cuivis syluestri insitum, germinare et fructum ferre: quidni proprie insitum fadici? Videatur apostoli argumentatio (rom. 11. 24.) Ad haec, si deus ex lapidibus abrahamo excitare potest filios (matt. 3. 9.) Quidni homines jam inde a prima creatione filios dei factos per christum denuo adoptatos, et per spiritum gratiae regenitos, ad omne bonum opus excitare?

[note: gratia dei non coarctanda, sed grate agnoscenda.] 24. Ah caveamus coarctare gratiam dei. Quam ille in nos liberalissime effundere paratus est! Nam si nos christo per fidem insiti, et adoptionis spiritu donari, nos inquam cum semine nostro, ad ea quae regni dei sunt idoneos negabimus: quomodo christus de pueris, eorum esse regnum dei pronunciavit? Aut quomodo nos ad eos ablegat, converti jubens et fieri parvulos, si ingredi velimus in regnum coelorum? (matt. 18. 3.) Quomodo apostolus christianorum liberos (etiam cum alter solum fidelis est) sanctos pronunciat? Impuros esse negat? (1 cor. 7. 14.) Quin et de iis quoquequi vitiis gravissimis jam actu implicati fuerant, affirmare apostolus audet; tales fuistis quidam, sed abluti estis, sed sanctisicati estis, sed justisicati estis, in nomine domini jesu, per spiritum dei nostri (1 cor. 6. 11.) Quocirca, cum christianorum liberos (non adami veteris progeniem, sed novi adami regeniem, filios dei, fraterculos et sororculas christi) formandos deposcentes, aptos ad aeternitatis suscipienda semina dicimus, idne cuiquam impossibile videatur? Quippe, non ab oleastro fructum requirimus, sed surculis arbori vitae denuo implantatis, ut ei immanentes fructum ferant, auxiliamur.

[note: conclusio.] 25. Maneat igitur, naturalius esse homini et per spiritus s. Gratiam expeditius, sapientem, honestum, sanctum fieri quam ut adventitia pravitas progressum prohibere possit.res enim quaeque de facili redit ad naturam suam. Atque hoc est quod scriptura monet, sapientiam facile spectari abus, qui diligunt eam: imo occurrere cupientibus, ut ante noscatur, et absque labore inveniatur illis, qui attendunt ad ipsam assidentem foribus suis (sap. 6. 13. 14.) Et illud venusini poetae notum est.

Nemo adeo ferus est, qui non mitescere possit,
si modo culturae patientem accommodat aurem.

Cap. Vi. Hominem, si homo fieri debet, formari oportere.

[note: semina nondum sunt fructus.] Semina scientiae, honestatis, religionis, dat natura, ut vidimus: ipsam scientiam, virtutem, religionem, non dat; haec orando, discendo, agendo acquiruntur. Hinc non male quispiam hominem definivit, esse animal disciplinabile: quippe fieri homo, nisi disciplinetur, non potest.

[note: homini scientioe aptitudo connascitur, non scientia ipsa.] 2. Nam si rerum scientiam consideramus, deo id proprium est, sine principio, sine progressu, sine fine, uno et simplici intuitu, scire omnia: homini et angelo, dari id non potuit, quia infinitudo et aeternitas, id est divinitas, dari non potuit. Satis excellentiae angelis et hominibus est, mentis acumen accepisse, quo dei opera consectari possent, eoque intelligentiae sibi comportare thesaurum. Idcirco de angelis constat, eos etiam contemplando discere (1 pet. 1. 12. Eph. 3. 10. 1 reg. 22. 20. Job. 1. 6.) Atque hinc eorum cognitio, aeque ut nostra, experimentalis est.

[note: hominem ad humanitatem esse formandum osten ditur.] 3. Nemo igitur credat hominem vere esse posse, nisi qui hominem agere didicerit: hoc est, ad ea quae hominem faciunt informatus sit. Patet id omnium creaturarum exemplis, quae ad usus humanos, quamvis eo destinatae, non veniunt, nisi nostra aptatae manu. [note: 1. Exemplo creaturarum

caeterarum.] Exempli gr. Lapides, dati sunt, ut domibus, turribus, muris, columnis etc. Exstruendis serviant: non tamen serviunt, nisi nostra manu excisi, edolati, statuminati. Sic et uniones ac gemmae ornamentis humanis dicatae, ab hominibus incidi, radi, poliri; metalla ad insignes vitae nostrae usus producta, effodi, liquari, depurari, varie fundi et tundi, necesse habent: absque hoc minori nobis sunt quam istud terrae lutum, usui.
A plantis habemus cibum,

Page 35/36, image: s040

Potum, medicinam; ita tamen, ut herbas et frumenta seminari, sarriri, demeti, triturari, moli, pinsi; arbores vero plantari, putari, stercorari, fructus decerpi, siccari, etc. Necesse sit: multo vero magis, si quid inde ad medicinam vel ad structuram cedere debet, aliisque atque aliis modis praeparari necesse habent. Animalia, utpote quae vita et motu pollent, ipsa sibi sufficere videntur: eorum tamen opera, ob quam concessa sunt, su velis uti, exercitatio praemittenda est. Ecce enim! Equus bello, bos vecturae, asinus oneribus, canis custodiae et venationi, falco et accipiter aucupio etc. Natus aptus est: et tamen nisi unumquodque ad opus suum exercitatione adsuefeceris, parum valebunt

[note: 2. Ipsiusque hominis, quantum ad corporea.] 4. Homo corporis ex parte, ad labores est: videmus tamen nihil praeter nudam aptitudinem ei connasci: et sedere, et stare, et incedere, et manus ad operandum agitare, paulatim docendus est. Unde igitur menti nostrae ea esset praerogativa, ut absque praevia praeparatione, per se et a se, perfecta existeret? Quoniam omnium creatorum lex est, a nihilo initium sumere, et gradatim elevari, tam essentiae quam actionum respectu. Nam et de angelis, perfectione deo proximis, constat eos non omnia scire, sed gradatim in admirandae sapientiae dei cognitione proficere: ut paulo ante innuimus.

[note: 3. Et quia jam ante lapsum exercendus erat: multo magis nunc, post corruptionem.] 5. Liquet etiam homini jam ante lapsum scholam fuisse in paradiso apertam, in qua sensim proficeret.nam etsi protoplastis, simul ac producti, nec incessus nec loquela, nec ratiocinatio defuit: cognitionem tamen rerum, quae et quanta ab experientia venit, defuisse, manifestum fit ex evae cum serpente colloquio: quod illa, si uberior accessisset experientia, non tam simpliciter admisisset, creaturae huic sermonem non competere, et proinde dolum subesse, certa. Multo igitur magis id nunc obtinebit, in corruptionis statu, ut si quid sciendum est, discendum sit: quum revera mentem nudam, ut tabulam rasam, nobiscum afferamus, nec agere quidquam gnari, nec loqui, nec intelligere; sed e fundamento excitanda sunt omnia et vero id longe nobis accidit difficilius, quam futurum erat in perfectionis statu: quum et res obscuratae nobis sint, et ling vae confusae (ut pro una aliquot jam discendae sint, si quis doctrinae causa cum variis, vivis et mortuis, conversari velit): quinimo et vernaculae longe implicatiores redditae, nihilque nobiscum nascatur.

[note: 4. Et quia exempla, hominem, sine disciplina nihil nisi brutum fieri ostendunt.] 6. Exempla prostant, raptos in infantia quosdam a seris animalibus, et inter ipsa educatos, nihil supra bruta sapuisse, imo nec lingua, manibus pedibusque a belluis quidquam diversum potuisse, nisi rursum inter homines aliquantidum conversatos. Adjiciam unum et alterum exemplum: anno circiter 1540 in pago quodam hassiae, mediis syluis sito, accidit puerum trimulum, parentum incuria, amitti. Aliquot post annos observarunt rustici cum lupis procurrere animal quoddam forma diversum, quadrupes, sed vultu homini accedens: quod cum fermone increbuisset, jussi sunt a praefecto loci videre, si qua ratione vivum capi possit. Comprehenditur itaque et praefecto adducitur, tandem et landgravio casselas. Introductum in principis aulam, proripitse, fugit, abscondit sub scamnum, torvum prospectans, ululatumque

tetrum edens. Princeps inter homines nutriri jubet: quo facto, fera paulatim mansuescere, tum in pedes posteriores erigi, bipesque incedere, tandem intelligenter loqui, et homo fieri, incipit. Atque tum ille, quantum meminisse poterat, retulit, a lupis se raptum et enutritum fuisse, deinde cum illis praedas agere solitum. Describit historiam m. Dresserus in l. De nova et antiqua disciplina: ejusdemque meminit camerarius horis suc. Tomo 1. C. 7. Aliam ei non absimilem adjungens. Gulartius autem (in mirabilibus nostri seculi) anno 1563 accidisse scribit in galliis, ut nobiles aliquot venandi causa exirent, occisisque duodecim lupis tandem puerum quasi septennem nudum, cute flava, capillitio crispo, laqueis implicarent. Ungues habebat uncos, aquilae instar: sermo ei nullus, sed inconditus quidam mugitus. Delato in arcem compedes aegre injectae sunt, tam ferociebat: sed macerarum aliquot dienim fame mitescere caepit, et intra septimum mensem loqui. Circumducebatur spectaculo oppidatim, non exiguo domininorum quaestu. Agnovit tandem pro suo foemina quaedam pauper. Tam verum est quod plato (l. 6. De legib.) Scriptum reliquit: hominem mans vetissimum atque divinissimum esse animal, si vera disciplina fuerit mansuefactus si nulla, vel falsa, ferocissimum omnium quae terra producit.

[note: disciplina opus habent (1) hebetes et ingeniosi:] 7. Haec in genere, cultura omnibus esse opus. Jam si diversos hominum status circumspiciamus, idem reperire
erit. Stupidis etenim discipliuna esse opus, ad naturalem hebetudinem excutiendam, quis ambigat? Sed revera ingeniosi longe plus disciplina egent: quia mens sagax, si non fuerit utilibus occupata, seipsam inutilibus, curiosis, et perniciosis, occupabit. Ut enim ager, quo fertilior, eo uberiorem spinarum et carduorum segetem producit; ita ingenium excellens plenum est curiosarum cogitationum, nisi sapientiae et virtutum seminibus conseratur. Et que~admodum si non

---

Page 36/37, image: s041

Molendino rotanti frumentum, farinae materia, suppeditatur, seipsam atterit, et scobem conficiendo inutiliter puluerat, cum strepitu et fragore, vel etiam ruptura et partium dissilientia: sic animus agilis seriis destitutus, vanis, curiosis, noxiis, omnino se involuet, suique interitus caus a erit.

[note: (2) divites et pauperes.] 8. Divites absque sapientia, quid sunt nisi porci fursure saginati? Pauperes sine rerum intelligentia, quid nisi aselli oneribus damnati? Formosus indocilis, quid nisi psittacus, penna decoratus? Aut, ut quidam dixit, vagina aurea, cui plumbeus inest pugio?

[note: (3) praeficiendi aliis et subdendi.] 9. Qui aliis praeficiendi sunt aliquando, in reges, principes, magistratus, ecclesiarum pastores et doctores, hos sapientia prius imbui, tam est necessarium, quam viae ducem oculis; sermonis interpretem lingua, tubam sono, gladium acie, instrui. Pariter et subditi illuminandi sunt, ut sapienter imperantibus parere prudenter noverint: non coacte, obsequio asinino; sed lubentes, ordinis amore. [note: n. B.] Non enim clamoribus, carcere, fustibus, sed ratione, ducenda est rationalis creatura. Secus si fiat, contumelia redundat in deum, qui aeque in illis imaginem deposuit suam: resque humanae plenae erunt, uti sunt, violentiis et inquietudine.

[note: ommes igitur, sine ulla exceptione.] 10. Maneat itaque, omnibus qui homines nati sunt, institutione opus esse: quia ut homines sint, non bestiae feroces, non belluae brutae, non trunci inertes, opus est. Unde et illud consequitur, tanto aliis praecellere unumquemque, quanto aliis fuerit exercitatior. Concludat igitur caput hoc sapiens: qui nihili facit sapientiam et

disciplinam, miser est: etiam inanis spes illorum (nempe finem assequendi suum) et labores infructuosi, inutiliaque opera illorrum (sap. 3. 11.)

Cap. Vii. Formationem hominis commodissme fieri aetate prima: adeoque fieri, nisi hac, non posse.

[note: hominis et plantae similis ratio.] Ex dictis patet, hominis et arboris similem esse conditionem. Quemadmodum enim arbor fructifera (pomus, pyrus, ficus, vitis) a se quidem et per se excrescere potest, sed agrestis, agrestem proferens fructum: datura fructus placidos ac dulces, a perito arboratore plantari, rigari, putari, necesse habet. Ita homo in humanam quidem figuram (ut et brutum quodvis in suam) per se surgit, sed in animal rationale, sapiens, honestum, pium, exsurgere non potest, sine praevia surculorum sapientiae, honestatis, et pietatis, implantatione. Nunc ostendendum, est, plantationem ejusmodi fieri debere, dum, plantae novellae sunt.

[note: hominis formatio prima cum aetate inchoanda, 1. Ob vitae praesentis incertitudinem.] 2. Cujus rei, quantum ad homines, fundamentum est sextuplex. Primum, vitae praesentis incertitudo:qua exire oportere certum est, ubi autem, et quando, incertum. Imparatum vero aliquem abripi, res tanti periculi, ut revocari non possit. Praesens quippe tempus datum est, quo gratiam dei homo vel inveniat vel amittat in aeternum. Quemadmodum enim in matris utero homini corpus ita formatur, ut si quid membrorum inde non extulerit aliquis, per vitam totam iis carere necesse habeat: sic nobis in corpore viventibus anima in cognitionem et participationem dei ita formatur, ut si quis eam hic non fuerit consequutus, corpore egressis nullus ei rei superfuturus sit locus et tempus. Tanti momenti igitur negotium cum hic agatur, festinatione summa opus est, ne praeveniatur quisquam.

[note: 2. Ut ad vitae actiones, antequam agere incipiat, instruatur.] 3. Sed etsi mors imminens non urgeat, et vitae vel longissimae securus sis, nature tamen formatio incipere debet ideo quia vita non discendo, sed agendo traducenda est. Instrui igitur quam primum ad vitae actiones decet, ne antequam agere didicerimus desinere jubeamur. Imo etiamsi alicui discendo transmittere placeat aevum, infinita est rerum multitudo quam jucundae speculationi subjecit rerum conditor: ut si alicui nestorea contingat vita, habiturus tamen sit quod utilissime agat: excutiendo nimirum ubique repositos sapientiae divinae thesauros, eque illis vitae beatae praesidia sibi comparando. Mature itaque ad rerum contemplationem sensus reserandi sunt homini, cui multa per totam vitam cognoscenda, experiunda, exsequenda.

[note: 3. Omnia dum tenera sunt facillime formantur.] 4. Omnium nascentium haec indoles est, ut dum tenera sunt flectantur et formetur facillime, indurata obsequium recusent. Cera mollis fingi et refingi patitur: rigidam conteras facilius. Arbuscula plantari se, transplantari, putari, huc illuc flecti, permittit; arbor facta nullo modo. Sic nervum de ligno qui torquere vult, viride et novellum sumat oportet: vetus, aridum, nodosum, torqueri non potest. Ova recentia incubitu prompte incalescunt, pullosque edunt: de vetustis frustra id speres. Mango equum, arator bovem venator canem et accipitrem, ad operas (ut et circulator vrsum ad choreas, anus picam, corvum, psittacum ad humanas voces) adsuefacturi juvencos et pullos sibi deligunt: si vetulos, operam ludent.

[note: homo etiam ipse.] 5. Quae omnia in homine ipso eodem modo obtinent evidenter: cui cerebrum (quod, recipiendo per sensoria illabentes rerum imagines, ceram referre ante diximus) puerili aetate omnino humidum est, et molle, omnibus advenientibus simulachris recipiendis aptum: paulatim deinde siccescit et durescit, ut ei res difficilius imprimantur, aut

iusculpantur, experientia teste. Hinc ciceronis illud: pueri celeriter res innumer abiles arripiunt. Sic et manus, caeteraque membra

---

Page 38/39, image: s042

Non nisi pueritiae annis, dum nervi molles existunt, ad artes et opera exerceri queunt. Debet quis evadere bonus scriba, pictor, sartor, faber, musicus etc. Omnino ab ineunte aetate, dum imaginatio agilis est, et digiti flexiles, arti applicandus erit: alias nunquam rem faciet. Pariter igitur in cujus corde pietas radices agere debet, primis annis implantanda est; quem ad morum elegantiam concinnatum cupimus, molli aetate dedolandus est: cui in sapientiae studio magni progressus sunt faciendi, primis in annis ad omnia sensus ei reserandi sunt, dum ardor est flagrans, ingenium velox, memoria tenax. Turpis et ridicula res est, elementarius senex: juveni parandum, seni utendum. Inquit seneca epist. 36.

[note: 4. Homini laxissima adolescendi spatia data, non alio transferenda.] 6. Ad humanitatem ut formari posset homo, juventutis ei annos concessit deus, quibus ad caetera inhabilis, formationi solum aptus existeret. Certe enim equus, bos, elephas, et caeterae quantaecunque molis animantes, intra unum et alterum annum ad perfectam veniunt staturam: solus homo vix intra vigesimum aut trigesimum. Quod siquis fortuito, aut a secundis nescio quibus venire putet causis, nae ille stuporem prodet suum. Caeteris scilicet rebus omnibus suum cuique admensus est deus; soli homini, rerum domino, tempora sua temere labi permisit? Aut putabimus naturae in eo gratificatum, quo facilius lentis actibus hominis formaturam absolueret? Atqui nullo negotio vastiora corpora mensibus aliquot absoluit. Nihil igitur prorsus cogitandum restat, nisi quod deliberato consilio nobis. Gratificari dignatus sit creator noster, cum adolescendi injiceret moram, ut disciplinis exercendis laxiora essent spatia: faceretque nos ad curas oeconomicas et politicas tanto tempore inhabiles, ut ad reliquum vitae tempus (imo ad aeternitatem) eo redderemur habiliores.

[note: 5. Id solum firmum, quod prima imbibit aetas.] 7. Id solum in homine firmum et stabile est, quod prima imbibit aetas: quod iisdem exemplis patet. Testa odorem, quo imbuta fuit recens, servat dum frangitur. Arbor ut ramos explicavit tenella, sursum, deorsum, ad latera, ita eos per centenos retinet annos, usquedum exciditur. Lana coloris, quem imbibit primo, tam est tenax, ut transcolorari non pariatur. Rotae curvatura indurata, in mille frusta dissiliet citius, quam redeat ad rectitudinem. Eodem modo in homine impressiones primae admodum haerent, ut miraculi instar sit, reformari posse: eas: proinde prima statim aetate fieri ad veras sapientiae normas, consultissimum.

[note: 6. Non recte educari, summi res periculi.] 8. Denique, summi res est periculi, non imbui hominem salutaribus vitae praeceptis, a primis statim cunabulis. Quia enim animus hominis, quamprimum sensus exteriores officium facere incipiunt, quiescere nullo modo potest: non etiam se continere potest, quin, si non fuerit utilibus occupatus, vanissimis quibusque seipsum occupet, imo etiam (accedentibus malis corrupti seculi exemplis) noxiisquae post dediscere velle, aut impossibile fuerit, aut perdifficile, ut jam monuimus. Hinc mundus plenus est enormitatum, quibus sistendis nec magistratus polisici, nec ecclesiae ministri, sufficiunt, dum primis mali scaturiginibus obturandis non seria datur opera.

[note: conelusio.] 9. Quam igitur cuique suae prolis, rerumque humanarum praesidibus in politico et ecclesiastico regimine, humani generis salus cordi est, tam providere festinent ut tempestive coeli plantulae plantari, putari, rigari, et ad selices in literatura, moribus, pietateque capiendos progressus, prudenter formari, incipiant.

Cap. Viii. Juventutem simul formandum, scholisque opus, esse.

[note: liberorum cura proprie spectat ad parentes.] Demonstrato, paradisi plantulas, juventutem christianam, non posse syluae in morem crescere, sed egere cura: videndum jam, cui ea incumbat? Parentibus quidem nataralissime id competit, ut quibus auctores vitae fuerunt, auctores quoque sint vitae rationalis, honestae, sanctae. Abrahamo id solenne fuisse, testatur deus: novi eum, inquiens, quod praecipiet filiis suis et familiae suae post se, ut observent viam jehovae, exercendo justitiam et jus. (gen. 18. 19.) Quod idem a parentibus in universum requirit deus, ita mandans: acute ingeres verba mea filiis tuis, ac loqueris de eis cum sedes domi tuae, et quum ambulas per viam, quum cubas et quum surgis (deut. 6. 7.) Et per apostolum: vos patres, ne provocate ad iram liberos vestros, sed enutrite eos in disciplina et admonitione domini. (ephes 6. 4.)

[note: quibus tamen auxilio danturscholarum magistri.] 2. Quia tamen multiplicatis tam hominibus quam humanis negotiis, rari sunt, qui vel sciant, vel possint, vel ab occupationibus sufficiant, suorum institutioni vacare: salutari consilio jam pridem introductum est, ut personis delectis, rerum intelligentia et morum gravitate conspicuis, multorum simul liberi concredantur erudiendi. Quales juventutis formatores, praeceptores, magistri, ludimagistri, professores,

---

Page 40/41, image: s043

Appellari consueverunt: loca vero ipsa communibus illis exercitiis destinata, scholae, ludi literarii, auditoria, collegia, gymnasia, academiae, etc.

[note: scholarum origo, et incrementa 1.] 3. Primam aperuisse scholam, proxime a diluvio, semum patriarcham, josephus testis est: eamque postea hebraeam fuisse appellatam. In chaldaea,praesertim babylone, scholas fuisse frequentes, in quibus artes cum aliae, tum astronomia, excolebantur, quis est qui nesciat? Cum in hac chaldaeorum sapientia postea (nabuchodonosoris[note: 2.] Tempore) daniel sociique ejus instituti fuerint (dan. 1. 20.) Quemadmodum [note: 3.] Et in aegypto, ubi moses institutus fuit (act. 7. 22.) In populo vero israelitico, [note: 4.] Jussu dei oppidatim erectae erant scholae, synagogae dictae, in quibus levitae legem docebant: atque hae ad christum usque durarunt, ipsius quoque et apostolorum praedicationibus [note: 5.] Celebres. Ab aegyptiis graeci, et ab [note: 6.] His romani, scholarum erigendarum morem [note: 7.] Sunt mutuati: a romanis vero per universum imperium laudabilis scholas aperiendi consuetudo dimanavit: praesertim religione christi propagata, fideli principum et episcoporum [note: 8.] Piorum cura. De carolo magno testantur historiae, quamcunque paganam subegit gentem, mox illi episcopos et doctores ordinasse, templa et scholas erexisse: [note: 9.] Quem sequuti alii christianorum impaeratores, reges, principes, civitatumque magistratus, in tantum anxerunt scholarum numerum, ut innumerae sint.

[note: scholas ubique tandem aperendi explicatur] 4. Quam sanctam consuetudinem non solum retineri, sed et augeri, totius reipublicae christianae interest: ut nimirum in omni bene ordinata hominum cohabitatione (sive sit urbs, sive oppidulum, sive vicus) schola tanquam commune juventutis educatorium, erigatur. Id namque requirit.

[note: 1. Ordinis decor, observandus, ubique] 5. Rerum laudabilis ordo. Si namque paterfamilias non omnibus quibus ad oeconomiam indiget comparandis ipse vacat, sed opifices adhibet varios; quidni similiter hic fiat? Ille autem quum farina opus habet, molitorem adit; quum camibus, lanionem; quum potu, cauponem; quum vestitu, sartorem; quum

calceamentis, sutorem; quum aedificio, vomere, clavo etc. Fabrum lignarium, murarium, ferrarium, serarium, etc. Quin imo, ad instituendum in religione adultos, habemus templa: ad discutiendas litigantium causas, convocandumque et de necessariis informandum populum, praetoria et curia: quidni igitur pro juventute, scholas? Quin et porcos et vaccas rusticelli non quisque sibi pascunt: sed conductos alunt armentarios, qui omnibus pariter inserviant, illis interim reliqua negotia sua eo minore distractione peragentibus. Id scil. Perelegans est laborum compendium, quum unus unum agit, aliis non distractus: eo quippe modo quisque multis, et cuique multi, utiliter inservire possunt.

[note: 2. Necessitas] 6. Secundo necessitas. Quia enim rarius ipsi parentes ad liberos instituendos dexteritate valent, aut orio: abundant; consequens est ut sint, qui unum hoc agant ex professo, eaque ratione toti communitati consulatur.

[note: 3. Utilitas.] 7. Et quamvis non deessent parentes, quibus institutioni suorum vacare integrum esset, satius tamen est juventutem simul erudiri in caetu frequentiore: quia nimirum laborum et fructus et jucunditas major inest, quum alii ab aliis exempla sumunt et impetum. Agere enim, quae alios agere; et ire quo alios ire, videmus; et praecedentes sequi, sequentibus praeire, naturalissimum est.

Tum bene fortis equus reserato carcere currit,
quum quos praetereat quosque sequatur habet.

Infantilis praesertim aetas magis omnino exemplis quam regulis ducitur et regitur. Si quid praecipis, parum haeret: si quid alios facere commonstras, imitantur etiam non jussi.

[note: 4. Exemplae perpetua naturae.] 8. Tandem, exemplar nobis natura passim suppeditat, ea quae abunde provenire debent, uno aliquo in loco progignenda esse. Sic ligna in siluis, herbae in campis, pisces in aquis, metalla in terrae visceribus etc. Cumulatim nascuntur. Idque ita fere, ut quae silua abietes, vel cedros, vel quercus, profert, abunde proferat, caeteris arborum generibus non aeque feliciter ibi provenientibus: quae terra producit aurum, non producit eadem copia caetera metalla. Magis vero id quod volumus expreßum est in corpore nostro: ubi necessarium quidem est unumqyodque membrum particeps fieri assumti alimenti, non tamen unicuique sua portio cruda transmittitur, ut eam sibi conficiat, et adaptet: sed sunt membra certa, veluti negotio illi destinatae officinae, ut in totius corporis usum cibos assumant, incalefaciant, concoquant, paratumque demum alimentum membris caeteris distribuant. Ita ventriculus chylum format, hepar sang vinem, cor spiritum vitalem, cerebrum animalem: quae parata jam commode per omnia dimanant, vitamque in toto corpore jucunde conservant. Quidni ergo, quemadmodum officinae opisicia, templa pietatem, curiae justitiam, sustinent et administrant, ita scholae sapientiae lumen conficiant, depurent, multiplicent, totique humanae communitatis corpori distribuant?

[note: 5. Et artis.] 9. Denique in artificialibus, quum rationabiliter proceditur, obseroamus idem. Arborator certe syluas et dumeta parambulans, non ubicunque in aptam plantationi viviradicem incidit, ibi eam plantat; sed

---

Page 42/43, image: s044

Effossam transfert in pomarium, et cum aliis centenis simul curat. Ita piscibus multiplicandis, culinae in usum, qui dat operam, pisinas exstruit, millenosque simul foetificare facit. Et quo

majus pomarium, eo feliciores crescere solent arbores: quo major piscina, eo majores pisces. Quare ut piscibus piscinae, et arboribus arboreta, ita juventuti scholae, destinandae sunt.

Cap. Ix. Totam utriusque sexus juventutem scholis committendam esse.

[note: scholae debent communia esse iuventutis receptacula.] Non divitum tantummodo, aut primorum liberos, sed omnes pariter, nobiles et ignobiles, divites et pauperes pueros et puellas, per omnes urbes et oppida, pagosque et villas, scholis esse adhibendos, sequentia evincunt.

[note: 1. Quia omnes ad imaginem dei reformandi] 2. Primo quicunque homines nati sunt, eodem principali fine nati sunt, ut homines sint, id est, creatuva rationalis, creaturarum domina, creatoris sui expressa imago. Omnes itaque eo promovendi sunt, ut literis, virtutibus, religione, dextre imbuti, vitam praesentem utiliter transmittere, futurae autem digne praeparari, queant.apud deum personarum acceptionem non esse, toties ipse protestatur. Nos ergo si quosdam tantum ad ingenii culturam admittimus, aliis exclusis, injurii fumus non solum in ejufdem consortes naturae, sed in deum ipsum, qui ab omnibus, quibus imaginem suam impressit, agnosci, diligi. Laudari vult. Quod utique eo ferventius fiet, quo major cognitionis lux fuerit accensa. Tantumscilicet diligimus, quantum cognoscimus.

[note: 2. Omnes futurae vocationis suae muniis praeparandi] 3. Deinde non liquet nobis, ad quos usus hunc aut illum divina destinarit providentia. Hoc certe constat, e pauperrimis, abjectissimis, obscurissimis, nonnunquam deum eximia gloriae suae organa constituere. Imitemur itaque nos coelestem solem, qui universam collustrat, incalefacit, vivificat, terram: ut quidquid vivere, virere, florere, fructum ferre potest, vivat, vireat, floreat, fructum ferat.

[note: 3. Quidam anprimis (hebetes et maligni natura) valde juvandi.] 4. Nec obstat, aliquos natura habetes et stupidos videri: nam id universalem hanc animorum culturam magis etiam commendat et urget. Quo enim quis tardioris, aut malignioris naturae est, eo magis juvari opus habet, ut a bruta hebetudine ac stupore quantum potest liberetur. Nec tantam ingenii infelicitatem reperire est, cui nihil prorsus emendationis afferat cultura. Certe, ut vas foraminosum, saepe elutum, si nihil retinet aquae, tamen emundatur, et sit purius: ita hebetes et stupidi si nihil proficiant in literis, moribus: tamen emollientur, ut magistratui politico, et ministris ecclesiae, parere sciant. Constat nihilominus experientia, quosdam natura admodum tardos, scientiam tamen literarum assecutos, ut ingeniosos: etiam anteverterint; tam vere poeta illud, labor omnia vincit improbus pronunciavit. Quinimo, ut corpore nonnemo a pueritia egregie valet, dein aegrescit et macrecit; alius contra, juvenile corpusculum trahit morbidum, deinde convalescit, et in proceritatem assurgit: ita cum ingeniis comparatum est, ut quaedam praecocia sint, sed cito reddantur effaeta, et in obtusum quid desinant, alia primo hebescant, deinde exacuantur, et valide penetrent. Praeterea in pomariis arbores habere amamus non solas, quae praecocem ferant fructum, sed et medias, serotinasque: quia unumquodque suo tempore (ut syracides alicubi loquitur) laudem invenit; nec frustra fuisse, tandem aliquando, quamvis sero, ostendit. Eccur igitur in literario horto unius tantum generis ingenia, praecocia et agilia, tolerari velimus? Nemo proinde excludatur, nisi cui deus sensum aut mentem negavit.

[note: an sequior etiam sexus ad literas admittendus? Aff.] 5. Nec ulla sufficiens dari potest ratio, cur sequior sexux (ut de hoc peculiariter aliquid moneam) a sapientiae studiis (sive latinis literis, sive sermone patrio tradendis) omnino excludendus sit. Aeque enim imago dei sunt; aeque participes gratiae, et regni futuri seculi; aegue mente agili et sapientiae capaci (saepe supra sexum nostrum) instructae; aeque iis ad excelsa aditus patet, quum saepe ad regimen populorum, ad danda regibus et principibus saluberrima consilia, ad medicinae scientiam,

aliaque humano generi salutaria, etiam ad propheticum munus, et increpandos sacerdotes episcoposque, a deo ipso adhibitae fuerint. Cur igitur eas ad alphabeta quidem admittamus, a libris postea depellamus? Temeritatem metuimus? At quo plus cogitationes occupabimus; eo minus loci temeritas inveniet, quae a mentis vacuitate oriri solet.

[note: qua tamen cautione.] 6. Ita tamen, ne quaevis librorum farrago illis pateat (quemadmodum et alterius sexus juventuti: quod non cautius fuisse hactenus evitatum, deplorandum est:) sed libri e quibus cum vera dei operumque ejus cognitione, veras virtutes, veramque pietatem, haurire possent perpetuo.

[note: objectio soluitur.] 7. Nemo igitur mihi objiciat apostolicum illud, mulieri non permitto docere (1 tim. 2. 12.) Aut illud juvenalis, e satyra 6.

Page 44/45, image: s045

Non habeat matrona tibi quae juncta recumbit
dicendi genus; aut curtum sermone rotato
torqueat enthymema: nec historias sciat omnes.

Aut illud quod apud euripidem hippolytus loquitur:

Odi eruditam: ne meae unquam sit domi
quae plus sciat, quam mulierem scire expedit
namque eruditis ipsa majorem cypris
astutiam indit.

Haec inquam consilio nostro nihil obstant: quia non ad curiositatem usque, sed ad honestatem et beatitatem, foeminas erudiri suademus. In illis protissimum, quae eas nosse et posse addecet; tum ad procurandam digne rem familiarem, tum ad promovendam propriam et mariti, liberorumque et familiae, salutem.

[note: alia objectio.] 8. Si quis dicat: quid futurum est, si opifices, rusticelli, bajuli, adeoque mulierculae, literati fiant? Resp. Id futurum est, ut constituta legitimis modis hac universali juventutis institutione, nemini omnium [note: n. B.] Posthac desit bona cogitandi, optandi, sectandi, operandi etiam, materia. Sciantque omnes quo omnibus vitae actionibus et desideriis collimandum sit: per quos cancellos incedendum: et quomodo sua cuique statio tuenda. Praeterea oblectabunt se omnes, etiam inter operas et labores, verborum et operum dei meditatione: periculosaque carni et sanguini otia crebra bibliorum, aliorumque bonorum librorum, lectione (quo eos jam inescatos meliores istae illecebrae trahent) evitabunt. Et ut semel dicam, deum ubique videre, ubique laudare, ubique amplecti; eaque ratione vitam hanc aerumnosam jucundius transmittere, aeternam majori desiderio et spe exspectare, discent. Annon vero talis hic ecclesiae status paradisum nobis, qualem sub coelo haberi possibile est, repraesentaret?

Cap. X. Institutionem in scholis debere esse universalem.

[note: quae illa omnia, in scholis docenda et discenda.] Demonstrandum jam nobis est, in scholis omnes omnia docendos esse. Non tamen sic intellige, quasi ab omnibus omnium scientiarum et artium cognitionem (praesertim exactam et penitissimam) requiramus. Id quippe nec sua natura utile est, nec pro brevitate vitae nostrae cuiquam hominum possibile. Videmus enim unamquamque artem tam late, et tam subtiliter, diffundi (puta physicam, arithmeticam, geometriam, astronomiam etc. Imo agriculturam, vel arboratoriam etc.) Ut vel excellentissimis ingeniis, si speculationibus et experimentis indulgere velint, totam vitam auferre possit: qualiter pythagorae in arithmeticis, archimedi in mechanicis, agricolae in metallicis, longolio in rhetoricis (dum id unum ageret, ut perfectus evaderet ciceronianus) contigit. Sed ut omnium principalium, quae sunt et fiunt, fundamenta, rationes, metas, notare doceantur omnes, quicunque in mundum, non solum ut spectatores, sed etiam ut actores futuri, immittuntur. Ne scilicet in hoc mundi incolatu quidquam occurrat tam incognitum, de quo non modeste judicare, et ad usum certum prudenter, sine noxio errore, adhibere possint, id providendum, atque adeo praestandum est, omnino.

[note: nempe quae culturam spectant totius hominis:] 2. Prorsus itaque et sine exceptione, eo tendendum est, ut in scholis, et dehinc scholarum beneficio in tota vita. Ingenia scienitiis et artibus excolantur. 11 linguae perpoliantur, 111 mores ad omnem honestatem formentur, iv deus sincere colatur.

[note: sapientia, prudentia, pietas.] 3. Sapienter enim dixit, qui dixit, scholas esse humanitatis officinas: efficiendo nimirum, ut homines vere homines fiant, hoc est (ut ad positas prius respiciamus metas) i creatura rationalis, ii creatura creaturarum (etiam suiipsius) domina; iii creatura creatoris sui delicium. Quod fiet, si scholae efficere satagant homines mente sapientes, actionibus prudentes, corde pios:

[note: non divellenda esse tria ista, probatur.] 4. Haec tria proinde implantanda runt in omnibus scholis juventuti universae. Quod ostendam sumpto hujus rei fundamento

I. E rebus, quibus hic circumdamur.

Ii. E nobis ipsis.

Iii. E christo [gap: greek word(s)], perfectionis nostrae perfectissimo exemplari.

[note: i. E rerum ipsarum cohaerentia.] Res ipsae, quatenus nos respiciunt, non poßunt nisi trifariam dividi. Quaedam speculationi solum proposita sunt; ut coelum, et terra, et quae in illis sunt. Quaedam imitioni; ut ordo mirabilis per omnia sparsus, quem itidem actionibus suis exprimere jubetur homo. Quaedam denique fruitioni: ut numinis favor, multiplexque benedictio ejus, hic et in aeternum. His omnibus si par esse debet homo,

---

Page 46/47, image: s046

Condocefiat necesse est, tum cognoscere, quae ei in admirando hoc amphitheatro spectanda panduntur; tum facere, quae facienda injunguntur: tum denique iis perfrui, quoruniei (ut in domo sua hospiti) fruitionem liberali manu benignissimus offert creator.

[note: 2. Ex animae nostrae syntagmate.] 6. Nos ipsos si consideramus, omnibus ex aequo eruditionem, mores, pietatemque competere, aeque deprehendimus: sive quidem. Animae nostrae essentiam intueamur, sive creationis nostrae, et in mundum introductionis, scopum.

7. Animae essentia, e tribus potentiis (quae increatam trinitatem referunt) coagmentata est, intellectu, voluntate, et memoria. Intellectus ad observanda rerum discrimina (per omnes usque mini mas minutias) se extendit. Voluntas ad rerum optionem, proficuorum nempe electionem, et noxiorum reprobationem, fertur. Memoria vero ea in quibus intellectus et voluntas sese unquam occuparunt, in futurum usum recondit, animamque dependentiae suae (quae ex deo est) atque officii commonefacit: quo respectu conscientia etiam dicitur. Haec igitur munia sua facultates illae ut obire dextre possint, instrui eas plane necesse est talibus, quae intellectum illuminent, voluntatem dirigant, conscientiam exstimulent: quo intellectus acute penetret, voluntas line errore eligat, conscientia avide omnia in deum reflectat. Quemadmodum igitur facultates illae (iniellectus, voluntas et conscientia) quia eandem constituunt animam, divelli non possunt: ita tria illa animae ornamenta; eruditio, virtus, pietas, divelli non debent.

[note: nostraeque in mundum missonis sine.] 8. Jam si consideremus, cur in mundum simus inrroducti, patebit bis trinum esse scopum: nempe ut serviamus deo, creaturis, nobis, et voluptate perfruamur promanante ex deo, e creaturis, e nobis ipsis.

[note: (1) ut serviamus deo, proximis, nobisque ipsis.] 9. Inservire si volumus deo, proximo, nobis ipsis; necesse est nos habere dei respectu pietatem; proximi respectu honestatem; nostriipsorum respectu scientiam. Quanquam haec omnia tam sunt conjuncta, ut quemadmodum homo sibi ipsi non solum prudens, sed et moratus ac pius, esse de bet: ita proximi usibus non solum mores, sed et scientia pietasque servire: et in dei laudem non tantum pietas, sed et scientia moresque transire, debeant.

[note: (2) voluptate fruamur trina: promanante] 10. Voluptatem si spectemus, ad hanc destinasse hominem deus, in creatione testatus est, quum non nisi in mundum omnibus bonis undique jam instructum, introduceret, et insuper paradisum deliciarum ejus causa conderet: tandem aeternae suae beatitudinis participem reddere constituisset.

11. Voluptatem autem intellige, non corporis (quamvis etiam haec, quum nihil sit nisi valetudinis vigor, cibi somnique dulcedo, non aliunde quam a temperantiae virtute esse potest) sed animae: quae resultat vel e rebus, quae nos circumstant; vel e nobis ipsis; vel denique ex deo.

[note: (a) a rebus ipsis.] 12. Voluptas e rebus ipsis prosiliens est speculationum illa jucunditas, quam experitur vir sapiens. Quoquo enim se agit, et quidquid ejus obtutui se offert, quidquid etiam consideratione versat, ubique et in omnibus reperit illecebras tantae jucunditatis, ut saepe quasi extra se raptus, sui ipsius obliviscatur. Id nimirum est, quod testatur sapientiae liber, non habere amaritudinem conversationem sapientiae, neque taedium convictum ejus, sed laetitiam et gaudium (sap. 8. 16.) Et sapiens gentilis, [gap: greek word(s)].

[note: (b) a nobis ipsis.] 13. Voluptas in seipso, est dulcissima il la oblectatio, qua virtuti deditus homo sua interiore bona dispositione gaudet, ad omnia quae justitiae ordo requirit promptum se videns. Haec laetitia priore longe major est, juxta illud: conscientia bona juge convivium.

[note: (c) a deo.] 14. Voluptas in deo, est supremus laetitiae in hac vita gradus, cum homo deum aeterne sibi propitium sentiens, sic in paterno ejus et immutabili favore exultat, ut cor amore dei colliquescat: nec quid amplius aut faciat, aut desideret, novit, nisi quod misericordiae dei totum se immergens, suaviter acquiescit, et vitae aeternae gustu perfruitur. Haec est pax illa dei, exsuperans omnem intellectum (phil. 4. 7.) Qua nihil sublimius

vel desiderari, vel cogitari, potest. Tria igitur illa, eruditio, virtus, pietas, tres sunt fontes, e quibus omnes perfectissimarum voluptatum rivi permanant.

[note: 3, e christi, exemplaris nostri, exemplo.] 15. Postremo tria haec omnibus et singulis inesse debere, suo docuit exemplo manifestatus ille in carne (ad exhibendum in se omnium formam et normam) deus. Hunc enim cum aetate proficeret, profecisse simul sapientia et gratia apud deum et homines, evangelista testatur (luc. 2. 52.) Ubi ecce beatam illam ornamentorum nostrorum trigam! Sapientia enim quid est, nisi rerum omnium ita ut sunt cognitio? Gratiam apud homines quid confert, nisi morum amabilitas? Gratiam vero dei quid nobis nisi timor domini conciliat? Intima scilicet, seria, et fervida pietas? Hoc itaque sentiamus in nobis, quod in christo jesu: qui omnis perfectionis idea est absolutissima, cui nos conformari decet.

Page 48/49, image: s047

16. Ideo enim dixit, discite a me (mat. 11. 29.) Et quia idem christus generi humano datus est doctor illuminatissimus, sacerdos sanctissimus, rex potentissimus: patet christianos ad christi exemplar formandos, efficiendosque esse mente illuminatos, conscientiae studio sanctos, factis (in sua vocatione quemque) potentes. Christianae igitur vere tum demum erunt scholae nostrae, si nos christo faciant quam simillimos.

[note: infelix divortium.] 17. Infelix proinde divortium, ubicunque tria haec non adamantino nexu cohaerent. Infelix eruditio, quae non in mores et pietatem transit! Literatura enim sine moribus quid est? Qui proficit in literis et deficit in moribus (vetus est verbum) plus deficit quam proficit. Ergo quod salomo de formosa, sed rationem aversante, muliere, dixit, hoc idem de literato, sed male morato, dici potest: monile aureum in rostro porci, est eruditio in homine virtutem aversante (prov. 11. 22.) Quemadmodumque gemmae non inseruntur plumbo, sed auro, et radiat utrumque splendidius: ita scientia non debet jungi dissolutioni, sed virtuti, et addet alterum alteri decus. Ad utrumque autem ubi accesserit pietas vera, complebitur perfectio. Timor quippe domini, ut est principium finisque sapientiae, ita etiam est fastigium et corona scientiae, quia plenitudo sapientiae, est timere dominum (prov. 1. Syr. 1. Et alibi:)

[note: conclusio.] 18. Summa, quoniam a puerili aetate atque institutione tota reliqua vita pendet, nisi ad omnia totius vitae hic praeparati fuerint omnium animi, actum erit. Quemadmodum igitur in matris utero cuivis homini futuro eadem formantur membra, singulis omnia, manus, pedes, lingua, etc. Quanquam non omnes futuri sint opifices, cursores, scribae, oratores: ita in schola omnia illa quae ad hominem spectant, omnes docendi sunt, etiamsi alia aliis post magis futura usui.

Cap. Xi. Scholas fini suo perfecte respondentes, defuisse hactenus.

[note: fini suo exacte respondens schola, quid.] Nimium nimiumque praesumptuosus videbor, confidenti hac pronunciatione. Sed ad rem ipsam provoco: et te qui haec legis judicem constituo; ipse non nisi actorem repraesentans. Perfecte fini suo respondentem voco scholam, quae vera hominum officina sit: ubi scilicet discentium mentes sapientiae fulgore, ad penetrandum prompte per omnia manifesta et secreta (ut sapientiae liber loquitur 7. 17.)

Tingantur: et animi, aminorumque affectus, in universalem virtutum harmoniam dirigantur, et corda divinis amoribus inescentur, adeoque inebrientur; ut coelestem jam nunc sub coelo vivere consuescant vitam omnes, qui vera sapientia imbuendi christianis traditi sunt scholis. Verbo: ubi omnes, omnia, omnino, doceantur.

[note: scholas tales debere esse, nec tamen esse, probatur.] 2. At quae adhuc schola haec sibi eo perfectionis gradu proposuit? Nedum ut assequutam dicamus. Sed ne platonicas videamur venari ideas, et perfectionem qualis nusquam est, nec in hac vita forsan sperari possit, somniare: alio ostendam argumento, scholas debere tales esse, nec tamen adhucdum esse.

[note: i. D. Lutheri voto.] 3. D. Lutherus, in sua ad civitates imperii pro erigendis scholis (anno 1525.) Exhortatione, inter caetera haec duo optat. Primo, ut per omnes vrbes, oppida, pagos, scholae constituantur, ad erudiendam omnem utriusque sexus juventutem (qualiter fieri debere nos capite ix rationibus evicimus): adeo ut agriculturae etiam et opificiis dediti, vel duas quotidie horas ad scholam recurrentes, in llteris, moribus, religione, instituantur. Secundo, ut aliqua faciliore methodo instituantur: qua non solum non deterreantur a studiis, sed potius velat illecebris quibusdam alliciantur: et ut loquitur, ut non minorem voluptatem pueri e studiis capiant, quam quum nucibus, pila, cursu, lusitando, totos dies transigunt. Haec ille.

[note: 2. Rerum ipsarum testimonio. Nam] 4. Cordatum profecto, et tanto viro dignum consilium! Sed quod intra votum substitisse hactenus, quis non videt? Ubi enim universales illae scholae? Ubi blanda illa methodus?

[note: (1) scholae nondum ubique sunt fundatae.] 5. Contraria videmus omnia: dum (1) per minores illas communitates, pagorum aut vicorum, nondum ubique fundatae sunt.

[note: (2) nee ubi sunt, ut pro omnibus sint providetur.] 6. Ubi vero sunt, non pro omnibus promiscue sunt, sed pro quibusdam, opulentioribus nempe: quia sumtuosae quum sint, pauperiores ad eas non nisi casu aliquando, alicujus scilicet misericordia, admittuntur. In his autem excellentia nonnunquam ingenia, magno ecclesiae et rerumpublicarum damno, transire et perire, verisimile est.

[note: (3) non sunt ludi, sed pistrina.] 7. In erudienda porro juventute tam dura plerumque adhibita fuit methodus, ut scholae vulgo pro puerorum terriculamentis, et ingeniorum carnificinis, habitae sint; potiorque discipulorum

---

Page 50/51, image: s048

Pars, literarum et librorum naufea contracta, ad opificum tabernas, vel aliud quodvis vitae gerius, praefestinarint.

[note: 4. Nusquam omnia docentur, neque primario.] 8. Qui fuerunt retenti (sive parentum et promotorum voluntate coacti, sive dignitatis alicujus e literis olim consequendae spe allecti, sive spontaneo naturae ad liberalia haec impetu) illis nec serio, nec prudenter saris, praepostere potius et perperam, cultura fuit adhibita. Nam quod praecipue debebat animis implantari, id praecipue negligebatur, pietas et mores. Horum inquam ubique scholarum (etiam in academiis, quas tamen humanae culturae fastigium esse conveniebat) minor fuit cura: ut plerumque inde, pro placidis agnis feri onagri, indomitique et penilantes muli prodirent: et pro composita ad virtutem indole, furcatam tantummodo morum civilitatem, fastuosum aliquem exoticum vestitum, et ad mundanas vanitates exercitatos oculos, manus,

pedes, efferrent. Quotocuique enim ex his tamdiu studiis linguarum et artium poliris homullulis, ut caeteris mortalium temperantiae, castitatis, humilitatis, humanitatis, gravitatis, patientiae, continentiae etc. Exemplar essent, in mentem veniebat? Unde autem id? Nisi quia de bene vivendo scholis quaestio nulla movetur. Testatur id dissoluta omnium pene scholarum disciplina, testantur dissoluti omnium ordinum mores, testantur infinitae multorum piorum querelae, suspiria, lachrymae. Et defendat scholarum statum adhuc aliquis? Haereditarius scilicet a protoplastis in nos derivatus morbus occupat nos, ut arbore vitae posthabita, ad scientiae arborem solam inordinate appetitum extendamus. Cui inordinato appetitui morem gerentes scholae, hactenus non nisi scientias venatae sunt.

[note: 5. Methedo non fluida, sed violenta.] 9. Sed et hoc ipsum quo ordine? Quo successu? Tali certe, ut quod menti humanae intra anni spatium comprehendere datum et, in eo quinque, decem, plures annos, detinerent. Quod lenissime animis instillari, et infundi poterat, id violenter imprimebatur, imo infarciebatur et inumdebatur. Quod perspicue et dilucide ob oculos poni poterat, id obscure, perplexe, intricate, velut per aenigmata mera, offerebatur.

[note: 6. Eruditio propinatur verbalis potius quam realis.] 10. Ut inpraesentiarum taceam, vix uspiam rerum veris nucleis pastos fuisse animos, verborum (ventosae cujusdam et psittarceae loquacitatis) corticibus, opinionumque paleis aut fumis, explebantur plerumque.

[note: 7. Latinae l. Studium quam prolixum et perplexum.] 11. Vel solius latinae linguae (ut id exempli causa obiter tangam) studium, bone deus quam intricatum, quam operosum, quam prolixum fuit! Promptius lixae, et calones, et cerdones quicunque inter culinarias, militares, aliasque sordidas operas, addiscunt quamvis a vemacula sua discrepantem linguam, imo duas vel tres, quam scholarum alumni, in summo orio, summa contentione, unicam latinam. Et quam inaequali profectu? Illi post menses aliquot expedite sua garriunt: hi post quindecim etiam aut viginti annos, plerumque adhuc nonnisi serperastris suis grammaticis et lexicis, alligati, quaedam illa latine proferre posssunt: et ne illa quidem sine haesitantia et titubatione. Quod pessimum temporis et laborum dispendium, unde nisi a vitiosa methodo, venire potest?

[note: querela de hoc d. Lubini.] 12. De qua merito clarissimus eilhardus lubinus, s. S. Theologiae doctor, et in acad. Rostoch professor, ita scripsit: vulgata illa pueros in scholis instituendi ratio talis mihi videtur prorsus; ac si quis conducta opera et studio jussus fuisset modum aut rationem aliquam excogitare, qua praeceptores pariter et discipuli, non nisi immensis laboribus, ingentibus taediis, insinitis aerumnis, et non nisi longissimo demum temporis intervallo, ad latinae linguae cognitionem, illi adducerent, hi addncerentur.

Quae quoties repeto, vel iniqua mente revoluo,
concutior toties, penitisque horrresco medullis.

Et paulo post. Haec dum saepius mecum expendo, non semel, fateor, in illam cogitationem adductus sum, ut a malo quodam et invido genio, humani generis hoste, in scholas haec introducta esse, prorsus persuasum habeam. Haec ille; quem unum, e multis majorum gentium testibus, sistere hic volui.

[note: et auctoris.] 13. Quanquam testes quaeri quid opus? Tot nostrum sunt, quot e scholis et academiis prodiimus vix umbra verioris alicujus literarurae tincti. Millibus e multis ego quoque sum unus, miser homuncio, cui amaeniffimum vitae totius ver, florentes juventutis anni, nugis scholasticis transmissi, misere perierunt. Ah quoties mihi, postquam melius prospicere datum,

perditae aetaris recordatio, pectore suspiria, oculis lachrymas, corde dolorem, excussit! Ah quoties me dolor ille exclamare coegit:

O mihi praeteritos referat si juppiter annos!

[note: querelae ac vota in meliora quaerendi conatum transfcrenda.] 14. Sed vota haec irrita sunt: dies quae transiit, non redibit. Nemo nostrum quibus

---

Page 52/53, image: s049

Transacti sunt anni, rejuvenescet, ut denuo aetatem ordiri, vitaeque meliore apparatu seipsum instruere discat; nullum superest illi rei consilium. Hoc unum superest, unum solum possibile, ut quidquid posteris nostris consulere possumus, consulamus: ut nempe commonstrato, qua nos praeceptores nostri in errores praecipitarint, eadem errores evitandi commonstremus viam. Quod fiet, ejus nomine et ductu, qui solus defectus nostros numerare, et curvitares corrigere, potis est (eccles. 1. 15.)

Cap. Xii. Scholas reformari posse in melius.

[note: inveteratis an medicina adbibenda morbis?] Inveteratos curare morbos, durum est ac difficile, peneque pro impossibili habetur. Si quis tamen reperiatur remedium pollicens, an respuat aeger? Annon potius quam ocyssime manum adhiberi optet? Praesertim si medicum non temeraria opinione, sed ratione solida, duci sentiat. Eo itaque nobis in hoc insolenti proposito nostro veniendum est, ut primum, quid promitamus? Deinde ex quo fundamento? Palam fiat.

[note: auctor quid hic proponat et promittat?] 2. Promttimus aurem scholarum talem dispositionem: per quam.

I omnis juventus (nisi cui deus. Mentem negavit) informetur.

Ii et quidem omnibus illis quae hominem sapientem, probum, sanctum, facere possunt.

Iii formaturaque illa, tanquam vitae praeparatio, ut ante, atatem adultam absoluatur.

Iv eadem formatura ut procedat absque plagis et rigore, coactioneve ulla levissime, mollissime, et quasi sua sponte. (qualiter corpus vivum staturae suae augmenta sumit, nulla membrorum dispasione, aut distensione, opus habens: quia si tantummodo prudenter alimenta et fomenta, exercitiaque suppedites, corpus ultro in staturam et robur, sensim sine sensu, exsurgit: ita inquam ut prudenter animo suppeditata alimenta, fomenta, exercitamenta, in sapientiam virtutem, pieratem, ultro transeant.)

V ut ad eruditionem non speciosam, sed veram, non superficialem, sed folidam, formentur; id est, ut rationale animal, homo, non aliena, sed propria ratione duci; nec aliena solum de rebus placita in libris legere et intelligere, aut etiam mehmoriter tenere et recitare, sed ipsemet ad rerum radices penetrare, earumque genuinum intellectum et usum sibi comparare, consuescat de morum et pietatis soliditate idem tenendum.

Vi ut formatura haec non operasa. Sit, sed facillima: nempe non nisi quatuor horas quoridie tribuendo publicis exercitiis: et quidem ita, ut praeceptor unicus vel centenis simul erudiendis sufficiat, decuplo faciliore opera, quam quanta nunc in singulos impendi solet.

[note: indoles hominum circa nova inventa illustratur exemplo archimedeae machinae.] 3. At his fidem quis antequam videat habebit? Nota quippe est morialium indoles, ut antequam inveniatur aliquid singulare, mirentur, quomodo inveniri possit: postquam vero invetum est, mirentur quomodo non pridem inventum fuerit. Archimedes cum hieroni regi navis praegrandis, quam centeni homines loco movere non poterant, una manu ad mare deductionem promitteret, risu suit exceptus: sed viderunt tandem cum stupore.

[note: et novi orbis.] 4. Columbum, novas in occidente sperantem insulas, nemo regum. Audire, et faciendo experimento tanrillum conferre, castellano excepto, voluit. Comites ipsos navigationis, prae desperatione toties indignatos, parumque abfuisse quin columbo in mare praecipitato, re infecta rediissent, historia memorat. Et inventus tamen ille tam vastus novus orbis est, et miramus nunc jam universi, quomodo latitare patueris tamdiu. Sed et jocosum illud ejusdem columbi factum huc spectat: qui cum ab hispanis, homini italo tanti inventi gloriam invidentibus, inter convivandum dicteriis impeteretur, et inter caetera, fato detectum esse alterum istud hemisphaerium, non arte, potuisseque ab alio quocunque inveniri, audiret: problema elegans objecit. Quomodo possit ovum gallmaceum acuminatae suae parti insistere, nullo adhibito fulcro? Quod cum omnes frustra tentassent, ille allisa leniter ad discum, et infracta paulum testa, ovum stare fecit. Ridere illi, et tantundem se posse, clamare. Potestis, inquie, quia posse vidistis: cur autem ante me nemo?

[note: et artis typographicae.] 5. Idem fuisse futurum credo, si johannis faustus, artis typographicae inventor divulgare caepisset, modum sibi esse, quo unus homo intra octiduum plures libros describat, quam vulgo decem excitarissimi scribae toto anno: et fore libros elegantissime scriptos, amnia exemplaria eadem forma, an ultimum usque apicem: et fore emendatissima omnia, modo unum satis esset correctum etc. Quis fidem adhibuisset? Cui haec non aenigmata fuissentuisa? Aut certe vana et inutilis jactantia? Ecce tamen pueri jam nonent verissime ita rem habere.

[note: et bombardariae.] 6. Si bartholdus schwariz, aeneorum tormentorum inventor, sagirtarios fuisset talibus verbis adortus: arcus vestri, ballistae vestrae, fundae vestrae, parum valent. Ego instrumentum dabo, quod mulla brachiorum

---

Page 54/55, image: s050

Adhibita vi, solo ignis ministerio, non solum lapides et ferrum ejaculabitur, sed et longius propellet, et certius obvia feriet, validinsque concutiet ac sternet: quis eorum non risu excepisset hominem? Tam usitatum est nova, et inusitata, pro miris et incredibilibus reputare.

[note: et scriptoriae.] 7. Nec americani certe. Imaginari sibi poterant, quomodo fieri posset, ut homo homini sine alloquio, sine internuntio, sola transmissa chartula, animi sui sensa communicaret: quod apud nos bardissimi quique inteiligunt. Ita prorsus ubique, et in omnibus,

Ardua visa olimrisus sunt posteritati.

[note: methodi perfectae inventatio etiam censuris subjacet.] 8. Non aliter eventurum novo huic incepto nostro, facile praesagit animus: quin et partim jam experti sumus. Mirabitur scilicet et indignabitur nonnemo, esse homines, qui scholis, libris, methodis, usu receptis, imperfectionem objicere, et nescio quid insolitum et fidem superans, pollicitari audent.

[note: quibus quomodo obviandum.] 9. Et nobis quidem facile esset ad eventum assertionis nostrae verissimum futurum (ita deo meo confido) testem, provocare: quia tamen haec in antecessum non rudi vulgo, sed prudentibus, scribimus, demonstrandum est; fieri posse ut omnis juventus literis, moribus, pietate, imbuatur, sine omni tali molestia et difficultate, qualem vulgari methodo, tam docentes quam discentes experiuntur passim.

[note: demonstrationis scientificae fundamentum:] 10. Ejus autem demonstrationis unica haec, sed sufficientissima, esto basis: quod nimirum una quaeque res eo se quo natura inclinat, non solum facile duci patitur, sed et ultro, cum lubentia quadam, festinat, ut dolor sit si probibeas.

[note: explicatum,] 11. Avem enim certe ut volitare, piscem ut natare, feram ut cursitare, consuescat, nihil necesse est adigi: faciunt id ultro quam primum sibi actionibus illis destinata membra, saris esse firma sentiunt. Nec opus adigi aquam, ut per declivia fluat: aut ignem, ut dato alimento et transpiratione, ardeat: aut lapidem rotundatum, ut deorsum voluatur; vel quadratum, ut jaceat: aut oculum et speculum, ut lumine admoto objecta excipiant: aut semen, ut humore et calore fomentatum germinet. Sponte sua profecto unumquodque, ut operari natum aptum est, ita operari gestit; adjutum autem, etiam lenissime, operatur.

[note: et applicatum.] 12. Cum igitur (ut capite v. Vidjmus) scientiae, morum, pietatisque semina a natura insint hominibus universis (monstra hominum excipimus): necessario sequitur nihil eis nisi lenissimo impetu, et prudenti quadam directione, esse opus.

[note: objectio i.] 13. At non ex quovis ligno fit mercurius, inquiunt. Respondeo: sed ex quovis homne sit homo, si corruptela absit.

[note: obj. 2.] 14. Nihilominus tamen (regerat aliquis) interiores nostrae vires ex lapsu primaevo infirmatae sunt. Respondeo: sed non extinctae. Etiam sane corporis vires debilitatae sunt, eas tamen ad naturalem vigorem incessu, cursu, operarumque artificiosarum exercitiis, reducere novimus. Nam tametsi protoplasti simulac fuerunt creati, ambulare, loqui, ratiocinari poterant: nos vero ambulare, loqui, rariocinari, nisi usu edocti, non possemus: non tamen ideo sequitur, disci haec aliter quam perplexe, operose in incertum, non posse. Nam se ea quae corporis sunt, edere, bibere, ambulare, saltare, opificia exercere, absque difficultatibus tantis discimus: quidni et ea quae mentis sunt? Modo legitima non desit institutio. Amplius quid addam. Addocet equiso intra menses aliquot equum tolutim incedere, saltare, gyrari, ad virgae nutum motus componere. Edocet levis circulator vrsum agere choreas, leporem pulsare tympana, canem arare, digladiari, divinare etc. Instruit frivola anus, psittacum, picam, corvum, humanas voces, aut melodias, imitari etc. Omnia haec praeter naturam, ac tempore exiguo. Et non poterit homo, in us ad quae eum natura, non dico admittit, aut ducit, sed trahit et rapit, facili negotio institui? Pudeat id asseverare, ne vel bestiarum illi formatores cachinnis nos excipiant.

[note: obj. 3.] 15. Sed ipsa rerum difficultas facit, oggerunt adhuc, ut non quisque capiat. Resp. Quae illa difficoltas? Estne quaeso ullum in natura tam obscuro colore corpus, quod non a speculo excipi possit, modo lumine adhibito commode obvertas? Estne quidquam quod in tabula depingi non possit, modo pingat qui pingendi artem novit? Daturne ullum semen, aut

radix, quam non terra excipere, et fotu suo ad germinationem producere possit? Modo sit qui sciat, ubi, quando, quomodo, unumquodque serendum sit. Addam hoc: non datur in mundo tantae sublimitatis vel rupes, vel turris, quam non conscendere possit cuicumque pedesnon desunt: modo vel scalae admoveantur legitime, vel scansiles gradus in ipsa rupe excisi, justo situ et ordine efformentur, adversusque praecipitii pericula loricis circummuniantur. Quod igitur ad scientiarum fastigia tam pauci perveniunt, quamvis multi accedant animo alacri et praeavido: et qui aliquousque veniunt, non nisi cum labore, anheliru, languore et vertigine, caespitantes et recidentes identidem, perveniunt: non inde conficitur ingenio humano aliquid

---

Page 56/57, image: s051

Esse inaccessum, sed gradus non bene dispositos, curtos, foraminosos, ruinosos esse, id est methodum intricatam. Per legitime dispositos, integros, solidos, tutos in quamcunque alritudinem quemvis deduci posse, certum est.

[note: obj. 4. Resp. 1.] 16. Dices. Dantur nihilominus hebetissima ingenia, quibus nihil ingeri potest. Resp. Vix tam inquinatum datur speculum, quin aliquo tamen modo imagines recipiat: vix tam scabrosa tabula, quin ei aliquid tamen, et aliquo modo, inscribi possit. [note: resp. 2.] Interim, si speculum puluere aut maculis impuratum offertur, detergendum est prius: tabula vero si scabrosa, expolienda; ita usum non negabunt. Pari ratione juventus, si modo poliatur et acuatur, exacuentur et expolientur certe alii ab aliis, ut omnes omnia capiant [note: n. B.] Tandem. (immote insisto assertioni meae, quia immotum stat fundamentum). Hoc duntaxat apparebit diserimen, quod tardiores quali quali rerum cognitione imbutos se sentient, senrient tamen: ingeniosiores vero ad alia ex aliis extenso appetitu, altius altiusque in res penetrabunt, novasque et utilissimas de [note: resp. 3.] Rebus varie colligent observationes. Denique, sint ingenia quaedam culturae. Plane inepta, ut lignum plane tortum caelaturae: nostra tamen assertio vera erit de ingeniis mediocribus, qualium per dei [note: n. B.] Gratiam semper est proventus uberrimus. Nimium inopes mentis tam raros videmus, ac membrorum per naturam defectos. Certe enim caecitas, surditas, claudicatio, invaletudo, rarenter cum hominibus nascuntur, sed contrahuntur nostra culpa: ita et cerebri prodigiosa hebetudo.

[note: 5. Objectio] 17. Adhuc objiciunt: quibusdam non aptitudinem studiorum deesse, sed appetitum, quos invitos cogere taediosum simul et inutile. Respondetur. Ita sane philosophum scribunt, quum duos haberet discipulos, alterum indocilem alterum petulantem, abegisse utrumque: quandoquidem alter cum vellet non posset, alter cum posset nollet. [note: resp.] Verumenimvero quid si fastidii illius erga literas praeceptores ipsi causa sint? Aristoteles certe sciendi desiderium homini esse innatum pronunciavit: atque ita esse capite quinto, et hic proxime praecedente undecimo, vidimus. Sed quia blanda parentum indulgentia aliquando naturalem appetitum in liberis depravat: aliquando eos petulans sodalitium ad rerum vana inescat: aliquando ipsi pueri, variarum civilium vel aulicarum occupationem, aut quarumcunque externarum rerum intuitu, ab innatis animi illecebris abducuntur; inde est, ut ignoti nulla sit cupido, nec facile se recolligere queant. (quemadmodum enim lingua uno sapore infecta, non bene alium dijudicat: ita mens ab una parte praeoccupata, quid offeratur ab altera non satis attendit.) Excutiendus ergo in talibus primum est adventitius ille torpor, et natura ad vigorem suum reducenda: sciendi appetitus redibit certo. At quotusquisque eorum qui juventutem formandam suscipiunt, ut eam sibi formationi suscipiendae aptam primo reddat, cogitat? Ut nempe quemadmodum tornator lignum antequam tornet, deasciat: et faber ferrum antequam cudat, emollit: et pannifex lanam, antequam ex ea fila trahat, et staminet, et contexat, purgat prius, abluit, carminat: et.

Sutor corium antequam calceum consuat, elaborat, extendit, perpolit? Ut inquam eodem modo discipulum praeceptor antequam praeceptis excolit, culturae prius appetentem, imo et culturae aptum, atque adeo per omnia sibi obsequentem, reddat, quis in id intendit? Quisque fere qualem invenit talem adoritur, mox tornat, mox cudit, mox pectit, mox texit, mox modulis applicat suis, mox politum esse et nitere vult: quod nisi illico ex voto succedit (et quomodo succedat, obsecro?) Indignatur, excandescit, furit. Et miramur esse, qui talem: formationem detrectent, ac refugiant? Mirandum potius sustinere quenquam posse.

[note: ingeniorum discrimina, sex generum.] 18. Sed occasio datur de ingeniorum discrimine monere aliquid, nempe quod quaedam sint acuta, alia otusa: quaedam mollia et sequacia, alia dura et praefracta: quaedam literarum per se avida, alia mechanicis potius sese oblectantia. Atque ex hoc ter bino genere, sextuplex ingemorum temperatura exsurgit.

[note: i.] 19. Primo loco sunt acuti, et avidi, et tractabiles, soli prae omnibus maxime ad studia idonei: quibus nihil opus nisi sapientiae pabula ministrari, adolescunt ultro generosae plantae instar. Prudentia tantummodo opus, ne festinare nimis permittantur, quo ne ante diem deficiant, et sterilescant.

[note: ii.] 20. Alii, sunt acuti, sed lenti, obsequiosi tamen. Hi calcaribus solum indigent.

[note: iii.] 21. Tertio, sunt acuti, et avidi, sed feroces et praesracti. Tales vulgo scholis exosi sunt, et plerunque pro desperatis habentur: qui tamen in viros maximos evadere solent, si recte instituantur. Exemplum historiae proponunt in themistocle, magno atheniensium duce: qui adolescens

---

Page 58/59, image: s052

Feroci fuit ingenio (ut praeceptor ad cum diceret: nihil mediocre futurus es, o puer: nam aut magnum bonum eris reipublicae, aut magnum malum) hujus cum postea mutatos mores quidam mirarentur, ille dicere solebat: indomitos pullos in optimos evadere equos, si eis recta adhibeatur disciplina. Quod in alexandri magni bucephalo ita deprehensum est. Cum enim alexander videret patrem philippum equum praeferocem, nec ullum sessorem tergo patientem, velut inutilem abjicere: qualem, inquit, equum isti perdunt, dum illo per imperitiam uti nesciunt? Cumque mira arte, sine verberibus, equum tractasset, obtinuit ut non solum tunc, sed perpetuo posthac, alexandrum vectaret, nec alius generosior et tanto heroe dignior equus reperiri posset toto orbe. Quam historiam referens plutarchus, subdit: equus ille admonet nos, multa bene nata ingenia perire vitio instisuen ium, qui et quos vertunt in asinos, quia erectis et liberis imperare nesciunt.

[note: iv.] 22. Quarto, sunt obsequiosi, discendique simul avidi, sed tardi et hebetes. Atque tales praecuntium possunt insistere vestigiis: et ut possint, condescendendum est infirmitati, nihil graviter imponendo, nihil acriter exigendo, benigne potius ubique tolerando, sublevando, confirmando, et erigendo, ne animum despondeant. Tales quippe serius licet ad metam perveniant, melius tamen durant, ut serotinorum fructuum mos est. Et ut sigillum plumbo quidem imprimitur difficilius, perennat tamen diutius: ita hi vivaciores sunt plerumque ingeniosis, nec illis apprehensa semel tam facile effluunt. Non proinde a scholis arcendi.

[note: v.] 23. Quinto, nonnulli sunt hebetes, et insuper languidi ac segnes: qui modo absit pertinacia, corrigi adhuc possunt: sed hic magna prudentia et patientia opus.

[note: vi.] 24. Ultimo loco sunt hebetes, iidemque contortae ac malignae naturae, perditi plerumque. Quia tamen per universam naturam exitiosis reperiri antidota, et arbores natura steriles plantatione legitima fieri fructiferas, certum est: non desperandum erit omnino, sed videndum ut pertinacia saltem expugnari ac removeri possit. Si non poterit, tum demum deserendum erit contortum et nodosum lignum, e quo frustra mercurium fingere speres. Cariosam terram neque coli neque tangi oportet, inquit cato. Tale tamen, tam degener ingenium, inter millena vix reperias unum: quod benignitatis dei documentum est insigne.

25. Summa dictorum ad plutar chianum illud redit: quales nascantur liberi nulli in manu est: at ut recta institutione evadant boni, nostrae potestatis est. Ecce, nostrae potestaris! Inquit. Certe enim arborator e qualicunque viviradice gignit arborem, plantationis suae eandem ubique adhibens artem.

[note: omnia tamen eadem arte ac methodo tractari posse, quadrifariam demonstratur. I. Ii. Iii.] 26. Posse autem una. Eademque methodo omnem tam diversae indolis juventutem, institui ac formari, quatuor sequentia ostendunt.

27. Primo, omnes homnes adeosdem sapientiae, morum, sanctiratisque sines promovendi sunt.

28. Deinde, omnes homines. Quomodocunque ingeniis differant, unam eandemque humanam naturam usdem instrustam organis, obunent.

29. Tertio, ingeniorum illa diversitas, nihil est aliud quam naturalis barmoniae excessus et defectus, eodem modo quo corporis morbi excessus sunt humidi aut sicci, calidi aut frigidi. Ex: gr. Ingenii acumen, quid est nisi spirituum animalium in cerebro subtilitas et agilitas, rapidissime per sensoria discurrens, rerumque objecta citissime penetrans? Quae agilitas nisi ratione aliqua cohibeatur, dispergi spiritum, cerebrumque aut debilitatum aut stupidum relinqui, contingit: ideo praecocia ingenia plerumque videmus aut prae matura morte abripi, aut retundi. Hebetudo ingeniicontra, quid est nisi spirituum in cerebro viscosa crassities, et obscuritas? Quam proinde frequentiore agitatione dispelli, et clarefieri, necesse est. Petulantia et ferocia, quid quaeso est nisi superflua cordis ad non cedendum firmitudo? Quam proinde disciplina relaxari oportet. Segnities autem quid nisi cordis nimia laxitas, [note: n. B.] Roboratione egens? Idcirco, quemadmodum corpori medicina saluberrima est, non quae contraria contrariis apponit (ita enim pugna violentior excitatur) sed quae contrariorum temperaturam inducit, nequid altera parte desit, altera supersit: ita vitiis humanae mentis aptissimum erit remedium methodus talis, qua ingeniorum excessus et defectus temperentur, omniaque in harmoniam et concentum quendam suavem reducantur. Quo consilio methodus haec nostra ingeniis mediocribus (qualium semper plurimum provenit) adaptata est; ut nec subtilioribus (ne ante diem effoeta fiant) retinendis sufflamina desint, nec tardioribus incitandis calcaria et stimuli.

[note: iv.] 30. Denique defectibus illis ingeniorum, et excessibus, melius dum nova sunt subveniri [note: n. B.] Potest. Ut enim militiae tirones intermiscentur veteranis, debiles robustis, ignavi agilibus, sub iisdemque signis praeliari jubenrar, iisdem mandatis reguntur, quamdiu praelium acie instructa urgetur: obtenta demum victoria, persequitur quisque hostem quousque vult, et potest, pro lubitu praedam agens. Ita in hac literaria militia fieri convenit, ut tardiores celerioribus, hebetiores sagacioribus, cervicosi sequacibus, intermisceantur, iisdemque praeceptis et exemplis tamdiu

Page 60/61, image: s053

Diu ducantur, quamdiu duce opus habent. Emissi scholis, prosequatur quisque reliquum studiorum cursum, qua alacritate potest.

[note: intermiscendis variae temperaturae ingeniis, quae adhibenda prudentia] 31. Intermixtionem autem illam intelligo, non solius loci respectu, sed multo magis respectu auxilii: ut nimirum quemcunque praeceptor ingeniosiorem videt, alios ei duos tresue tardiores commendet erudiendos; quem probae indolis notaverit, alios ei sequioris humoris observandos et regendos committat. Ita utrisque provisum fuerit pulchre, attendente insuper, ut ex rationis praescripto fiant omnia, praeceptore. Sed tempus erit rem ipsam jam tandem explicandam aggredi.

Cap. Xiii. Reformandarum scholarum fundamentum,

Esse accuratum in omnibus ordinem.

[note: ordo rerum anima.] Si attendamus, quid illud sit quod universum hoc, cum omnibus particularissimis rebus, in suo esse conservat, reperiemus nihil esse, nihil prorsus, nisi ordinem: qui est rerum priorum et posteriorum, superiorum et inferiorum, majorum et minorum, simlium et dissimilium, pro loco, tempore, numero, mensura et pondere cuique debito et congruo, dispositio. Hinc nonnemo ordinem animam rerum dixit: eleganter et vere. Quicquid enim ordinatum est, quamdiu retinet ordinem, tam diu statum et incolumitatem retiner. Ordinem si deserit, languet, nutat, labascit, ruit. Omnibus totius natura: et artis exemplis id patet. Nam

[note: illustratur idexemplis, 1. Mundi.] 2. Quid quaeso mundum esse mundum, et in plenitudine consistere sua, facit? Id scilicer, quod una quaeque crearura intra suos limites, ad naturae praescriptum, studiose admodum sese continet: ista inquam particularis ordinis custodia, universi ordo conser vatur.

[note: 2. Firmamengi.] 3. Quid temporum secula per tam certa annorum, mensium, dierum intervalla, tamordinate, et sine omni confusione. Labi facit? Unus firmamenti immotus ordo.

[note: 3. Animalculorum subtiliter operantium.] 4. Quid facit, apes, formicas, araneas, tantae subtilitatis edere opera, ut hominis ingenrum plus quod miretur, quam: quod imiretur, inveniat? Nihil nisi innata ad observandum in actionibus suis ordinem, numerum, mensuram, dexteritas.

[note: 4. Corporis bumani.] 5. Quid facit hominis corpus tam mirabile esse organon, ut infinitis quasi actionibus sufficiat, licet non infinitis initructum instrumentis? Id est, ut paucis illis, ex quibus constat, membris, mirandae varietatis opera exercere possit; nec inveniat cur aliquid vel desideret, vel aliter esse desideret? Sapientissima certe membrorum omnium, tam intra se cujusque, quam ad invicem proportio, id praestat.

[note: 5. Mentis nostrae.] 6. Quid facit unicam corpori inditam mentem toti corpori regendo, totque simul edendis actionibus, sufficere? Nihil nisi ordo, quo membra universa vineulis perpetuis cohaerent, et ad nutum primi motus, qui a mente est, circumagi se patiuntur.

[note: 6. Rengni prudenter administrati] 7. Quid facit unum hominem, regem aut imperatorem, integros populos regere posse? Ut licet quot capita tot sint sensus, omnes

tamen unius illius intentioni servire; atque si unus ille bene res gerat omnia bene geri, necesse sit? Nihil aliud quam ordo, quo legum et obsequiorum vineulis colligati omnes, uni illi rerum moderatori alii aliquot subsunt proxime, immediate regeudi: atque horum singulis iterum alii, et sic consequenter ad ultimum usque. Ita enim velut in catena articulus articulum excipit, ut moto primo, moveantur omnes; consistente primo, consistant omnes.

[note: 7. Machinae archimedeae.] 8. Quid illud fuit, quo hieron solus molem tantam a tot centenis viris loco dimoveri frustra tentatam, pro arbitro versare potuit? Machinula certe artificiosa, ex tot cylindris, trochleis, funibus constructa, ut aliud alio juvaretur, ad mulriplivires.

[note: 8. Bombardae fulmineae.] 9. Bombardarum fulminearum terribiles illi effectus, quibus muri quatiuntur, turres dejiciuntur, exercitus sternuntur, non nisi ab ordine quodam rerum, et applicatione activorum ad passiva, proveniunt: nerape a justa nitri cum sulfure (frigidissimi cum calidissimo) temperarura; a debita tormenti aut bombardae ad ista proportione; a sufficiente machinae puluere pyrio et globis instructione; a prudente denique ad objecta directione. Horum vel unum si absit, totus apparatus inanis erit.

[note: 9. Typographicae artis:] 10. Artem typographicam, qua celeriter, eleganter, correcte, libri multiplicantur, quid absoluir? Ordo certe in aeneis literarum typis scite exsculpendis, fundendis, poliendisper thecas disponendis, in texturam rursus componendis, praelo subdendis etc. Chartaque praeparanda, maceranda, expandenda, etc.

[note: 10. Currus] 11. Atque ut mechanica quoque tangam: quid isthuc est quod currus, id est lignum et ferrum (ex his enim constat) equos praecurrentes tam prompte insequitur, et transpotandis hominibus aut

---

Page 62/63, image: s054

Oneribus tam elegantem praestat usum? Nihil nisi artificiosa ligni et ferri in rotas, axes, temones, juga etc. Coordinatio. Nam rupto aut fracto vel uno horum, machina inutilis est.

[note: 11. Navis.] 12. Quid quod homines conscenso ligno furioso se credunt mari? Et ad antipodas usque penetrant, redeunrque salui? Nihil nisi coordinatio in navi, carinae, mali, antennarum, velorum, remorum, gubernaculi, anchorae, compassi nautici etc. Quorum si quid pessum it, fluctuationis, naufragii, interitus, periculum est.

[note: 12. Horologii.] 13. Quid denique isthuc, quod in teraporis dimetiendi instrumento, horologio, varie deductum et dislocatum ferrum spontaneos edit motus? Et quidem harmonice, minuta, horas, dies, menses fortassis et annos, dinumerans? Nec solum id oculis demonstrans, sed et auribus, ad faciendum eminus etiam. Et per tenebras indicium, repraesentans? Quid quod instrumentum tale hominem, qua jubetur hora, a somno excitat? Et lychnum ultro, ut expergefactus. Illico lumen videas, accendit? Quid quod fastorum etiam et ephemeridum obiens vicem, novilunia et plenilunia, omnesque planetarum cursus, et luminarium eclipses, monstrare potest? Quid inquam admiratione dignum erit, si hoc non est? Metallum scilicet, rem per se inanimam, tam vivos, tam constantes, tam regulares edere motus? Numne hoc antequam reperum, pro aeque impossibili habitum, ac si quis ambulare arbores, et lapides loqui posse, asseverasset? Fieri tamen ista, oculi jam testes sunt.

[note: totum horologii mysterium in ordine consistit:] 14. Qua id autem occulta ui? Nulla nisi aperri, hic per omnia regnatis ordinis: dispositionis nempe certo numero, mensura, et ordine,

omnium ibi concurrentium talis, ut unumquodque praescriptam habeat metam; et ad metam directa media; et mediorum certos modos: accurarissimam nempe cujusque ad caetera proportionem; et unum quod que cum suo correlato debitam cohaerentiam; et ad communicandam reciprocandamque vim mutuas leges. Ita procedunt omnia, exactius ac vivum aliquod, proprio spiritu agitatum, corpus. At vero si quid in his dishiascit, aut rumpitur, aut diffringitur, aut lentescit, aut concurvatur, quamvis minima fuerit rotula, minimus axiculus, minimus claviculus, statim vel consistunt, vel a scopo suo aberrant omnia: tam eyidenter hic patet, ab uno ordine pendere universa.

[note: scholarum forma horologio similis invenienda speratur.] 15. Nihil igitur aliud requirit docendi artificium, quam artificiosam temporis, rerum, methodique dispositionem. Quam si constituere poterimus exacte, nihilo difficilius erit juventutem scholasticam, quantovis numero, doecre omnia, quam assumptis typographicis. Instrumentis elegantissima scriptura mille implere chartas quotidie; aut statuminata archimedea machina, domos, turres, onera quaecunque transferre: aut conscensa navi oceanum trajicere, et in orbem novum deferri. Nec minus expedite procedent omnia, quam expedite horologium, pondere suo recte libratum, procedit. Tamque suaviter et jucunde, quam suavis est et jucunda automati ejusmodi speculatio. Tanta denique certitudine, quanta ullum tale artificiosum instrumentum haberi potest.

[note: conclusio.] 16. Tentemus itaque in altissimi nomine talem scholarum conformationem instituere, qualis artificiosissime constructo, et vario apparatu eleganter condecorato horologio, ad amussim respondeat.

Cap. Xiv. Ordinem scholae aceuratum a natura mutuandum esse: et quidem talem, quem nulla impedimenta retardare queant.

[note: artis fundamenta in natura quaerenda:] incipiamus in nomine dei fundamenta scrutari, quibus docendi. Et discendi methodus veluti rupi immotae inaedificari possit. Quae nobis naturae defectibus remedia paraturis, non alibi quam in natura veniunt quaerenda. Id siquidem verissimum est, ariem nihil posse nisi naturam imitando

[note: quae faciendorum ostendit exemplaria. Ut 1. Natandi.] 2. Exemplis id pateat. Videt qyis piscem in aqua natare? Naturale id ei. Homini, si imitari lubet, instrumenta et actiones similes adhibendae sunt necessario: nempe loco pinnarum brachia, et caudae loco pedes expandendi, eoque modo quo piscis, suas agitar pinnas, agitandi. Quin [note: 2. Navigandi.] Et naves ipsae non nisi ad hanc ideam formari possunt: ubi pinnarnm loco remi sunt aut vela; caudae loco gubernaculum, [note: 3. Volandi.] Seu clavus. Vides per aera volitare avem? Naturale id ei. Daedalo cum imitandum fuit, alae ei (sustinendo tam gravi corpori. Pares) assumendae et agitandae fuerunt.

[note: 4. Sonos edendi] 3. Soni edendi organon in anmalibut, arteria est aspera, e cartilaginaceis annulis constructa, larynge desuper, veluti epistomio; ab iofra vero flatum

---

Page 63/64, image: s055

Ciente solle, pulmone, instructa. Ad hujus igitur imitationem fistulae, tibiae utriculares, caeteraque organa musica pneumatica, construuntur.

[note: fulminandi.] 4. Deprehensum, id quod e nubibus fragorem edit, ignemque et lapides ejaculatur, esse accensum cum sulfure nitrum. Ad hujus itaque imitationem e nitro et sulfure componitur pyrius ille puluis, qui accensus et sclopetis emissus, simulata illa tonitrua, fulgura et fulmina producit.

[note: aquas quoquo deducendi.] 5. Animadversum, aquam superficiei aequalitatem amare, etiam invase duplicis orificii, quantocunque intervallo sejuncti. Tentati igitur varii aquaeductus, per tubos: fitque ut per quascunque profunditates ad quamcunque altitudinem aqua ultro ascendat, dummodo ab altera parte tantundem descendit. Artificiosum id, sed et naturale. Quod enim ita fiat, ab arte est: quod fiat, a natura.

[note: tempora dimetiendi.] 6. Contemplati sunt firmamentum, videruntque illud rotari perpetuo, perque varios syderum gyros gratam mundo temporum varietatem induci. Excogitatum igitur ad eandem formam, firmamenti quotidianam revolutionem repraesentans, horasque dimetiens, instrumenium. Et id quidem e rotulis compositum: non solum ut aliud ab alio trahi, sed ut motus sine fine [note: (horologii automati ad pervidendam structurae totius rationem.)] Continuari possit. Necesse autem fuit instrumentum hoc ex mobilibus et immobilibus componi, qualiter et mundus ipse. Et quidem pro primo mundi quiescente, terra, positae hic sunt immobiles bases, columnae, limbi: pro mobilibus coeli sphaeris, variae rotulae. Quia vero non licuit rotae alicui mandatum dare gyrandi sese, et alias secum rapiendi (qualiter creator siderum luci movendi sese, et alia secum, vim indidit): necesse fuit a natura motus vim mutuari: nempe motum vel gravitatis, vel libertaris. Aut enim cylindro primariae rotae appenditur pondus, quo deorsum tendente cylindrus circumagitur, rotamque suam, et haec alias, secum trahit: aut conficitur chalybea lamina oblonga, quae cylindro vi circumplicata, ad libertatem redire, et in longum porrigi connitens, cylindrum et rotam circumvolui facit. Neautem decursus ille rapide fiat, sed lente ad coeli mensuram, interponuntur aliae rotulae: quarum extrema illa, quae non nisi duobus denticulis agitata reciproco strepitat motu, luminis accedentis et recedentis, sive dierum noctiumque vices, repraesentat. Parti vero illi, quae exactae horae, aut quadrantis horae, dare debet signum, apponuntur artificiosae serae; repagula dum opus est removentes, rursumque dum opus est, reducentes: eo modo quo natura per coelestium sphaerarum motum hyemem, ver, aestatem, autumnum, mensibus suis divisa, adducit et abducit.

[note: conclusio de naturalium, in arte didactica construenda, imitatione.] 7. Ex omnibus his patet, ordinem illum, quem arti omnia docendi ac discendi universalem ideam esse cupimus, non aliunde sumendum esse, aut sumi posse, quam e naturae magisterio. Hoc accurate constituto, tam molliter et sua sponte procedent artificiosa, quam molliter et sua sponte fluunt naturalia. Vere enim cicero; naturam ducem si sequamur, nunpvam aberrabimus item: natura duce errari nullo modo potest. Quod nos speramus, eoque quos natura in operando hic et illic servet processes observato, similiter procedi suadebimus.

[note: objiciuntur remorae quinque.] 8. Posset autem nobis, et venditatae a nobis tanrae spei, opponi hippocratis aphorismus: [gap: greek word(s)]. Id est, vita brevis, ars longa, occasiones cito effluentes, experimenta lubrica, judicium de rebus difficile. Ubi remoras, cur pauci ad scientiarum fastigia perveniant, recenset quinque: nempe 1. Vitae brevitatem: quae facit, ut plerumque in ipso vitae apparatu abripiamur. Ii rerum, quae ingenio subigendae veniunt, diffusissimam multitudinem: quae facit, ut omnia intra intellectus cancellos cogere velle, infinitae operae sit. Iiioccasionum artes bonas discendi defectum, aut si quando offeruntur, subitaneam evanescentiam. (nam juventutis anni, animorum culturae accommodatissimi, ludicris plerumque transmittuntur: sequens vero aetas, ut mortalium res sunt, plus semper occasionum ad vana, quam ad seria, subministrat. Aut si quid bonae occasionis occurrit

aliquando, antequam fronte prehensatur, effugit.) Iv. Ingenii nostri hebetudinem, et judicii obscuritatem; quae facit, ut plerumque in cortice haereamus, ad rerum medullas non penetremus. V tandem si quis longa observatione, iteratisque toties quoties experimentis, rerum essentitas veras deprehendere vellet, id operosum nimis et simul lubricum ac incertum esse. (facile siquidem in tam subtili rerum complicatione vel oculatissimi cujusuis aciem plurima subterfugere possunt: admisso autem vel uno errore, tota observatio incertitudine involuitur.)

[note: respondetur.] 9. Haec omnia si vera sunt, quomodo nos tam universalem, certam, facilem, solidam, studiorum viam promittere audemus? Resp. Verissima esse haec, ostendit experientia: verissima autem quoque his remedia dari, ostendet similiter,

---

Page 65/66, image: s056

[note: 1. Sapienti consilio ita deum ordinasse.] Post rationes, experientia. Illa enim sic a sapientissimo rerum arbitro, deo, instituta sunt, sed nostro bono: in bonum ergo prudenter converti poterunt. Dedit nempe ille nobis breve vivendi spantium, quia recte vita uti in hac jam corruptione nescimus. Nam si, cum nascentes morimur finisque ab origine pendet, ita nos tamen in vanitates diffun dimus, quid non fieret si centurias vel chiliadas [note: primum illud;] ante nos haberemus annorum? Voluit igitur deus non nisi tantum concedere spatii, quantum ad vitam meliorem praeparationi: sufficere existimavit. Isti ergo usui fatis longa est, si sciamus uti.

[note: secundum;] 10. Res multas esse voluit deus, nostro itidem usu: ut nimirum multa essent, quae nos occuparent, exercerent, erudirent

[note: tertium;] 11. Occasiones voluit esse fluxas, fronte solum capillatas: ut hoc animadverso, prehendere niteremur qua prehendi possunt.

[note: quartum;] 12. Experimenta lubrica: ut attentioni esset locus, necessitasque nobis inferretur res eviscerandi penitius.

[note: quintum;] 13. Judicium denique de rebus difficile; ut acueretur diligentia, et perrumpendi obstinatio. Id autem eo fine, ut occulte per omnia sparsa sapientia dei manifestior fieret, majori cum voluprate nostra. Si enim omnia facile intelligerentur (inquit augustinus) nec studiose quaereretur, nec suaviter inveniretur, veritas.

[note: obices illos prudenter tolli posse.] 14. Videndum ergo est, qua ratione obices illi, quos nobis extrinfecus ad acuendam industriam opposuit providentia divina, amoveri cum deo possint. Non autem poterunt, nisi

I. Vitae prolongatione; ut cursui destinato sufficiat.

Ii. Artium abbreviatione; ut spatio vitae respondeant.

Iii. Occasionum prensatione; ut ne inutiliter effluant.

Iv. Ingenii reseratione; ut res facile penetret.

V. Loco vagae observationis, fundamenti alicujus immotz, quod fallere nesciat, constituione.

[note: sequentium capitum ordo.] 15. Id igitur aggrediamur, ut per naturae indicia vestigemus

Fundamenta vitae prolongandae, ad omnia necesseria discendum.

Fundamenta aritium abbreviandarum, ad celerius discendum.

Fundamenta occasionum apprehendendarum ad certo discendum.

Fundamenta ingenii reserandi, ad facile dilcendum.

Fundamenta judicit acuendi, ad solide discendum.

Singula haec singulis expediemus capitibus: abbreviandi tamen modo in ultimum locum rejecto.

Cap. Xv . Fundamenta vitae prolongandae.

[note: vita homini sat longa datur:] quantum ad vitae brevitatem, conqueritur ariltoteles cum hippocrate, naturaeque exprobrat, quod cervis, corvis, alissque brutis animantibus ampliora vivendi spatia concedat; hominis vero, ad tanta nati, vitam, tam arctis terminis includat. Sed sapienter seneca respondet: non brevem vitam accipimus sed facimus: nec inopes ejus, sed prodigi, sumnus. Vita si scias uti, longa est. Item. Satis lonqa vita, et in maximarum rerum consummationem large data est, si tota bene collocetur. (de brevit: vitae. C. 1. Et 2.)

2. Quod si verum est, uti est, nostra [note: sed a nobis abbreviatur:] ergo culpa accidit, si nobis vita ad maximarum etiam rerum consummationem non sufficit: quia nimirum ipsimet vitam prodigimus, partim enecando, ut ante naturalem terminum extingui eam necesse sit: partim residui etiam in res nihili impendendo.

[note: tum enervando vires,] 3. Scribit certe non ignobilis auctor, (hippolytus guarinonius) et argumentis probat, etiam tenerrmi temperamenti hominem, incolumem ludi editum tantum in se vitalitatis habere, ut ad sexagesimum annum; qui autem compactissimi temperamenti est, ad centesimum vigesimum, naturaliter sufficiat. Si qui ante hunc terminum moriuntur (emori autem plerosque in infantia, adolescentia, virilitate, quis ignorat?) Id hominum culpa evenire, qui exceilibus variis, aut subsidiorum vitae neglectu, valetudinem tum suam propriam, tum liberorum ex se progignendorum, pessumdant, mortemque accelerant.

[note: tum non ippendendo totam negotiis: ut fecerunt alexader m.] 4. Posse autem exiguum etiam vitae spatium (exempli gratia 50, 40, 30, annorum) ad maxima rerum extendi, si quis recte sciat uti, exempla eorum docent, qui ante plenos virilitatis annos eo pervenerunt, quo alii ne longissima quidem aetate pervenire tentarunt. Alexander magnus trigesimo tertio aetatis anno vita excessit, non solum literis mirabiliter cultus, sed orbis victor; quem non tam armorum vi, quam sapientibus consiliis, et mira ad res agendas celcritate [gap: greek word(s)] [note: picus mirandulanus] subegit johannes picus mirandulanus alexandri aetatem ne attigit quidem, sapientiae autem studiis adeo super omnia quae hominis ingenio penetrari possunt, sese extulit, ut in seculi miraculum haberetur.

[note: adeoque christis ipse.] 5. Et ne alia recitemus, ipse dominus noster jesus ghristus, non nisi 34 annos in terra commoratus, magnum redemptionis opus peregit: exemplum proculdubio daturus (quandoquidem omnia ejus mystica sunt) quantacunque homini contingat aetas, sufficere ad aeternitatis paranda praesidia.

[note: non ergo querulandum devitae brevitate.] 6. Non possum quin huc aurea senecae in hunc sensum dicta (ex 94. Epistola) reponam. Multos inveni aequos (inquir) adversus homines: adversus deum neminem. Objurgamus quotidie fatum etc. Quid interest quam cito exeas, unde utique exeundum est? Longa est vita si plena est. Impletur autem, cum animus sibi bonum suum reddidit, et ad se potestatem sui transtulit. Item: obsecro te, mi lucili, hoc agamus, ut quemadmodum pretiosa rerum, sic vita nostra, non pateat multum, sed multum pendat. Actu illam metiamur, non tempore. Et mox: laudemus itaque et in numero felicium reponamus eum, cui quantulumcuncque temporis contingit, bene collocatum est. Vidit enim veram lucem, non fuit unus e multis: et vixit, et viguit. Iterum: quemadmodum in minori corporis habitu potest homo esse perfectus, sic et in minore temporis modo potest esse vita perfecta. Aetas inter externa est. Quaeris quod sit amplissimum vitae spatium? Vsque ad sapientiam vivere. Qui ad illam pervenit, attigit non longissimum sinem, sed maximum.

[note: remedia dua.] 7. Adversus igitur querelas de virae brevitate remedia nobis et liberis nostris (adeoque scholis) haec duo erunt. Providere, quantum datur, ut.

I. Corpus a morbis et morte defendatur.

Ii. Mens ad omnia sapienter administranda disponatur.

[note: 1. Orpus a morbis tutandum: quare? Quia est animae, (1) habitaculum.] 8. Corpus a morbis et casibus tueri tenemur: primo, quia est animae habitaculum, et quidem unicum: quo diruto, anima mundo emigrare cogitur illico: aut si diruitur paulatim, jam hac jam illa parte rupruram passum, hospes anima incommodam experitur, habitationem. Si igitur in mundi palatio, quo benignitate dei intromissi sumus, quam diutissime, et quam commodissime, persistere volupe est, corporis hoc tabernaculum provide [note: (2) organon.] Nobis curandum venit. Secundo, idem corpus non solum habitaculum factum est animae rationali, sed et organon: sine quo nihil audire, nihil videre, nihil loqui, nihil agere potest, imo ne cogitare quidem. Nam quia nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu, mens omnium cogitationum materiam non nisi a sensuaccipit: et cogitandi actum non aliter quam per sensationem internam, simulachrorum scilicet a rebus abstractorum speculatione, peragit. Hinc est, quod cerebro laeso, imaginativa facultas laedatur: et male affectis corporis membris, mens ipsa afficiatur. Recte proinde ille:

Orandum est ut sit mens sana in corpore sano.

[note: et quomodo? Per diaetam. Cujus ratio exemplo arboris docetur: quae opus habet 1. Alimento moderato] 9. Conservatur autem in vigore corpus nostrum moderata diaeta: de qua ex professo medici, nos hic pauca solum subinnuemus, idque arboris exemplo. Arbor perennatura tribus habet opus: 1. Humore perpetno. 2. Transpiratione crebra. 3. Requie alterna. Humore habet opus, quia eo destituta marcescit et arescit. At moderato humore opus: quia nimio radix putrescit. Ita corpori alimento opus: quia eo destitutum, fame ac siti emaciatur: at non nimio, ne facultas concoctrix aggravetur et opprimatur. Quo moderatius

alimenta subministras, eo certior ac subrilior concoctio: quod cum non attendunt vulgo, plerique alimenti quantitate vires et vitam obruunt. Mors etenim a morbis venit: morbi a vitiosis humoribus: humores pravi a prava concoctione: concoctio prava ab alimenti superfluitate, cum tantum stomacho ingeritur, quantum concoquere non sufficit, ut humores semicrudos, per mernbra dimittere necesse habeat: unde tandem non provenire morbos impossibile, voracitate multi sunt mortui (inquit ecceliasticus) sed qui attendit sibi prorogabit vitam (syr. 3. 7. 34.)

[note: eoque simplici.] 10. Non solum vero modico opus est alimento, ad valetudinis conservandum vigorem, sed et simplici. Arborem quamvis delicatam, non humectat hortulanus vino, aut lacte, sed communi vegetabilibus [note: n. B.] Liquore, aqua. Cavendum itaque. Parentibus, ne ad gulae irritamenta pueros adsuefaciant, praelertim studiis destinatos, aut destinandos: quia non frustra scriptum est, danielem cum socus, adolescentulos e regio sanguine, studits consecratos a leguminum et aquae. Usu habiliores et corpulentiores fuisse repertos; et quod plus est, intelligenteres, prae. Omnibus pueris qui delicate pascebantur cibo regio (dan. 1. 12. Et c.) Verum de his particularius alibi.

[note: 2. Transpiratione crebra.] 11. Transpiratione quoque arbor opus habet, et crebra per ventos, pluvias, frigora, vegetatione: alias languescit facile, et macreseit. Ita corpori humano motu et agitatione, exercitiisque, seriis aut iudicris, omnino opus est.

[note: 3. Requie alterna.] 12. Tandem opus arbori, per intervalla certa, requie. Ne scilicet semper extra se, germina, flores, fructus, protrudere necesse habeat; sed aliquando etiam sibi intrinsecus

---

Page 69/70, image: s058

Operari, succum concoquere, eoque modo semetipsam roborare, valeat. Ideo deus aestati hyemem succedere voluit ad dandam omnibus terra crescentibus, adeoque terrae ipsi, quietem: quemadmodum et septimum quemque annum quieti terrae dari, lege mandavit (levit. 25) similiter hominibus (cum animantibus caeteris) noctem ordinavit, qua dissipatas diurnis farigationibus vires, tam somno, quam ipsa membrorum quiete, recolligerent. Sed et per minora horarum intervalla, tam menti quam corpori remissione aliqua opus est, ne quidquam violenti, naturae inimici, admittatur. Inter diurnas igitur etiam operas, respiratione aliqua, confabulatione, ludis, jocis, musica, et similibus sensus externos et internos recreantibus, uti expedit.

[note: atribus illis (rite observatis) incolumitas vitae pendet] 13. Haec tria si quis observet (ut modice nutriatur, corpus exerceat, naturae fomenta subministret) impossibile est valetudinem et vitam non quam diutissime conservari: solo casu, qui a superiore [note: n. B.] Directione veniat, excepto. Rectae igitur scholarum institutionis bona pars erit, legitima laborum et quietis, sive operarum et vacationum, atque recreationum, dispositio.

[note: 11. Agendi tempora recte dispensanda.] 14. Sequitur de prudenti temporis residui, laboribus debiti, dt spensatione. Exiguum quiddam videtur, et facile pronunciatu, anni triginta: quod tamen multos menses, plures dies, plurimas horas, in se complectitur. Multum certe tanto temporis spatio promovere potest, quicunque movet, etiamsi lente. Arborum incrementa id ostendunt: quas crescere nullo vel sagacissimo intuitu animadvertas, quia id sensim sine sensu sit: crevisse tamen aliquid singulis mensibus vides, et intra annos triginta in patentissimam excrevisse arborem conspicis. Eadem est ratio in staturam assurgentis corporis

nostri: crescere non videmus, videmus crevisse. Nec aliam esse mentis, scientiam rerum sibi comparantis, rationem, vulgati illi versiculi docent:

Adde parum parvo, parvo superadde pusillum:
tempore sic parvo magnum cumulabis acervum.

[note: vis progressionis mira] 15. Progressionis vim qui non ignorat, facile id animadvertit. Dum enim in arbore quotannis e quavis gemma unicum solummodo germen, seu surculus, enascitur, intra annos triginta millenos habebit, majores et minores, ramos: folia vero, flores, fructus, innumeros. Et impossibile videatur hominis industriam intra viginti vel triginta annos, in quamvis altitudinem et latitudinem diffundi? Dispiciamus id paululum.

[note: temporis partitio accurata] 16. Dies naturalis horas habet viginti quatuor: quibus ad vitae usum tripartito divisis, octo cedent somno; totidem externis negotiis, (valetudini puta curandae, sumendo cibo, induendis et exuendis vestibus, recreationi honestae, amicorum confabulationibus et c.) Seriis denique laboribus, alacriter jam et sine taedio expediundis, supererunt octo.hebdomadatim itaque (die septimo quieti relicto integre) habebuntur operis destinandae horae 48; annuatim 2495: quid autem non intra decem, viginti, triginta, annos?

[note: magnis eruditionis thesauris colligendis sufficit.] 17. Jam si singulis horis vel unicum scientiae alicujus theorema, unicam artifiosae operationis regulam, unicam elegantem historiolam vel sententiam addiscas (quod nullo labore fieri posse, palam est) quantus quaeso prodibit eruditionis thesaurus?

[note: conclusio] 18. Verus itaque est seneca; vitam si sciamus uti, satis longam esse; et in consummationem rerum maximarum, si tota bene collocetur, sufficere. In eo solum res versabitur, ut totam bene collocandi artificia ne ignoremus. Quod jam inquirendum est.

Cap. Xvi. Docendi et discendi requisita generalia: h. e. quomodo docendum et discendum sit certo, ne possit non sequi effectus.

[note: incrementa rerum naturalium sua sponte fiunt.] Illa domini nostri jesu christi parabola elegans est apud evangelistam: sic est, inquit, regnum dei, ut si homo jaciat semen in terram, et dormiat, et surgat nocte ac die, et semen germinet, et assurgat, quomodo ipse nescit. Sponte enim terra fructum fert: primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica. Cum autem prodiderit se fructus, immittit messores et c. (marc. 4. 26.)

[note: quomodo et artificialium debent.] 2. Ostendit hic saluator, deum esse qui operatur omnia in omnibus, homini hoc relinqui solum, ut doctrinarum semina corde fideli excipiat: futurum omnino, ut ultro germinent et crescant ad maturitatem usque omnia, ipso quodammodo [note: n. B.] Non animadvertente. Fuventutem proinde instituentibus nihil aliud incumbit, quam ut doctrinarum semina dexire in animos spargant, plantulasque dei provide rigent, successus et incrementa superne venient.

[note: plantandi peritia arte constat.] 3. Ad seminandum vero et plantandum arte quadam, et peritia esse opus,

---

Quis ignorat? Imperito siquidem arboratori hortum plantulis conserenti, major plantarum pars perire solet: et si quae feliciter surgunt, a casu potius, quam ab arte fit. Prudens autem solerter operatur, quid, ubi, quando, quomodo faciendum aut omittendum sit, bene gnarus: ut eum nihil adeo frustrare possit. Frustrare quidem solet nonnunquam peritos etiam successus (quia tam oculate administrari omnia, quin alicubi aliqua ratione aberretur, vix possibile homini): nobis tamen nunc non de prudentia et casu sermo est, sed de arte, quomodo prudentia casus praeveniri possint.

[note: instituendi methodus, ad artem revocanda.] 4. Quia nimirum hactenus instituendi methodus tam fuit vaga, ut vix quisquam auderet dicere: ego adolescentulum hunc intra tot et tot annos eo perducam, ita vel ita eruditum sistam et c. Videndum nobis erit, utrum ars haec spiritualis plantationis tam firmo sundamento statuminari possit, ut certo procedat, nec sallat?

[note: idque naturalium et artificialium parallelismo.] 5. Istud vero fundamentum cum esse non possit aliud, quam ut has artis operationes ad normas operationum naturae quam accuratissime accommodemus, (ut cap. 14. Vidimus) eja, scrutemur naturae vias in exemplo avis pullos excludentis: cujus vestigia quam feliciter imitentur arboratores, et pictores, et architecti, dispicientes, facile, quomodo etiam fuventutis formatoribus imitandae sint, videbimus.

[note: et cur ita?] 6. Quae si alicui nimis humilia, nota, trita, videbuntur, is meminerit nos id nunc agere, ut ex quotidianis illis, et vulgo notis, quae in natura et arte (extra scholam) bono successu fiunt, ignotiora illa, quae scopus noster petit, deducamus. Et sane, si nota sunt illa, e quibus praeceptis nostris ideam sumimus, eo evidentiores etiam fore conclusiones nostras speramus.

[note: fundamentum naturae] fundamentum i.

[note: i. Nihil intempestive suscipitur.] 7. Natura tempori commodo attendit. Exempli gratia: avis, genus multiplicatura, non rem incoeptat hieme, ubi omnia frigent et rigent: nec aestate, ubi aestu fervent et languent omnia: nec autumno, ubi omnium vitalitas cum sole in descensu est, et hiems novellis inimica ingruit: sed vere, quum sol vitam et vigorem omnibus reducit. Et quidem gradatim iterum. Frigidiore enim adhuc coelo, ova intra corpus, ubi a frigore tuta sunt, concipit et fovet; tepidiore aere in nidum exponit: et tandem calidiore jam anni parte excludit, ut paulatim tenella creatura luci et calori adsuescat.

[note: imitatis hujus recta in hortis, et architectonica.] 8. Sic hortulanus, ut nihil nisi suo tempore agat, attendit. Non igitur plantat hieme: (quia succus tunc radici inhaeret, ut ad surculum nutriendum non ascendat): nec aestate (quia succus jam per ramos dispersus): nec autumno (quia se succus radicem versus recipit): sed vere, quum humor e radice dimanare, superioraque plantae vegetare, incipit. Sed et postea quidquid circa arbusculas faciendum est, tempus cuivis rei opportunum noscendum est; tempus videlicet stercorationis, putationis, pastinationis etc. Quin et arbor ipsa tempora sua habet, germinandi, florescendi, virendi, fructus maturandi etc. Nec aliter architectus prudens qui ligna caedendi, lateres excoquendi, fundamenta ponendi, parietes erigendi et incrustandi etc. Articulos observare necesse habet.

[note: aberratio ab hac idea in scholis duplex.] 9. Contra hoc fundamentum dupliciter in scholis peccatur.

I. Non capiendo tempus justum exercendis ingeniis.

Ii. Non disponendo postea tam accurate exercitia, ut per gradus suos procedant omnia infallibiliter. Nam

Dum puer est insans, erudiri nequit: quia intelligentiae radix profunde adhuc haeret. Insenectute hominem erudiri, serum nimis est: quia intellectus et memoria in descensu jam sunt. In aetatis medio difficulter: quia vis intellectus per varia rerum dispersa, recolligi aegre potest. Observanda igitur juvenilis aetas, dum vitae et rationis vigor ascendit: tunc alescunt, facileque altas radices agunt, omnia

[note: emendatie triplex.] 10. Concludimus igitur

I. Formationem hominis inchoari debere aetatis vere: id est, in pueritia. (pueritia siquidem veris, juventus aestatis, virilitas autumni, senium hiemis, fert imaginem.)

Ii. Matutinas horas studiis esse accommodatissimas: (quia iterum mane veri, meridies aestati, vespera autumno, nox hiemi, respondet.)

Iii. Omnia quae discenda sunt, ita esse juxta aetatis gradus disponenda, ut nihil nisi quod captus admittit, discendum proponatur.

[note: fund. Ii.] Fundamentum ii.

[note: materiam ante formam.] Ii. Natura sibi parat materiam, antequam introducere incipiat formam.

Ex: gratia. Avis similem productura creaturam,

Page 73/74, image: s060

Primum e gutta sanguinis sui intus concipit seminium: tum componit nidum, in quo exponat ova: demum incubando fovet, format, et excludit.

[note: imitatio.] 12. Sic architectus prudens, antequam aedificii structuram incipiat, lignorum, lapidum, calcis, ferri, aliorumque requisitorum, acervos comportat: ne postea materiae defectu aut operae tardentur, aut operis soliditas corrumpatur.

Similiter pictor imaginem effigiaturus, comparat sibi linteum, inque jugamentis extendit, fundamentum inducit, colores diluit, penicillos, ut ad manum sint, disponit, tandemque pingit.

Arborator itidem, antequam plantationem inchoat, in promptu habere laborat hortum, viviradices, surculos, instrumentaque omnis generis: non ut inter operandum demum necessaria conquirat, perditurus alioqui plurima.

[note: aberratio.] 13. Contra hoc fundamentum scholae peccant.

I. Quod omnis generis instrumenta, libros, tabulas, exemplaria et ideas etc. Ad plenarium usum in parato esse non curant: sed dum opus hac aut illa re est, demum conquirunt, fingunt, dictant, transcribunt etc. Quod, quoties praeceptor imperitus aut negligens obtingit (qualium semper major est seges) misere procedit: prorsus ac si medicus quoties medicamentum propinandum est, demum per hortos et syluas discurrat, herbas et radices conquirat,

excoquat, distillet etc. Quum medicamenta ad omnem casum in promptu jam esse conveniebat.

14. Secundo, quod iis etiam in libris, quos habent scholae, non ille naturalis observatur ordo, ut materia praecedat, forma sequatur. Ubique ferme contrarium fit, ordo rerum protruditur ante res: cum tamen impossibile sit ordinare, ubi quod ordinetur nondum suppetit. Quaterno id ostendam exemplo.

15. (1) sermonem scholae docent ante res: quia in artibus sermocinatricibus aliquot annos ingenia detinent, post demum nescio quando ad studia realia, matheseos, physicae etc. Admittunt. Cum tamen res substantia sint, verba accidens; res corpus, verba amictus; res nucleus, verba cortices et putamina. Simul ergo illa praesentanda sunt humano intellectui: primario tamen res, utpote tam intellectus quam sermonis objectum.

16. (2) deinde, in ipso linguarum studio hoc fuit praepostere factitatum, quod non ab auctore aliquo, aut lexico dexire adornato, sed a grammatica, sieret initum: cum tamen auctores (ut et suo modo lexica) materiam sermonis suppeditent, voces: grammatica formam superaddat solum, voces formandi, ordinandi, connectendique leges.

17. (3) terrio, in disciplinarum orbe, seu encyclopaediis, ubique praemittunt aries, scientias et prudentias eminus sequi jubent: cum tamen hae res, istae modum rerum, tradant.

18. (4) tandem, regulas in abstracto praemittunt, demumque illas subjunctis declarant exemplis: cum tamen lux praecedere debebat illum cui allucetur.

[note: emendatie.] I. Conficitur inde, ad methodum e fundamento emendandam opus esse

I. Libris, aliisque omnibus instrumentis, paralis.

Ii. Intellectum formari ante linguam.

Iii. Linguam nullam disce grammatica, sedex auctoribus idoneis.

Iv. Reales disciplinas praemitti organicis.

V. Exemplaque regulis

[note: fund. Iii.] Fundamentum iii.

[note: materia formae recipiendea apta redditur.] 20. Natura operationi suae subjectum aptum sumit, aut certe ut aptum reddatur, sibi primo idonee praeparat.

Exempli gratia. Avis, non quidvis nido injicit, cui incubet; sed subjectum tale ex quo pullus excludi possit, id est, ovum. Si lapillus se admiscet, aut aliud quidpiam, exturbat, tanquam inutile. Tum incubans, materiam ovo inclusam tamdiu fovet, versat, format, donec excludi apta sit.

[note: imitatio.] 21 sic architectus, desectis quam optimis lignis, desiccat illa insuper, deasciat, serra diffindit, tum aream complanat, depurgat, fundamenta nova ponit, aut vetera, ut usui sint, reparat et solidat.

2. Ita pictor, si non satis bonum linteum, vel fundamentum, ad colores, habet, quantum potest meliora sibi prius reddere laborat; friando illa, laevigando, et quovis modo ad usum aptum comparando.

2. Sic arborator 1. Deligit viviradicem fructiferae stirpis, quam vegetissimam. 2. Transfert in hortum, et prudenter terrae inserit. 3. Non tamen insitione novi surculi onerat, antequam radicem egisse videat. 4. Et priusqam novum surculum inserat, ramusculos priores adimit, quinimo stipitem ipsum, aliquousque serra aufert; ne scilicet ulla succi pars alio quam ad surculum vegetandum influere possit.

[note: aberratio.] 24. Peccatum est conira hoc fundamentum in scholis: non tam quidem hebetes et stupidos admittendo (quandoquidem ex intentione nostra omnis juventus admittenda est) quam

---

1. Non transferendo plantulas hasce in plantaria: id est, non totaliter scholis committendo, ut quicunque in homines formandi sunt, ante absolutam formationem ex officina ne dimittantur.

2. Quod scientiarum, morum, pietatisque surculos inserere plerunque tentarunt, antequam stirps ipsa egisset radices: id est, antequam discendi amor fuisset excitatus, in iis quos natura ipsa non inflammavit.

3. Quod arbusculas, vel viviradices, ante plantationem non putarunt: id est animos a superfluis occupationibus, decenter eos disciplina constringendo, et in ordinem cogendo, non repurgarunt.

[note: emendatio.] 25. Posthac igitur

I. Quicunque scholae traditur, perseveret.

Ii quodcunque studium tractandum sumitur, animi discipulorum ad illud praedisponantur. (de quo plenius capite sequenti, fund. Ii.)

Iii. Impedimenta discipulis omnia auferantur.

Nihil enim proderit dare praecepta: nisi prius amoveas obstantia praeceptis: inquit seneca. Verum et de hoc capite sequenti.

[note: fund. Iv.] Fundamentum iv.

[note: omnia formantur distincte, nihil confuse.] 26. Natura se non confundit operibus suis, distincte procedit in singulis.

Ex. Gratia. Dum aviculam efformat, alio tempore ossa, venas, nervos, delineat, alio carnem condensat, alio cute obducit, alio plumis vestit, alio volare docet et c.

[note: imitatio.] 27. Architectus cum ponit fundamentum, non simul eodem tempore parietes erigit; multo minus tectum imponit: sed unum quodque suo tempore et loco.

28. Ita pictor, non simul viginti aut triginta effigies format, sed uni est intentus. Nam etiamsi forsan per intervalla aliis fundamenta paret, aut aliud quid operae agat, unum tamen principale opus ei est semper.

29. Similiter arborator, non aliquot surculos simul inserit, sed singulos, alium post alium: ne vel scipsum confundat, vel naturae operationem corrumpat.

[note: aberratio.] 30. Confusio itaque in scholis fuit, multa simul discipulis ingeri.

Ex. Gr. Grammaticam latinam, et graecam, et rhetoricam fortassis, et poesin, et quid non? Quis enim nescit classicis in scholis singulis fere horis lectionum et exercitiorum materiam variari, toto die? At quid confusio est, quaeso, si hoc non est? Perinde ac si sutor sex septemve calceos simul conficiendos sibi proponat; et singulos, alium post, alium, jam in manum sumat, jam seponat. Aut quasi pistor diversos panes furno jam ingerat, jam egerat, ut singulos multoties ingredi et egredi necesse sit? At quis istorum ita delirat? Sutor certe antequam absoluat calceum, alterum ne attingit quidem. Pistor panes, antequam furno illati excoquantur, alios non infert.

[note: emendatio.] 31. Imitemur obsecro! Et provideamus, ne grammaticam tractantibus ingerat se dialectica; neque dialectica mentem expoliente, interturbet hanc rhetorica: et cum latinae linguae damus operam, exspectet graeca etc. Impediturae alioquin se invicem: quia pluribus intentus minor est ad singula sensus. Non ignorabat id magnus vir, josephus scaliger; quem (patris forsan consilio) nunquam nisi uni studio incubuisse ferunt, uno tempore in id unum omnibus mentis viribus intentum. Hinc factum, ut linguas quatuordecim, artes autem et scientias quotquot sub hominis ingenium cadunt, aliam post aliam, ita ingenio subegerit, ut in omnibus exactius videretur versatus, quam qui discunt singulas. Quisquis autem iisdem vestigiis insistere tentavit, non frustra tentavit.

32. Fiat igitur in scholis quoque, ut uno tempore non nisi uno studio occupentur discipuli.

[note: fund. V.] Fundamentum v.

[note: interiora prius.] 33. Natura omnem operationem suam ab intimis incipit.

Exempli gratia. Non primo aviculae format ungues, vel plumas, vel cutem, sed viscera; exteriora post suo tempore.

[note: imitatio.] 34. Sic arborator non cortici extrinsecus applicat surculos, nec superficiei ligni immittit: sed diffindit corpus plantae per medullam ipsam, surculumque bene adaptatum immittit quam profundissime: commissuras tam arcte obturans, ut ne ulla parte succus exstillare queat, sed surculi interiora mox occupet, et ad eum vegetandum omnem vim effundat.

35. Sic arbor alimento pluviae coelestis, aut succi terreni, nutrita, non per corticis exteriora eum attrahit, sed per interiorum partium poros alimentum subministrat. Ideo nec arborator solet rigare ramos, sed radicem; et animal non membris externis alimentum ministrat, sed ventriculo: qui praeparatum illud per totum corpus dimittit. Ita ergo si fuventutis formator circa scientiae radicem, id est

Page 73/74, image: s062

Intellectum maxime occupetur, facile vigor transibit in stipitem, memoriam: tandemque apparebunt flores et fructus, expeditus linguae usus, et rerum praxis.

[note: aberratio.] 36. Peccant hic praeceptores, qui commissae sibii fuveniutis formaturam multa dictando, et memoria exigendo, absoluere volunt, sine diligenti rerum enucleatione. Item, qui enucleare volentes, modum ignorant: quomodo scilicet radix leniter aperienda, et doctrinarum surculi immittendi sint, nescientes. Ideoque discipulos non aliter macerant, ac si quis ad diffindendam plantam cultelli loco fustem, aut fistucam, adhibeat.

[note: emendatio.] 37. Ideoque posthac

I. Intellectus rerum primo formetur: secundario memoria, tertio lingua et manus.

Ii. Observandae sunt praeceptori omnes intellectum reserandi viae, congruenterque adhibendae. (quas vestigabimus capite sequente.)

[note: fund. Vi.] Fundamentum vi.

[note: generalia prius.] 38. Natura omnem suam formationem a generalissimis incipit, in specialissimis desinit.

Ex: gratia. Ex ovo productura avem, non primo effingit aut efformat caput, vel oculum, vel plumam, vel unguem; sed totam ovi massam incalefacit, caloreque excitato motu venas per universam diducit, ut delineatiuncula jam totius aviculae (quid nempe in caput, quid in alas, quid in pedes etc. Abire velit) exstet, demumque paulatim singula elaborantur, ad perfectionem usque.

[note: imitatio.] 39. Hoc architectus imitans, primum sibi totius aedificii generalem sive mente ideam concipit, sive in charta sciagraphiam delineat, aut etiam ligneum exemplar conficit: et secundum hoc fundamenta ponit, tum parietes excitat, tandemque tecto communit. Atque tum demum minutioribus illis, quibus domus perficienda est, januis, fenestris, scamnis, etc. Operam dat. Postremo ornamenta adjicit, picturas, sculpturas, aulaea et c.

40. Ita pictor vultum hominis effigiaturus, non auriculam, non oculum, non nasum, non os, primo fingit et pingit; sed vultum (aut hominem totum) rudi carbone delineat. Dehinc, si proportionem justam videt, levi penicillo fundamentum hoc sirmat, universaliter etiamnum. Tum lucis et umbrae intervalla designat: demum particulatim membra conformat, coloribusque distinctissimis exornat.

41. Eodem modo sculptor, statuam formaturus, rudem accipit truncum, exasciat hunc cirumcirca, et quidem primu, crasse, demum subtilius, ut rudimenta jam simulachri cujusdam referat; tandem subtilissime singula efformat membra, coloribusque vestit.

42. Similiter arborator, nihil nisi generalem arboris imaginem sumit, id est surculum: qui quot habet gemmas, tot principales mox progigni possunt rami.

[note: aberratio. N b.] 43. Unde sequitur, male scientias sigillatim tradi, non praemissa rudi prius et generali, tolius eruditionis delineatione: nec posse quenquam ita institui, ut in particulari aliqua scientia sola, sine respectu ad alias, perfectus existat.

44. Item, male tradi artes, scientias, linguas, sine praemissis rudimentis: uti factitatum memini, quum nos ad dialecticam, rhetoricam, metaphysicam admissos, prolixis mox praeceptis, cum commentariis etiam, et cornmentariorum exegesibus, autorumque collationibus et controversiis, obruerent. Quemadmodum et grammaticam latinam cum omnibus anomaliis, graecam etiam cum dialectis, nobis infercirent: misellis nobis attonitis haerentibus, et quid rerum fieret ignorantibus.

[note: emendatio.] 45. Hujus ataxiae remedium erit: ut

I. Mentibus puerorum, studiis dedendorum, jam inde a primo formationis tempore universalis eruditionis fundamenta ingerantur: id est talis rerum dispositio, ut sequentia postea studia nihil videantur adferre novi, sed tantum sint priorum particularior quaedam evolutio. Ita enim arbori, vel centenos annos crescenti, nulli novi rami enascuntur, sed primo enati in novos semper ramusculos diffunduntur.

Ii. Quaelibet lingua, scientia, ars, primum per simplicissima rudimenta traedatur, ut totalis ejus capiatur idea. Tum plenius, praecepta et exempla. Tertio, per systemata plena, adjunctis anomaliis. Tandem per commentarios, si tamen opus. A fundamento [note: n. B.] Enim rem qui capit, commentariis non adeo eget: commentari potius ipsemet paulo post poterit.

[note: fund. Vii.] Fundamentum vii.

[note: omnia gradatim, nihil per saltum.] 46. Natura non facit saltum, gradatim procedit.

Sic aviculae formatio suos gradus habet, qui neque transiliri, neque transponi possunt, donec pullus effractis claustris prodeat. Hoc ubi factum, non jubet eum illico avis mater volare, et pastum quaerere (nondum enim potest): sed nutrit ipsa, et proprio adhuc refovens calore, plumationem adjuvat. Plumatum rursus non statim nido propellit ad volandum: sed

---

Page 75/76, image: s063

Exercet paulatim, primo quidem in ipso nido extendere alas; deinde supra nidum sese attollendo, easdem agitare; mox extra nidum, in proximo tamen, volatum tentare; tum de ramo in ramum, post de arbore in arborem, deinde e monte in montem, transuolare: ita fit ut tandem libero coelo secure committat. En quam singula haec justum sibi deposcunt tempus! Nec tempus solum, sed et gradus: nec gradus tantum, sed et graduum immutabilem seriem!

[note: imitatio.] 47. Ita procedit qui domum aedificat: non incipit a fastigio, nec a parietibus, sed a fundamento. Neque posito fundamento, tectum imponit; sed erigit parietes. Verbo, ut se invicem excipiunt omnia, ita connectenda sunt, non aliter, omnia.

48. Ita arboratorem operarum suarum gradus observare necessum est: necesse inquam stirpem deligi, effodi, transplantari, circumcidi, diffindi, surculum inseri, commissuras obliniri etc. Quorum nihil omitti, nihil ab alio anteverti, potest. Atque ista quum ita gradibus suis legitime procedunt, fieri vix, ac ne vix quidem potest, ut opus non succedat.

[note: aberratio.] 49. Tricas igitur esse patet, si praeceptores sibi et discipulis studia non ita distribuant, ut non solum alia aliis succedant perpetuo, sed et unumquodque intra terminum certum absoluatur, necessario. Non constitutis enim metis, et ad metas mediis, et mediorum ordine, facile aliquid praeteritur, facile invertitur, facile rem turbat.

[note: emendatio.] 50. Posthac igitur

I. Studiorum universitas in classes accurate dispescatur, ut priora posterioribus ubique viam sternant, facesque accendant.

Ii. Tempora distribuantur exquisite, ut cuique anno, mensi, diei, horae, suum peculiare veniat pensum.

Iii. Dimensio haec temporis et operarum observetur stricte, ne quidquam praetereatur, quidquam invertatur.

[note: fund. Viii.] Fundamentum viii.

[note: non cessandum, nisi opere peracto.] 51. Natura dum incipit, non cessat, donec absoluat.

Avis enim, dum naturae instinctu ovis incubare incipit, non cessat, donec excludantur. Si enim vel per horas aliquot cessaret, foetus refrigefactus periret. Exclusos etiam pullos fovere non intermittit, donec vitasolidati, plumisque bene vestiti, aerem ferre queant.

[note: imitatio.] 52. Pictor itidem, effigiem formare orsus, optime sibi consulet, si continuet opus. Ita enim pigmenta se invicem melius temperant, firmiusque haerent.

53. Eadem ratione aedificii structuram ad finem usque continuo urgere, optimum est. Alioqui sol, pluvia, venti, operas corrumpunt, nec reliqua post adjicienda tam solide haerent: omnia denique mutila, hiulca, infirma redduntur.

54. Prudenter etiam arborator, postquam plantae manum admovit, non retrahit, nisi absoluta opera: quia si interposita mora stirpis aut surculi humorem desiccari permittit, plantam exarescere facit.

[note: aberratio.] 55. Unde liquet damnose fieri, si pueri per mensium vel annorum intervalla scholis committantur, rursumque per intervalla negotiis aliis distrahantur. Item si praeceptor jam hoc jam illud cum discipulo incoeptet, nihil ad finem usque serio urgens. [note: n b.] Tandem etiam, si non singulis horis certum quid et proponat et absoluat, ut notabilis omnino fiat accessio, singulis vicibus. Talis fervor ubi deest, frigescunt omnia. Nec enim frustra, ferrum dum calet cudendum esse, monetur: quia si refrigere pateris, frustra malleo tentaveris: ad ignem recurri necessum erit, cum certa iterum, tam temporis, quam ferri, jactura. Quoties etenim igni immittitur, toties de substantia deperit aliquid.

[note: emendatio.] 56. Ideoque

I. Scholae deditus retinetor, dum in hominem eruditum, moratum, religiosum, evadat.

Ii. Schola sit in loco tranquillo, a turbis et avocamentis remoto.

Iii. Quicquid ex. Praescripto agendum est agatur, nullo admisso hiatu.

Iv. Emansiones et evagationes (quocunque praetextu) nemini concessae sunto.

[note: fund. Ix.] Fundamentum ix.

[note: contraria vitanda.] 57. Natura diligenter contraria et noxia vitat.

Avis enim incubitu ova refovens, ventum asperum, nedum pluviam vel grandinem, non admittit. Abigit etiam serpentes, aves rapaces, aliaque nocumenta.

[note: imitatio.] 58. Sic architectus ligna, lateres, calcem, quantum potest in sicco servat: nec destrui, aut dirui, quod exaedisicatum jam est, patitur.

59. Similiter pictor, ad effigiem recens pictam ventum frigidum, calorem intensum, puluerem, manum alienam, non admittit.

60. Arborator, ne plantam novellam hircus aut lepus arrodat, vel evellat, palis aut corbita quadam circummunit.

[note: aberratio.] 61. Imprudenter igitur fit, quoties juventuti abinitio statim alicujus studii controversa proponuntur: id est, dubium de ea re,

---

Page 77/78, image: s064

Quae mente prehendenda est, movetur. Illud enim quid est nisi plantulam, radices agere cupientem, quassare? (verissime hugo scripsit: nunquam ad rationem veritatis intrabit, quisquis a discussione coeperit erudiri.) [note: 2.] Item, cum a libris turpibus, erroneis, consusis, non arcetur juventus: ut et sodalitio pravo.

[note: emendatio.] 62. Consultum itaque fuerit.

I. Discipulis librorum nullorum, nisi suae classis, copiam fieri.

Ii. Libros illos ita esse adornatos, ut nihil nisi sapientiae, morum, pietatisque, infundibula jure meritoque dici possint.

Iii. Sodalitia dissoluta in scholis aut circa scholas, non toleranda.

[note: conclusio.] 63. Haec omnia si observentur accurate, fieri vix poterit ut fine suo excidant scholae.

Cap. Xvii. In docendo et discendo facilitatis fundamenta.

[note: non sufficit aliquid certo posse:] ita consideravimus quibus mediis certo scopum suum assequi possit juventutis formator: videamus jam quomodo eadem illa media ingeniis attemperanda [note: facilitas quaerenda est.] Sint, ut faciliter et jucunde adhiberi queant.

2. Apparebit autem, ubi naturae vestigia excusserimus, institutionem juventutis facile processuram, si

[note: fundamenta ejus decem.] I. Mature incipiat, ante mentium corruptionem.

Ii. Cum debita animorum praeparatione fiat.

Iii. A generalioribus ad specialiora procedat.

Iv. Et a facilioribus ad difficiliora.

V. Si nemo discendorum nimietate praegravetur.

Vi. Et lente procedatur, ubique.

Vii. Et ad nihil cogantur ingenia, nisi quod uliro, aetatis et methodi ratione, appetant. Viii.

Et tradantur omnia per sensus praesentes.

Ix. Et ad vsum praesentem.

X. Et omnia una eademque methodo perpetua.

Ita inquam fiet, ut leniter et jucunde influant omnia. Sed relegamus jam ipsa naturae vestigia.

[note: fund. I.] Fundamentum i.

[note: materia pura sumitur.] 3. Natura non nisi a privatione incipit.

Avis enim, ad incubitum ova sumit recentia, materiam purissimam continentia: si pullus jam ante fuerat formari coeptus, frustra successum exspectes.

[note: imitatio.] 4. Sic architecto aedes posituro, area vacua opus est: aut certe si priorum in loco ponendae, necessario illae demoliendae sunt prius.

5. Pictor etiam in tabula vacua pingit optime. Si jam depicta est, aut commaculata, aut scabritie aliqua turpata, emaculanda prius et expolienda erit.

6. Sic qui unguenta pretiosa recondit, vasculis vacuis aut certe a liquore vetere optime repurgatis, opus habet.

7. Ita arborator optime novellas arbusculas plantat: aut si plantat adultiores, ramis eas prius nudari, omnesque alio succum spargendi occasiones intercipi, oportet. Atque id fuit, cur aristoteles privationem inter rerum principia referret: impossibile videns, novam materiei formam induci posse, priore non abolita.

[note: aberratio.] 8. Sequitur inde, primo, optime sapientiae studiis imbui tenellas mentes, aliis occupationibus nondum distrahi adsuetas. Et quo tardius formatio incipit, eo [note: i.] Procedere impeditius, mente scilicet aliis [note: 2.] Jam praeoccupata. Secundo, non posse cum fructu puerum a pluribus praeceptoribus simul institui: quia vix possibile omnes unam tenere formam: unde animorum tenellorum distractio et formationis [note: 3.] Impedimentum, sequitur. Tertio, imperite agere, qui pueros grandiores et adolescentes, suscipientes formandos, non a moribus incipiunt: ut scilicet affectibus edomitis ad caetera sibi reddant habiles. Equorum certe domitores primo equum ferro constringunt, et sibi obsequentem reddunt, quam sic aut sic incessum forment. Recte igitur

seneca: mores primum, mox sapientiam disce: quae sine moribus male discitur. Et cicero: philosophia moralis praeparat animos ad satus accipiendos et c.

[note: emendatio.] 9. Ergo

I. Fuventutis formatio mature incipiat.

Ii. Eidem discipulo in eadem materia non nisi unus sit praeceptor.

Iii. Mores ante omnia redigantur in harmoniam, ad formatoris nutum.

[note: fund. Ii.] Fundamentum ii.

[note: materia formae recipiendae appetens redditur.] 10. Natura materiam praedisponit, ut formae fiat appetens.

Ita pullus in ovo jam satis formatus, pleniorem appetens perfectionem seipsum commovet, testam dirumpit, aut rostro diffringit. Liberatus vero carcere illo, gaudet a matre foveri: gaudet cibari, avideque ora diducit, et immissum pabulum

---

Page 79/80, image: s065

Deglutit: gaudet ad coeli prospectum emitti: gaudet ad volatum exerceri, et paulo post volare: verbo, avide festinat ad omnia naturae munia, sed gradatim.

[note: imitatio.] 11. Sic arborator providere necesse habet, ut planta humore et calore vitali ad necessitatem instructa, laeta vigeat.

[note: aberratio.] 12. Male igitur pueris consulunt, qui invitos ad studia adigunt. Quid enim tandem inde sperabunt? Nisi ventriculus cum appetitu escas excipit, et ingeras tamen, sequi non potest nisi nausea et vomitus: aut certe mala concoctio, invaletudo. Contra, quidquid famelico stomacho ingeris, excipit avide, concoquit calide, in succum ac sanguinem convertit accurate unde isocrates [gap: greek word(s)]. Et quintilianus: studium discendi voluntate constat, quae cogi non potest.

[note: emendatio.] 13. Ergo

I. Sciendi et discendi ardor quacunque ratione in pueris inflammandus est.

Ii. Docendi methodus discendi laborem minuat; ut nihil sit quod discipulos offendat, et a studiorum continuatione deterreat.

[note: discendi ardor in pueris quomodo excitandus ac fovendus.] 14. Accenditur autem in pueris, et fovetur, discendi ardor, a parentibus, a praeceptoribus, a schola, a rebus ipsis, a methodo, a magistratu.

15. Parentes, si coram liberis erudi tionem et eruditos saepe laudibus evehant: si ad diligentiam cohortantes pulchellos [note: 1) a parentibus. 1. 2. 3.] Libellos, aut vestes, aut aliud quid amabile, promittant: si praeceptorem, (inprimis cui tradendi) ab excellenti tam eruditione, quam in discipulos humanitate commendent: (amor quippe [note: 4.] Et admiratio

vehementissimi sunt ad imprimendum imitandi studium affectus): tandem si ad eum aliquando cum legatione, aut munusculo, dimittant etc. Impetrabunt facile, ut tam doctrinam quam doctorem ipsum familiarius complectantur.

[note: 2) a preaceptoribus.] 16. Praeceptores vero si fuerint affabiles et blandi, nulla tetricitate a se animos [note: 1.] Absterrentes, sed paterno affectu, gestu, [note: 2.] Verbis, ad se allicientes: si studia, quae aggrediuntur, a praestantia, jucunditate, [note: 3.] Facilitate, commendent: si diligentiores subinde collaudent (pusionibus etiam poma, nuces, saccarum etc. Distribuentes): [note: 4.]Si ad se vocatis vel publice etiam, eorum quae aliquando discenda erunt picturas, instrumenta optica, geometrica, globos coeli, et similia, quae eos in admirationem rapere possent, [note: 5.]Commonstrent: si per ipsos parentibus a liquid [note: 6.] Subinde nuntient. Verbo si discipulos amanter tractabunt, facile illis cor suffurabuntur, ut vel saepius in schola quam domi versari gaudeant.

[note: 3) ab ipsa schola, amoenitatibus referta, intus et extra.] 17. Schola ipsa, debet esse locus amoenus, illecebras oculis afferens intus et extra. Intus sit conclave lucidum, mundum, picturis undique ornatum: sive quidem sint imagines virorum illustrium, sive mappae chorographicae, sive historiarum monumenta, sive emblemata quaedam. Extrinsecus vero, ut scholae adjaceat, nonsolum area, ad exspatiandum et colludendum (quandoquidem id pueritiae negandum non est, ut infra suo loco) sed etiam horius aliquis, in quem aliquando intromissi, arborum, florum, herbarum, intuitu, oculos pascere jubeantur. Ita si res instituatur, verisimile est non minore lubentia scholam adituros, quam solent nundinas, ubi semper aliquid novi sperent et videre et audire.

[note: 4) a rebus.] 18. Res ipsae alliciunt juventutem, si sint ad aetatis captum, et dilucide prolatae, intermixtis subinde vel jocosis, vel certe minus seriis, semper autem jucundis. Hoc enim est miscere utile dulci.

[note: 5) a methodo, (ut sit naturalis,] 19. Methodus ipsa ut appetitum studiorum excitet, necesse est, primo naturalem esse. Quidquid enim naturale est, fua sponte procedit. Aquam ut per declivitatem fluat, nihil opus cogi; remove modo aggerem, aut quicquid eam continet, illico fluere videbis. Neque aviculam opus rogari ut evolet, aperi modo caveam: ut nec oculum vel aurem, ut se eleganti picturae et melodiae obvertant, si offeras; retinaculis potius in talibus opus. Quid autem requirat naturalis methodus, e capite praecedente, ut et sequentibus regulis, patere poterit.

[note: et prudenter miscens utile dulci.)] Secundo, ut methodo ipsa alliciantur ingenia, opus est eam prudentia quadam edulcari: nimirum ut omnia, quantumvis seria, familiariter et jucunde proferantur, sub forma nempe colloquii, vel aenigmaticae concertationis tandemque sub parabolis et apologis. De quibus suo loco plenius.

[note: 6) a magistratu.] 20. Magistratus autem et scholarum curatores inflammare possunt studiosorum sedulitatem, si actibus publicis (sive illi exercitia sint, declamationes et disputationes,sive examina et promotiones) ipsimet intersint, atque inter diligentiores laudes et munuscula (citra prosopolepsiam) distribuant.

[note: fund. Iii.] Fundamentum iii.

[note: omnia e principiis propriis.] 21. Natura omnia e principiis, mole exiguis, virtute validis, educit.

Page 81/82, image: s066

Ex gratia. Illud unde avis formanda est, in guttam convoluitur, et circumducitur crusta; ut facile tam gestari in utero, quam incubitu foveri, queat. Id tamen ipsum totam avem virtute in se continet; quia inde postea corpus aviculae, ab incluso spiritu formatur.

[note: imitatio.] 22. Sic arbor, quantaevis magnitudinis totam se cum fructus sui nucleo, tum ramorum summitari, surculo, includit: ideo si hunc terrae indas, tota rursus arbor ex eo prodibit, virtute intus operante.

[note: aberratio stupenda.] 23. Enormiter contra hoc sundamentum in scholis peccatum est vulgo. Plerique enim praeceptorum, pro semine herbas serere, et pro surculis arbores plantare, satagunt: dum pro fundamentalibus principiis variarum conclusionum, imo integrorum textuum, chaos discipulis ingerunt. Cum tamen, quam certum est mundum e quatuor elementis (formis duntaxat variatis) conflari, tam certum est eruditionem ex paucissimis constare principris: e quibus (cognitis tantum differentiarum modis) infinita porismatum exsurgit multitudo; aeque ut in arbore de firmata bene radice centeni rami, millena autem folia, flores, fructus, exsurgere possunt. O misereatur seculi nostri [note: n. B.] Deus, et alicui mentis oculos aperiat, qui rerum nexus dextre pervideat, aliisque commonstret! Nos si deus volet, in pansophiae christianae synopsi tentaminis nostri dabimus specimen: ea humili spe, fore ut per alios plura suo tempore exhibeat deus.

[note: emendatio.] 24. Notentur interim tria.

I. Omnem artem brevissimis, sed exactissimis, includendam esse regulis.

Ii. Omnem regulam brevissimis, sed dilucidissimis, concipiendam verbis,

Iii. Omni regulae subjungenda plurima exempla, ut quam varie pateat regulae usus sufficienter patescat.**[note: fund. Iv.] Fundamentum iv.**

[note: faciliora prius.] 25. Natura a facilioribus ad difficiliora progreditur.

Ex. Gr. Ovi formatio non a parte duriore, cortice, incipit, sed a medulla: quae primum membranula circumdatur, postea demum testa duriore. Sic volatum editura avis primum pedibus consistere, tum alas commovere, mox agitare, tandem earum robustiore vibratu sese elevare, et denique liberiori aeri se concredere, adsuescit.

[note: imitatio.] 26. Sic faber lignarius, ligna primum caedere discit, tum asciare, deinde connectere, tandem integra aedificia construere et c.

[note: aberratio varia.] 27. Praepostere igitur fit, quoties in scholis ignotum per aeque ignotum docetur: [note: (1.)] Uti fit 1. Cum linguae latinae tironibus praecepta latina traduntur: quod tantundem est, ac siquis hebraeam per hebraea, arabicam per arabica praecepta, expicet. [note: (2.)] 2. Cum iisdem tironibus auxilio offertur lexicon latino-vernaculum; cujus contrarium fieri debebat. Non enim vernaculae per latinam discendae operam dant, sed

latinam docendi sunt: mediante igitur vernacula, utpote jam nota. (de qua ataxia pluribus cap. Xxii. Quiritabimur) [note:(3,)] 3. Cum puero indigenae praeceptor alienigena praeficitur, vernaculae pueri ignarus. Quia enim communi inter se agendi instrumento destituuntur, et non nisi nutibus et conjecturis inter se digladiantur, [note: (4.)] Quid nisi turrim babel aedificant? 4. Aberratur etiam a recta ratione, quod usdem grammaticis praeceptis (puta melanchtoneis vel rameis) etc. Omnium nationum juventutem (gallicam, germanam, bohemam vel polonam, hungaricam et c.) Informant: cum tamen quaevis illa lingua peculiarem, et quodammodo propriam, ad latinam linguam proportionem habeat, quam detegi necesse est, si latinae indolem expedite pueris innotescere cupimus.

28. Emendabuntur haec, si

[note: emendatio. I.] I. Praeceptor et discipulus ejusdem sint linguae.

[note: ii.] Ii. Omnes rerum explicationes lingua nota fiant.

[note: iii.] Iii. Quaevis grammatica et lexicon ei linguae adaptetur, qua mediante nova discenda est. (latina vernaculae, graeca latine et c.)

[note: iv.] Iv. Linguae novae studium gradatim procedat: ut nempe primo discipulus consuescat intelligere (id enim facillimum) tum scribere (ubi praemeditationi tempus datur:) tandem loqui:(quod quia extemporaneum est, difficillimum.)

[note: v.] V. Dum latina vernaculis junguntur, vernacula, utpote notiora, semper praecedant, latina sequantur.

[note: vi. N. B.] Vi. Res ipsae ita coordinentur perpetuo, ut primo innotescant qua in proximo sunt, tum quae in propinquo, post remotiora, tandem remotissima. Proinde cum pueris primum proponuntur praecepta (ex. Gr. Logica, rhetorica et c) illustranda sunt exemplis non ab ipsorum captu remotis, theologicis, politicis, poeticis etc. Sed ex quotidiano usu depromptis. Alioqui nec regulam, nec regulae usum, intelligent.

[note: vii. N b.] Vii. Exercendi sunt pueris primum sensus (hoc enim facillimum) tum memoria, mox intellectus, tandem fudicium. Ita enim

---

Page 83/84, image: s067

Gradatim illa se insequuntur: quia scientia a sensu incipit, et per imaginationem transit in memoriam: tum per inductionem singularium formatur intellectus universalium: tandem de rebus satis intellectis fit fudicium, ad scientiae certitudinem.

[note: fund. V.] Fundamentum v.

[note: nihil praegravate.] 29. Natura se non praegravat, paucis contenta est.

Exempli gratia. Ab uno ovo duas aviculas non exigit, contenta unam recte enasci [note: imitatio.] Arborator uni stirpi aliquot surculos non immittit: aut certe si sat robustam animadvertit, vix unum et alterum.

[note: aberratio.] 30. Distractio igitur animorum est, si discipulis diversa proponantur eodem tempore. Ut grammatica, et dialectica, et rhetorica forsan, et poesis, et lingua graeca etc. Eodem anno (vide cap: praecedenti fundam. Iv.)

[note: fund. Vi.] Fundamentum vi.

[note: nihil praecipitanter.] 31. Natura se non praecipitat, lente procedit.

Nec enim avis, ut pullos celeriter excludat, igni ova injicit, sed lentissimo naturali calore focillat: nec postea, ut ocyus adolescant, cibo obruit (suffocaret enim facilius) sed paulatim et circumspecte, quantum tenella adhuc nutritiva facultas concoquere sufficiat.

[note: imitatio.] 32. Sic architectus fundamento parietes, et parietibus tectum, non praepropere injicit: quia fundamentum non desiccatum et consolidatum satis, oneri cedere solet, unde aedificiorum ruinae consequuntur. Ideo nulla caementitia grandiora opera anni spatio absolui possunt: justa mora danda est.

33. Nec arborator primo statim mense plantam excrescere, aut primo statim anno fructum ferre, postulat. Ideo quotidie manum non admovet, nec quotidie rigat, nec ut incalefaciat igne admoto, vel aspersa calce viva, urget: sed quantum a coelo rigari, et a sole calefieri valet, eo contentus est.

[note: aberratio.] 34. Carnificina ergo juventuti fuit [note: 1.] I horis sex, septem, octo, publicis lectionibus et exercitiis distineri quotidie, [note: 2.] Necnon privatis aliquot. 2 dictatis excipiendis, exercitiis componendis, et memoriae quam plurimis mandandis, obrui, ad nauseam usque, aut etiam delirium, ut saepe vidimus. Cum tamen qui oris angusti vasculo (qualibus ingenia puerorum comparantur) vi insundere, quam guttatim instillare, malit, quid proficiet? Transfluet certe liquoris patior pars, et longeminus quam sensim poterat intrabit. Ineptit prorsus, qui discipulos docere satagit, non quantum illi capiunt, sed quantum ipse cupit: quia vires adjuvari volunt, non opprimi: et fuventutis formator, aeque ut medicus, naturae minister tantum est, non dominus.

[note: emendatio.] 35. Facilitatem itaque, et studiorum jucunditatem discipulis augebit, quisquis eos

I. Quam paucissimis horis ad publicas lectiones trahet: nempe quatuor, totidem ad tentamina privata relictis.

Ii. Quam minime memoriam satigabit: nempe non nisi fundamentalibus, reliquis libere fluere permissis.

Iii. Omnia tamen ad proportionem capacitatis, quae aetatis et studiorum progressu seipsam augebit.

[note: fund. Vii.] Fundamentum vii.

[note: nihil invite.] 36. Natura nihil protrudit, nisi quod intus maturatum prorumpere gestit.

Nec enim cogit aviculam ovum deserere, nisi membris juste conformatis et confirmatis: nec volatum urget, nisi cum sentit plumatam: nec extra nidum pellit, nisi cum volare gnaram videt et c.

Sic arbor germina non protrudit, nisi cum succus e radice ascendens ea trudit: nec gemmas hiare facit, nisi postquam ex incluso humore folia cum flore formata liberius se explicare cupiunt: nec florem dejicit, nisi cum involutus fructus cuticula tectus est: nec fructum cadere, nisi postquam maturuit, permittit.

[note: aberratio.] 37. Vis itaque infertur ingeniis. 1 quoties ad illa, ad quae aetas et captus nondum assurrexit, adiguntur. 2 quoties absque praevia sufficienti rei alicujus explicatione, declaratione, instructione, aliquid sive memoriae mandare, sive agere jubentur.

[note: emendatie. N. B.] 38. Posthac igitur,

I. Nihil cum fuventute tentetur, nisi quod aetas et ingenium, non solum admittunt, sed et appetunt.

[note: n b.] Ii. Nihil memoriae mandare jubeantur, nisi quod intellectu probe comprehensum est. Nec rursum memoria exigatur quidquam, nisi quod tenere puerum certis indiciis constet.

Iii. Nihil agendum committitor, nisi cujus forma, et imitandi norma, sufficienter monstrata fuerint.

[note: fund. Viii.] Fundamentum viii.

[note: omnia ad sensum evidenter.] 39. Natura seipsam juvat, quotquot potest modis.

Page 85/86, image: s068

Ex. Gr. Ovo non deest vitalis suus calor: qui tamen ut solis calore, aut incubantis avis plumis, juvetur, naturae parens providet, deus. Exclusum etiam pullum mater quamdiu opus est, et fovet, et varie ad vitae munia format et firmat. In ciconiis videre id possumus, quomodo junioribus suis subveniant, etiam dorso eas excipiendo, et circa nidum, alas quoque agitantes, circumferendo. Ita nutrices infantum infirmitati varie succurrunt. Docent enim primum caput erigere; deinde sedere; tum pedibus consistere: mox pedes ad gressum commovere: dehinc gressus figere; postea paulatim progredi: tum expedite. Procedere: unde tandem ad cursum etiam agilitas sequitur. Quum vero fari docent, et praenuntiant verba, et quid verba illa significent manu commonstrant etc.

[note: aberratio.] 40. Crudelis itaque praeceptor est, qui objecto discipulis labore, nec declarat satis quid sit, nec quomodo fieri debeat monstrat, multo minus tentantes juvat: sed ipsosmet sudare et aestuare jubet, atque si quid minus recte agunt, saevit. Id autem quid nifi excarnificatio est juventutis? Perinde ac si nutrix infantem pedibus adhuc stare trepidantem, ad expeditum incessum cogere; et si nequeat verberibus impetere, velit. Aliud vero natura nos docet: nempe tamdiu infirmitatem tolerari debere, quamdiu robur abest.

[note: emendatio.] 41. Posthac igitur

I. Verbera ob doctrinam nulla infligunttor. (nam si non discitur, cujus nisi praeceptoris culpa est, qui discipulum docilem reddere vel nescit, vel non curat:)

Ii. Quidquid ediscendum est discipulis, id eis tam clare proponatur et exponatur, ut veluti suos quinque digitos ante se habeant.

Iii. Utque omnia illa facilius imprimantur, sensus adhibeantur quotquot possunt.

42. Ex. Gr. Auditus cum visu, lingua cum manu, perpetuo jungatur. Non solum scilicet enarrando, quod sciri debet, ut auribus illabatur: sed et pingendo, ut imaginationi imprimatur per oculos. Illi vicissim discant mox, et pronuntiare lingua, et exprimere manu: ut a nulla re discedatur, nisi postquam auribus, oculis, menti, memoriaeque, satis impressa sit. Atque hoc fine bonum erit, omnia in classi quavis tractari solita, per parietes ejusdem auditorii depingi: sive sint theoremata et canones, sive imagines et emblemata, illius quoe traditur disciplinoe. Id enim si fiat, incredibilebile quantum sit impressionis adjumentum. Huc pertinebit; ut quidquid audiunt, vel etiam in libris legunt, omnia in diaria sua, seu locos communes, transfcribere condocefiant: quia sic et imaginatio juvatur, et recordatio post facilius instituitur.

[note: fund. Ix.] Fundamentum ix.

[note: omnia ad vsum potenter.] 43. Natura nihil producit, nisi cujus vsus mox patescat. Ex. Gr. Cum aviculam format, mox apparet alas ad volandum, pedes ad currendum etc. Dari. Sic in arbore quidquid nascitur, usum habet, usque ad putamina illa, lanuginemque, fructum tegentia etc. Ergo

[note: imitatio.] 44. Facilitatem discipulo augebis, si quidquid ipsum docebis, quem illud in vita communi quotidiana usum habeat, ostenderis. Ubique prorsus id obtinere debet, in grammatica, dialectica, arithmetica, geometria, physica etc. Absque hoc sit, quidquid enarraveris, monstra quaedam videbuntur ex orbe novo: quae utrum in rerum natura sint, et quomodo sint, puer non adeo solicitus, credet potius quam sciet. At si quo spectet unumquodque ostendas, prorsus in manum dabis, ut scire [note: n. B.] Se sciat, et operari gestiat. Ergo

45. Nihil doceatur nisi ad usum proesentem.

[note: fund. X.] Fundamentum x.

[note: omnia uniformiter.] 46. Natura uniformiter agit omnia. Ex. Gr. Cujusmodi est progeneratio unius avis, ejusmodi omnium avium, imo omnium animalium, circumstantiis solummodo quibusdam variata. Sic in plantis: quomodo herba una e semine suo nascitur et excrescit; quomodo arbor una plantatur, germinat, floret, ita omnes, ubique, semper. Et quale est in arbore folium hoc, talia caetera omnia: et qualia hoc anno, talia sequente, et semper.

[note: aberratio.] 47. Confundit itaque juventutem, studiaque admodum intricata reddit, methodi varietas: quod non solum diversi auctores diversimode artes tradunt, sed et unus idemque diverse. Ex. Gr. Aliter grammaticam, aliter dialecticam etc. Cum tamen uniformiter haec tradi queant, ad universi harmoniam: et ad illum, quem res et verba inter se habent communem respectum ac nexum.

[note: emendatio.] 48. Quapropter videndum erit, ut posthac

[note: n. B.] I. Una eademque methodus sit tradendis omnibus scientiis; una eademque omnibus artibus; una eademque omnibus linguis.

Ii. In eadem schola idem sit omnium exercitiorum ordo et modus.

Iii. Librorum editiones in eadem materia; quantum potest eoedem sint.

Ita sine haesitatione facile procedent omnia.

Cap. Xviii. Soliditatis in docendo et discendo fundamenta.

[note: vulgaris eruditio res superficiaria.] Paucos esse qui e scholis solidam exportent eruditionem, plerosque vix superficiem, vel umbram, et querelae [note: causa duplex.] Multorum sunt, et res ipsa testatur.

[note: 1.] 2. Causam si quaeras, duplex erit. Aut [note: 2.] Quia tenuibus et frivolis operam dant, neglectis solidioribus, scholoe; aut quia scholastici quae didicerunt, dediscunt rursum, plerisque studiis ingenia transfluentibus solum, non haerentibus. Atque posterior hic defectus tam vulgaris est, ut pauci sint qui non conquerantur. Nam si omnia nobis quae unquam legimus, audivimus, et mente complexi fuimus, memoria prompte suppeditaret, hem quam eruditi haberemur! Quicunque varia experiundi occasionibus non defuimus. At quia secus evenit, certum est nos cribro haurire aquam.

[note: remedium utriusque a naturali methodo petendum.] 3. Huic autem malo dabiturne remedium? Utique, si iterum scholam naturoe ingressi, ejus circa productionem duraturarum creaturarum vestigemus vias. Licebit inquam invenire modum, quo aliquis non solum quae didicit, sed plus quam didicit, scire possit; puta non solum quae a praeceptoribus et auctoribus hausit, expedite reddendo, sed ipsemet de rebusa fundamento judicando.

[note: gradu deno.] 4. Id autem obtinebitur, si

I. Nihil nisi res solide profuturoe, tractentur.

Ii. Omnes tamen illoe, sine divortio.

Iii. Omnibusque substernantur fundamenta, solida.

Iv. Fundamenta illa ponantur profunde.

V. Omnia post nonnisi fundamentis illis innitantur.

Vi. Omnia distinguenda articulatissime distinguantur.

Vii. Omnia posteriora in prioribus fundentur.

Viii. Omnia quoe cohoerent perpetuo connectantur.

Ix. Omnia per proportionem intellectus, memorioe, linguoe, ordinentur.

X. Omnia exercitiis continuis firmentur.

Videamus accuratius singula.

[note: fund. I.] Fundamentum i.

[note: nihil impertinens attingendum.] 5. Natura nihil inutile occoeptat. Ex. Gr. Formare dum incipit aviculam, non ei squamas, non pinnas, non branchias, non cornua, non pedes quatuor, aut quidquam quorum illi usus non erit, affingit; sed caput, cor, alas, etc. Sic, arboris natura non sibi aures, oculos, plumas, pilos etc. Sed corticem, librum, medullam, radicem etc. Effingit.

[note: imitatio mechanica:] 6. Ita qui agrum, vineam, hortum, desiderat fructiferos, non conserit zizaniis, urticis, spinis, et sentibus: sed seminibus et plantis generosis.

7. Sic architectus solidas exstructurus aedes, non stramen, non paleas, non lutum, non lignum saligneum, sed lapides, lateres, lignum quernum, et similia solidae compactaeque substantiae comportat.

[note: et in scholis] 8. In scholis igitur

I. Nihil tractetur nisi quod solidissimum habeat usum, ad hanc et futuram vitam: magis autem ad futuram.

(ea siquidem discenda sunt in terris, monente hieronymo quorum scientia perseveret in coelos.)

Ii. Quod si hujus etiam vitoe causa nonnulla fuventuti opus est instillari (uti est) illa talia sint, quoe oeterna illa non impediant, proesenti autem vitoe solidum ferant fructum.

[note: sola solida tractanda.] 9. Cui enim bono tricae? Quid prodest ea disci, quae nec scienti prosunt, nec ignoranti obsunt? Et quae aetaris propressu vel dediscenda, vel inter negotia obliviscenda erunt? Brevis vita nostra abunde habet quibus expleatur tota, etiamsi nihil ejus nugis demus. Id igitur scholis incumbat, nullis nisi seriis occupare juvetutem. (nam et ludicra quomodo in seria ducere debeant, suo loco dicetur.)

[note: fund. Ii.] Fundamemtum ii.

[note: nihil ad rem pertinens non agendum.] 10. Natura quidquid illi corpori quod format profuturum sentit, nihil ejus omittit. Ex. Gr. Dum format aviculam, non caput, non alam, non pedem, non unguem, non cutem, non oculum, non quidquam denique quod ad volucris (eo in genere) essentiam pertinet, obliviscitur etc.

[note: imitatio in scholis.] Ii. Eodem igitur modo scholoe dum hominem formant, totaliter forment, ut parem negotiis hujus vitoe, ipsique oeternitati, ad quam

---

Omnia haec quoe antecedunt tendunt, aptum reddant.

12. Doceantur igitur in scholis non literoe solum, sed et mores, et pietas. Literatura vero expoliat homini intellectum, linguam, manum, ad omnia utilia rationabiliter contemplandum, eloquendum, operandum. Si quid horum omittetur, hiatus erit, non solum defectum eruditionis inferens sed et soliditatem infringens. Quippe nihil solidum esse potest, nisi undiquaque sibi cohoerens.

[note: fund. Iii.] Fundamentum iii.

[note: solida solide fundanda.] 13. Natura nihil absque fundamento, sive radice, agit.

Planta certe antequam radicem infra se agit, sursum non germinat: aut si hoc tentat, marcescere eam, ac mori, necessum est. Ideo arborator prudens ne plantat quidem, nisi stirpem radices. Egisse viderit. In ave, et omni animali, radicis vicem viscera (membra vitalia) praestant; quae iccirco semper primo formari incipiunt, tanquam totius corporis fundamentum.

[note: imitatio.] 14. Sic architectus aedificium non superstruit, nisi praesupposito solido fundamento: alias omnia in ruinam parabuntur. Similiter pictor pigmentis suis fundamentum substernit: absque eo quippe colores facile aut decidunt, aut deteruntur, aut decolorantur.

[note: aberratio.] 15. Tale fundamentum eruditioni non [note: 1.] Substernunt praeceptores, qui 1 dociles primum et attentos sibi reddere discipulos [note: 2.] Non laborant. 2 ideam generalem totius studii, quod aggrediuntur, animis non praedelineant; ut quid agendum sit et agatur, discipuli distinctissime intelligant. Jam autem si puer sine prolubio, et sine attentione, et sine intelligentia, discit, quid solidi inde speres?

16. Posthac igitur

[note: emendatio.] I. Quodcunque studium inchoatur, ejus amor serio in discipulis excitetur: argumentis ab excellentia, utilitate, jucunditate, et undecunque ductis.

Ii. Idea linguoe vel artis (quae nihil aliud est quam ejus epitome, generalissime, omnibus tamen sui partibus, delineata) semper prius imprimatur discentis animo, quam ad particularem ejus tractationem veniatur: ut nimirum discens jam inde a primo aditu omnes ejus in circuitu metas et terminos probe pervideat, sicut et interiorem ejus posituram. Nam quomodo sceletos totius corporis basis est; ita delineatio artis, basis et fundamentum totius artis.

[note: fund. Iv.] Fundamentum iv.

[note: fundamenta profunde.] 17. Natura radioes profunde agit.

Ita in animali vitalia membra in corporis intimo recondit. Et arbor quo profundius agit radices, eo firmius stat: quae sub caespite tantum, facile evellitur.

[note: aberrationis emendatio.] 18. Apparet inde, tum docilitatem in discipulo serio esse excitandam, tum ideam mentibus profunde imprimendam: ad plenius artis aut linguae systema ne accedatur quidem, antequam ideam planissime conceptam et bene radicatam esse, constiterit.

[note: fund. V.] Fundamentum v.

[note: omnia e radicibus propriis.] 19. Natura omnia producit e radice, aliunde nihil. In arbore enim quidquid ligni, corticis, foliorum, floris, fructus, provenit, non aliunde quam e radice provenit. Nam etsi pluviae superne descendant, et hortulanus inferne riget, necesse tamen est omnia per radicem destillari, demumque per stipitem, ramos, frondes, folia, fructus, diffundi. Ideo arborator, quanquam aliunde surculum affert, eum tamen ita stirpi inplantare necesse habet, ut substantiae ejus quasi incorporatus, ejusdem radicis succum sugere, eoque nutritus explicare sese possit, vi radicis: unde arbori omnia veniunt, aliunde folia et frondes afferri et agglutinari nihil opus. Eodem modo quum avis plumis vestienda est, non ab alterius volucris exuviis eae sumuntur, sed ex intimis corporis ejus partibus educuntur.

[note: imitatio mechanica.] 20. Ita providus architectus omnia sic aedificat, ut proprio nixa fundamento stent, suisque cardinibus incumbant, sine externis fulcris. Nam his aedificium egere, imperfectionis et ad ruinam proclivitatis argumentum est.

21. Ita qui piscinam, aut aquoe puteum, parat, non aliunde inferri jubet aquas, nec pluviales exspectat, sed fontes vivae scaturiginis aperit, et per canales atque tubos occultos in suum receptaculum derivat.

Page 91/92, image: s071

[note: et in scholis.] 22. Ex hoc theoremate sequitur, juventurem recte erudire, non esse verborum, phrasium, sententiatum, opinionum, farraginem ex auctoribus collectam ingeniis infercire: sed rerum intellectum aperire, ut ex eo ipso velut fonte vivo rivuli scaturiant: et tanquam ex arborum gemmis folia, flores, fructus, progerminent: sequenti vero anno rursum ex qualibet gemma novus ramusculus, cum suis foliis, flore et fructu, enascatur.

[note: scholarum aberratio enormis.] 23. Hoc scholae revera non egerunt hactenus, ut ingenia velut arbores novellas propria radice vegetari condocefacerent: sed decerptos tantum aliunde ramusculos sibi appendere, et sic aesopicae cornicis instar alienis plumis vestiri, docuerunt: nectam intelligentiae in illis latentem fontem defodere, quam alienis rivulis ea irrigari, laborarunt. Id est, non [note: n. B.] Monstrarunt res ipsas, quomodo a seipsis, et in seipsis sint, sed quid de hoc et illo unus et alter, et tertius, et decimus quisque, sentiat et scribat: ut maximae eruditionis habitum fuerit, de multis multorum discrepantes tenere sententias. Hinc factum, ut plerique nihil agerent nisi quod per auctores sese volutando, phrases, sententias, opiniones, excerperent, scientiam centonis instar consarcinantes. Quos inclamat horatius: o imitatores servum pecus! Vere servum pecus, alienis tantummodo bajulandis adsuetum.

[note: superficiarioe eruditionis fucus.] 24. At quid refert, quaeso, variorum de rebus opinionibus distrahi, ubi rerum, quales vere sunt, notitia quaeritur? Itane quod agamus in vita nihil est, nisi ut caeteros huc illuc discursantes insequamur, et qua quisque deviet, aut caespitet, aut deliret, speculemur? O mortales, ad metam festinemus, relictis ambagibus! Quam si habemus sixam et conspicuam satis, cur non ad eam recta contendamus? Cur alienis potius quam propriis utamur oculis?

[note: causa ejus vitiosa methodus.] 25. Facere autem id schola, ut alienis oculis cernere, alieno corde sapere, doceant, ostendit methodus omnium artium: quae non fontes reserare, rivulosque inde varios diducere, docent, sed tantum ex auctoribus deductos rivulos ostendunt, et secundum illos retrogredi jubent ad fontes. Nulla enim dictionaria (nobis quidem visa, cnapium polonum si excipias: sed et in hoc quid desideremus, capite xxii. Ostendemus) docent loqui, sed intelligere: vix ullae grammaticoe institutiones sermonem componere, sed resoluere: nec ullae phraseologioe phrasium artificiose componendarum et variandarum rationem monstrant, sed phrasium tantum confusam farraginem objiciunt. Nemo fere physicam oculari demonstratione, et experimentis, docet: omnes textus aristotelici, alteriusue, recitatione. Mores nemo per internam affectuum reformationem format, sed per externas virtutum definitiones, et divisiones, superficietenus adumbrant. Apparebit id melius, ubi cum deo, ad specialem artium et linguarum methodum venerimus: magis autem, si deus volet, in pansophiae delineatione.

[note: opifices mechanici melius sua trastant.] 26. Et mirum certe, non melius hic prospexisse antiquos, aut certe non jampridem emendatum a recentioribus hunc errorem: quum certum sit tam tardorum profectuum hic causam residere verissime. Quid enim? Faber lignarius destruendone domos aedificandi artem discipulo monstrat? Imo construendo, quis mate riarum adhibendus delectus, et quomodo unumquodque suo loco mensurandum, asciandum, dolandum, tollendum, ponendum, connectendum etc. Ostendit nam qui construendi tenet rationem, ei destruere nulla ars erit: ut et dissuere vestem, illi qui consuere doctus est. At domos demoliendo fabrilem, et vestes rescindendo sartoriam, nemo unquam didicit.

[note: literoetorum circa sua incurioe noxa duplex 1.] 27. Et sane, non rectificatae hac parte methodi incommoda, imo noxae, in aperto sunt. Quod bene multorum, si non plerorumque, eruditio mera nomenclatura absoluaiur: hoc est, quod terminos et regulas artium recitare quidem sciunt, ad usum justum adhibere nesciunt. [note: 2.] Quod nullius eruditio sit scientia universaalis, seipsam sustentans et roborans et diffundens: sed consarcinatum quiddam, hinc frustum, illinc frustum, nec ullibi satis cohoerens, aut [note: n. B.] Quidquam solidi fructus ferens. Collecta enim illa ex variis auctorum sententiis et opinionibus scientia, simillima est arbori in rusticanis encaeniis erigi solitae: quae tametsi varie appensis frondibus, floribus, fructibus, imo sertis et corollis, decorata spectetur, quia tamen ista non e radice propria veniunt, sed externe appenduntur, fit ut nec multiplicari possint, nec perennare. Nullos enim talis arbor fructus edit, et quae appensae sunt frondes, marcore contracto defluunt. At vir e fundamento doctus, est arbor suoe radicis, proprio humore se sustentans, ideoque perpetuo (et quidem robustius in dies) vigens, virens, florens, fructisicans.

[note: emendatio.] 28. Summa huc redit; docendi sunt homines, quantum maxime fieri potest non e libris sapere, sed e coelo, terra, quercubus et fagis: id est, nosse et scrutari res ipsas, non de rebus tantum alienas observationes et testimonia. Atque hoc erit in

---

Page 93/94, image: s072

Priscorum sapientum vestigia rediisse, si non aliunde quam ex ipso archetypo rerum hauriatur cognitio. Lex ergo sit

I. Omnia e principiis rerum immotis deriventur.

Ii. Nihil doceatur per auctoritatem nudam, omnia per demonstrationem, sensualem et rationalem.

Iii. Nihil methodo analytica sola, synthetica potius omnia.

[note: fund. Vi.] Fundamentum vi.

[note: omnia distincte.] 29. Natura quo pluribus usibus aliquid parat, eo articulatius distinguit.

Ex: gr. Animal quo pluribus articulis distincta habet membra, eo distinctiorem motum: ut equus prae bove, lacertaprae cochlea etc. Sic arbor in radicum et ramorum brachia bene sparsa, firmior est et amoenior.

[note: imitandum.] 30. In fuventute igitur instituenda, omnia quam distinctissime sunt agenda: ut non solum docens, sed et discens, ubt sit et quid agat, sine ulla confusione intelligat. Permultum itaque intererit omnes in scholis proponendos libellos ad hoc naturae lumen, accuratissime concinnari.

[note: fund. Vii.] Fundamentum vii.

[note: omnia continuo progressu.] 31. Natura in perpetuo est progressu, nunquam consistit, nunquam prioribus derelictis nova molitur: sed tantummodo prius coepta continuat, augmentat, perficit. Ex. Gr. In foetu formando, quod coepit fieri caput, pes, cor etc. Id manet, perficitur tantum. Arbor sativa quos primum ramos nacta, eos non abjicit, sed ut se in novos quotannis ramusculos explicare possint, vitalem succum suppeditare sollite pergit.

[note: imitandum.] 32. In scholis igitur

I. Studia omnia sic disponantur, ut posteriora semper in prioribus fundentur; priora vero a posterioribus firmentur.

Ii. Omnia proposita, intellecturecte percepta, memorioe quoque infigantur.

[note: de memoria prima oetate inprimis augmentanda et firmanda.] 33. Quia enim in hac naturali methodo omnia praecedentia omnibus sequentibus fundamenta dare debebunt: aliter non licebit, quam ut solide ponantur omnia. Solide autem menti non immittitur, nisi quod probe intellectum, et memoriea accurate commendatum, fuerit. Vere enim quintilianus: omnis disciplina memoriaconstat: frustraque docemur, si quidquam eorum quoe audimus (aut legimus) proeterfluat. Ludovicus vives: prima oetate exerceatur memoria, quoe excolendo augetur: multa ei commendentur, cum cura et soepe. Nam illa oetas laborem non sentit, quia non expendit. Ita extra laborem ac negotium dilatatur memoria, et fit capacissima. (lib. 3. De tradendis discipl.) Et in introductione ad sapientiam inquit: memoriam quiescere non sines. Nihil est quod oeque labore gaudeat et augeatur. Commenda ei quotidie aliquid: quo plura ei commendabis, hoc custodiet omnia sidelius: quo pauciora, eo infidelius. Atque [note: n. B.] Hoc verissime dici, naturoe exempla docent. Arbor sane, quo plus humoris bibit, eo validius crescit: et rursum quo validius crescit, eo plus attrahit. Sic animal si plus concoquit, plus grandescit: et grandius factum plus alimenti appetit, plus digerit. Eodemque modo omnia prorsus naturalia suis auctibus incrementa capiunt. [note: n. B.] Non parcendum igitur hac in parte primoe oetati (modo cum ratione fiat): fundamentum id critsolidissimi profectus.

[note: fund. Viii.] Fundamentum viii.

[note: omnia continuis nexibus.] 34. Natura omnia colligat nexibus perpetuis. Ex. Gr. Dum format aviculam, membrum membro os ossi, nervum nervo etc. Annectit per omnia. Sic

in arbore, e radice enascitur truncus: e trunco rami: e ramis ramusculi: e ramusculis surculi: e surculis gemmae; e gemmis folia, flores, fructus, tandemque novi surculi etc. Ut quamvis millies milleni adsint rami, frondes, folia, fructus, nihil tamen sint nisi una eademque arbor. Sic in aedificio, si persistere debet, fundamento parietes, parietibus laquearia et tecta, omnia denique maxima et minima, ita sibi invicem non solum coaptanda, sed et connectenda sunt, ut cohaereant firmiter, faciantque unam domum.

[note: imitandum.] 35. Inde sequitur

I. Studia totius vitoe, ita esse disponenda, ut sint una encyclopoedia: in qua nihil sit noncommuni radice ortum, nihil non loco proprio consistens.

Ii. Omnia quoe traduntur, ita esse rationibus firmanda, ut neque dubitationi, neque oblivioni, facile relinquatur locus

Rationes enim sunt isti clavi, istae fibulae, istae subscudes, quae rem faciunt firmiter haerere, non vacillare, non excidere.

Page 95/96, image: s073

[note: per causas docere quid.] 36. Rationibus autem omnia firmare, est omnia docere per causas: hoc est, non solum quomodo unum quodque sit, sed etiam cur aliter esse non possit, ostendere.scire quippe est, rem per causas cognoscere. Ex. Gratia. Sit quaestio, rectiusne dicatur, totus populus, an cunctus populus? Si responderit praeceptor, cunctus populus, ratione non addita, discipulus paulo post obliviscetur. At si dixerit: cunctus esse contractum ex conjunctus: ideoque totus rectius dici de re una solida; cunctus, de aliquo collectivo, uti hic: quomodo hoc puer oblivisci possit, non video, nisi extreme bardus. Item, disputant grammatici, cur dicatur mea refert, tua refert, ejus refert, id est, cur in prima et secunda persona adhibeantur ablativi (ita enim credunt) in tertia genitivus? Ego si dixero ideo fieri, quia refert, ' hoc loco contractum est ex res fert (per elisionem [gap: greek word(s)]): ideoque dici oportere mea res fert, tua resfert, ejus resfert (sive contracte, mea refert, tua refert, ejus referi): atque ita mea et tua non esse ablativos sed nominativos: nonne discipulo facem accendero? Hoc ergo volumus, ut discipuli omnium vocum originationes, omnium phrasium (seu constructionum) rationes, omniumque in ar ibus regularum fundamenta [note: n. B.] (theoremata enim scientiarum non per rationes aut praesupposita, sed per demonstrationem primam, quae rerum ipsarum est, firmanda sunt) distincte et expedite nosse doceantur. Quod praeter jucundissimam oblectationem insignem quoque habebit usum: quippe solidissimae eruditioni sternet viam: quia sic mirum quantum discentibus ad alia ex aliis ultro et per se cognoscenda oculi aperiuntur.

[note: conclusio.] 37. Ergo in scholis

Omnia doceantur per causas.

[note: fund. Ix.] Fundamentum ix.

[note: omnia proportione continua, interiorum ad exteriora.] 38. Natura inter radicem et ramos proportionem servat; quantitatis et qualitatis respectu.

Nam quomodo radix sub terra se explicat, robustius aut debilius, ita supra terram rami, non plus, non minus. Atque ita necessum est: quia si arbor sursum duntaxat crescat, non poterit sustentari: radice enim sustentatur. Si deorsum duntaxat, sine usu erit: rami enim fructum ferunt, non radix. Sic in animali, exteriora membra cum interioribus pari proportione augmenta sumunt. Si interiora bene se habent, etiam exteriora bonam acquirunt habitudinem.

[note: imitan dum.] 39. Sic igitur eruditio quoque, ut ut in interiore intelligentiae radice primum concipienda, fovenda, roboranda: providendum tamen simul, ut se foris etiam in ramos et frondes spectabiliter pandat: host est, ut quaequis intelligere docetur, doceatur simul eloqui et operari, seu transferre ad usum; et vice versa.

40. Ergo

I. Quicquid fuerit perceptum, statim cogitetur, quem habiturum sit usum; ne quidquam frustra discatur.

Ii. Quicquid perceptum est, transfundatur iterum aliis communicando in alios: ne quidquam frustra sciatur.

Eo enim sensu verum est: scire tuum nihil est nisi te scire hoc sciat alter. Nullus proinde aperiatur scientiae fonticulus, quin illico emanent rivuli. Verum de hoc plura sequente fundamento.

[note: fund. X.] Fundamentum x.

[note: omnia exercitiis perpetuis.] 41. Natura seipsam motu crebro vegetat et roborat.

Sic avis ova, non incubitu solum fovet, verum etiam ut foveantur undique aequaliter, huc illuc quotidie versat. (observatu id facile est in anseribus, vel gallinis, et columbis, domi nostrae pullos excludentibus.) Enatum vero pullum crebra commotione, orisque, pedum, alarum, expansione, agitatione, elevatione, varioque incelsus et volatus tentamine, exercet, ad robur usque.

Sic arbor, quo crebrius a ventis transpiratur, eo alacrius exsurgit, eo profundius radices agit. Quinimo plantis omnibus bono cedit, nimbo, grandine, tonitru et fulgure, exerceri: ideo regiones ventis et fulminibus obnoxiae robustiora ligna producere dicuntur.

[note: imitatio mechanicorum.] 42. Quemadmodum et architectus opera sua sole et vento desiccari et solidari, novit. Et. Faber ferrum induraturus, atque ad aciem praeparaturus, multoties igni et aquae infert, eoque modo per vices calore et frigore exercet, ut saepius emolliendo magis induret.

[note: exercitioru scholasticorum idea a natura petenda.] 43. Sequitur inde, perduci ad soliditatem non posse eruditionem, sine repetitionibus et exercitiis quam creberrimis, et quam dexterrime institutis. Quae autem sit exercitiorum ratio optima, docent nos naturales nutritivae facultati inservientes in corpore vivo motus: nempe attractionis, concoctionis, et digestionis.

Ut enim in animali (imo et planta) quodlibet membrum alimentum appetit, ut concoquat: concoquit autem, tam ut seipsum nutriat (concocti partem sibi relinquendo et assimilando) quam ut vicinis communicet, ad conservationem totius. (quodlibet enim membrum inservit aliis, ut sibi serviatur ab aliis.) Ita pariter doctrinam multiplicabit, qui animi pabulum semper

I. Quaeret et attrahet.

Ii. Inventum et attractum ruminabit et concoquet.

Iii. Concoctum digeret, et cum aliis communicabit,

44. Quae tria expressa sunt vulgato illo versiculo:

[note: multa rogare, tenere, docere, multae eruditionis mysterium.] Multa rogare: rogata tenere: retenta docere,
haec tria discipulum faciunt superare magistrum.

Rogare fit, magistrum, aut condiscipulum, aut libros; de re ignota consulendo. Retinere, cognita et intellecta memoriae mandando, obque certitudinem majorem (quandoquidem pauci sunt tam felici ingenio, qui memoriae omnia fidere queant) in scriptum transferendo. Docere fit, condiscipulis, aut quibusuis obviis, omnia comprehensa rursum enarrando. Priores duo modi scholis noti sunt, tertius nondum satis: quem tamen introduci admodum e re foret. Verissimum enim est illud; qui alios docet, seipsum erudit: non solum quia repetendo conceptus suos in se firmat, sed etiam quia profundius in res penetrandi occasionem nanciscitur. Hinc ingeniosissimus ille foachimus fortius de fe testatur; quoecunque unpvam vel audisset vel lerisset solum, ea sibi vel intra mensem effluxisse: quoe autem docuisset alios, ea tam in numerato habere ac digitos suos, nec credere nisi per mortem eripi sibi posse. Ideo suadet, ut qui studiosorum magnos capere cupit profectus, discipulos sibi quoerat, quos ea quoe discit, quotidie doceat: etiamsi auro essent redimendi. Proestat te (inquiens) commodis tuis externis detrahere aliquid, modo habeas qui te docentem, id est prosicientem, audire velint. Sic ille.

[note: quomodo in scholas introducendum.] 45. At id commodius fiet, et plurium certo cum usu, si proeceptor cujusque classis inter suos admirabile hoc exercitii genus instituat, [note: n. B.]Hoc modo. Quavis hora, post propositam breviter discendi materiam, et declaratum dilucide. Verborum sensum; et commonstratum aperte rei usum: jubeatur mox discipulorum aliquis assurgere, qui omnia a praeceptore dicta eodem ordine (quasi jam ipse aliorum doctor) repetat: praecepta iisdem verbis declaret: usum per exempla eadem monstret: corrigendus, sicubi aberraverit. Mox jubeatur assurgere alius, et praestare idem, omnibus caeteris auscultantibus: tum et tertius, et quartus, et quotquot opus est, donec pateat omnes recte percepisse, reddereque et docere jam posse. Ordinem hic observandum suadeo nullum, praeter ut ingeniosiores provocentur primum, quo tardiores, horum exemplo firmati, subsequi facilius queant.

[note: vsus sic institutorum] 46. Tale hoc exercitium quinque habebit usus insignes usus.

[note: 1] i. Reddet sibi magister attentos semper i discipulos. Quia enim mox alicui assurgendum, totaque lectio repetenda erit, quisque autem tam sibi quam aliis metuet, nolens volens arriget aures, ne quidquam praeterfluere sinat. Cujusmodi attentionis alacritas, annorum aliquot usu firmata, adolescentem ad omnia vitae; munia vigilantem reddet.

[note: 2] ii. Certior fiet praeceptor, perceptane sint recte omnia proposita ab omnibus? Si minus, emendabit mox, magno suo et discipulorum commodo.

[note: 3] iii. Cum toties repetentur eadem, etiam tardissimi tandem capient, ut cum coeteris pari passu progrediantur: ingeniosioribus interim in rei nimis quam liquido perceptae securitate jucunde deliciantibus.

[note: 4] iv. Ea ipsa toties iterata repetitione omnes sibi eam lectionem magis reddent familiarem, quam bene longa privata maceratione: ut adjuncta post vespertina et matutina relectione solum, per ludum et jocum omnia memoriae haesisse comperturi sint.

[note: 5] v. Cum eo modo discipulus ad proeceptorium quasi munus subinde admittetur, ingenerabitur mentibus alacritas quoedam, et discendi ardor, comparabiturque parrhesia in hominum conspectu honesta quoeque animose pertractandi: quae res proecipus usus erit in vita.

[note: exercitium alios docendi extra scholam.] 47. Poterunt eodem modo et extra scholam quoque, inter consistendum aut deambulandum, varias instituere collationes et discursus, de rebus sive nuper sive olim perceptis, aut de nova quacunque oblata materia. Quem in usum, dum aliqo numero confluunt, vicarium sibi magistrum (sive per sortem sive per vota) deligunto, qui discursuum moderator sit. Si quis a condiscipulis eo nomine postulatus recuset, severe castigator: id enim adamantinum esse volumus, ut docendi atque discendi occasiones non solum non subtersugiat quisquam, sed captent etiam omnes.

Page 99/100, image: s075

De exercitio scriptionis (ad solide proficiendum valido quoque adjumento) monebimus in scholae vernaculae et classicae descriptione speciatim, cap. 27. Et 28.

Cap. Xix. Compendiosae in docendo celeritatis fundamenta.

[note: occupatio de difficultate resp. Compendia igitur quaerenda.] Operosa sunt ista, dixerit aliquis, prolixaque nimis. Quot proeceptores? Quot bibliothecoe? Quot labores, univer sali ejusmodi institutioni sufficient? Resp. Utique: nisi adfuerint compendia, diffusae molis, et tantum non infiniti laboris, negotium est. Ars enim tam longa, lata, profundaque est, quam ipse ingenio subigendus mundus. At quis nescit longa etiam contrahi, operosa in compendia redigi, posse? Quis ignorat textores millies millena fila celerrime contexere, admirandaque varietate formas effigiare? Quis nescit molitores millies millena grana expedirte comminuere, furfuremque a farina purissime secernere, nullo negotio? Quis nescit mechanicos haud quaquam grandibus machinis, labore pene nullo, moles ingentes attollere ac transferre? Et staticos vel unica, a staterae centro remota uncia, plurimas libras aequilibrare? Tam non semper est virium magnum aliquid proestare, sed artis.itane igitur solis literatis ingeniose sua

peragendi artes deerunt? Vel pudor ipse cogat nos istorum aemulari solertiam, difficultatumque quibus laboravit res scholastica hactenus, quaerere remedia.

[note: morbus ante remedium cognoscendus.] 2. Remedia autem non inveniemus, nisi inventis prius morbis, morborumque causis. Quid nempe fuerit illud, quod operas scholasticas, profectusque, adeo retardarit, ut plerique vel tota aetate in scholis exacta, nondum omnes scientias et artes penetraverint, quasdam ne a limine quidem salutaverint?

[note: remorarum in scholis causae octo.] 3. Haec autem esse deprehenduntur causae verissimae. Primo

[note: i] i. Quod nullae fixae erant metoe, quousque discentes quovis anno, mense, die, deduci necessum esset, fluctuabant omnia.

[note: ii.] 4. Secundo, quod nulloe ad metas infallibiliter ducenes viae designatoe.

[note: iii.] 5. Tertio, quod quae natura juneta sunt, non junctim sumebantur, sed per divortium. Verbi causa: primos literarum tirones docebant legere solum; scribere differebatur in menses aliquot. In latina schola jubebantur adolescentes aliquot annis luctari cum verbis, sine rebus: ut adolescentiae anni grammaticae studiis consumerentur prorsus, philosophicis studiis grandiori demum aetati reservatis. Item jubebantur tantum discere, nunquam docere. Cum tamen omnia illa (legere et scribere; verba et res; discere et docere) tam simul esse debeant, ut in cursu pedes tollere et figere; in colloquio, auscultare et respondere; in pilae lusu jacere et excipere: ut ante suis locis vidimus.

[note: iv] 6. Quarto, quod artes et scien iae vix usquam satis encynclopaedice traderentur: sed frustulatim. Quo factum, ut in discentium oculis essent veluti lignorum aut sarmentorum congeries, quae qua ratione cohaerent, quis animadvertat? Inde fiebat ut alius hoc alius illud arriperet, nec cujusquam eruditio omnino universalis, ideoque fundamentalis, esset.

[note: v.] 7. Quinto, quod methodo multiplici et varia uterentur. Singuloe scholoe alia: imo singuli praeceptores alia: imo unus idemque praeceptor in hac arte aut lingua sic, in alia aliter: et quod pessimum, in una eademque re non sibi constabant: ut discipuli vix unquam satis quid ageretur intelligerent. Unde haesitariones, remorae, et ab aliis disciplinis antequam ad illas esset ventum, vel nausea vel desperatio, ut multas multi ne gustare quidem cuperent.

[note: vi.] 8. Sexto, deerat modus omnes ejusdem classis discipulos simul instituendi, cum singulis desudabatur; quod, si complures discipuli erant, non potuit non praeceptoribus asininos parere labores, discipulis autem, vel inutilis otii occasiones, vel si quid interim elaborandum objiciebatur, taediosam macerationem adferre.

[note: vii.] 9. Septimo, quod si plures erant magistri, quid nisi nova iterum confusio? Cum singulis fere horis diversa proponerentur et agerentur. Uttaceam, praeceptorum multinidinem, aeque ac librorum, animos distrahere.

[note: viii.] 10. Tandem licebat discipulis bona proeceptorum pace alios etiam libros, in schola vel extra scholam, tractare: putabaturque, quo plures evoluerentur auctores, eo plures dari progressus faciendi occasiones: quum nihil nisi plures animi distractiones essent. Ideoque non tam mirum paucos o. Mnes disciplinas lustrasse, quam mirum e labyrinthis illis quemquam extricare se potuisse: quod non nisi divinioribus contingebat ingeniis.

[note: remoras istas auferendi idea sumenda e natura.] 11. In posterum igitur tollenda erunt ista offendicula et remorae; et quidquid directe ad scopum ducit, id usurpandum solum, sine ambagibus: aut (ut vulgaris habet regula) quicquid per pauciora potest expediri, ne adhibeantur plura.

[note: nempe sol coelestis.] 12. Sumamus autem nobis ad imitandum hic solem coelestem, tanquam excellentem e natura ideam. Ille enim licet operosam et quasi infinitam obeat functionem (per universum

---

Page 101/102, image: s076

Nempe terrae orbem radios spargendi, omnibusque elementis et elementatis, mineralibus, plantis, animalibus, quorum infinita species et individua. Lucem, calorem, vitam, vigoremque subministrandi,) omnibus tamen sufficit, et officiorum suorum circulum quotannis absoluit egregie.

[note: solarium operationem compendiosi processus.] 13. Videamus itaque illius agendi modos. Ad recensitos illos scholarum agendi modos respectando.

I. Sol non occupatur circa singularia objecta, puta arborem vel animal; sed illuminat, et incalefacit, et vaporat, totam terram.

Ii. Unis iisdemque radiis collustrat omnia: una eademque nubium condensatione rursumque resolutione irrigat omnia: uno eodemque vento perflat omnia: uno eodemque calore aut frigore exercet omnia etc.

Iii. Eodem tempore per totas regiones ver, aestatem, autumnum, hiemem, producens, omnia simul germinare, florere, fructificare, facit: non obstante, quod haec citius, illa tardius maturescunt, pro sua nempe natura unumquodque.

Iv. Et servat eundem semper ordinem: quem hodie, eundem cras; quem anno hoc, eundem sequente: eandem formam in eodem rerum genere immutabiliter semper.

V. Et producit unum quodque e semine suo, non aliunde.

Vi. Et quidem producit omnia, quoe simul esse debent, simul: lignum cum cortice et medulla, florem cum foliis, fructus cum putaminibus, petiolis, nucleis.

Vii. Et omnia educit gradibus suis, ut alia aliis faciant viam, et se mutuo excipiant.

Viii. Tandem inutilia non producit: aut si quid adnascitur, illud adurit et abjicit.

14. Ad hujus imitationem, si

I. Unus proeceptor uni proesit scholoe, aut cerle classi.

Ii. Unus auctor sit in una materia.

Iii. Unus idemque labor communiter impendatur toti auditorio.

Iv. Una eademque methodo tradantur disciplinoe et linquoe. Omnes.

V. Omnia e fundamento tradantur, breviter et nervose; ut veluti clave recludatur intellectus, eieque se res uliro pandant.

Vi. Omnia quoe in se juncta sunt junctim.

Vii. Et omnia per gradus indissolubiles. Ut omnia hodierna hesternis firmitudinem, crastinis autem viam, praestent.

Viii. Et denique si inutilia secernantur ubique.

15. Haec inquam si poterunt introduci in scholas, scientiarum ambitum spe facilius expeditiusque absolutum iri, tam parum dubitari debet, ac solem quotannis mundi totius circuitum absoluere videmus. Accedamus igitur ad rem ipsam: ut, num, et quam facile sit exsequi consilia haec, videamus.

Probl. I. Quomodo proeceptor unus quantovis discipulorum numero sufficere queat?

[note: cur uni scholae unus praeesse debeat magister.] 16. Non solum posse fieri, ut unus magister aliquot centenis discipulis praesit, affirmo, sed fieri debere assevero: quia id docenti et discentibus longe commodissimum. [note: 1.] Ille majori voluptate, proculdubio, operas peraget, quo majorem ante se conspicabitur catervam (cum et metalli fofforibus in abundanti minera manus exultent): et quo ipse fervidior erit, eo vividiores [note: 2.] Reddet discipulos. Discipulis pariter ipsis frequentia major majori erit et jucunditati (gaudia sunt cunctis socios habuisse laborum) et utilitati: mutuo siquidem excitabunntur et juvabuntur: quia et huic aetati sui sunt aemulationum stimuli.

[note: 3.] Praeterea, cum a paucis doctor auditur, facile hoc aut illud aures omnium praeterlabitur: cum a multis, capit quisque quantum potest, sequentibus autem repetitionibus omnia redeunt, omnia omnibus usui fiunt: cum ingenium ingenio,
memoria [note: 4.] Memoriae, affricatur. Verbo, ut pistor una massae subactione, unaque furni excalefactione, multos panes; et laterarius multos lateres, excoquit: typographus autem una typorum compositura centena [note: n. B.] Aut millena librorum exemplaria excudit: ita prorsus ludi magister iisdem studiorum exercitiis ingenti discipulorum multitudini simul et semel inservire potest, nullo suo incommodo. Quemadmodum etiam unicum stipitem quantumvis ramosissimae arbori, et ferendae et succo imbuendae, solem vero toti terrae vegetandae, sufficere videmus.

[note: et quomodo possit? Naturae exemplis docetur.] 17. Sed quomodo id tandem? Naturae videamus in propositis modo exemplis processum. Stipes, non ad omnes extremas usque frondes excurrit: sed suo consistens [note: 1.] Loco, principalibus immediate sibi adhaerentibus ramis succum communicat, hi mox aliis, et illi rursum aliis, atque ita consequenter, ad ultimas usque et minimas arboris particulas. Ita sol non se dimittit ad [note: 2.] Singulas arbores, herbas, animalia: sed ex altitudine sua radios spargens totum simul collustrat hemisphaerium, singulis

---

Creaturis lumen et teporem proprios in [note: n. B.] Usus transferentibus. Hoc autem simul observandum est, adjuvari solis operationem sun loci: quia in convallibus recollecti radii plus incalefaciunt vicinam re gionem.

[note: imitatio naturoe in scholis.] 18. Ad hanc itaque formam si res instituatur, oeque facile unus proeceptor numerosissimo discipulorum coetui satisfaciet: nempe,

[note: i. Certum in classes tribuendo.] I. Si coetum per certas tribus, verbi gratia decurias, distribuat: singulisque praeficiat inspectores, et his rursum alios, ad supremum usque.

[note: ii. Neminem seorsim, omnes conjunctim poliendo.] Ii. Si nunquam instituat unum solum, neque privatim extra scholamtneque publice in schola; sed omnes simul et semel. Ad neminem itaque seorsum accedet, nec ad se quenquam seorsum accedere patietur: sed in cathedra (unde omnibus et con spici et exaudiri queat, consistens) vel ut sol radios suos in omnes sparget; omnes autem in eum oculis, auribus, animis intenti, quidquid ille sive sermone enarrabit, sive manu aut pictura praemonstrabit, excipiant. Ita una fidelia non duo, sed plurimi, dealbabuntur parietes.

[note: iii. Omnes sibi attentos reddendo:] 19. Arte solum opus erit, ad reddendos sibi attentos omnes et singulos; ut credentes ora praeceptoris esse (uti sunt) fontem illum, unde ad se dimanant scientiarum rivuli, quotiescunque fontem hunc aperiri animad vertunt, attentionis vas illico supponere adsuescant: ne quidquam non exceptum praeterfluat. Summa igitur proeceptori cura hic erit: nihil loqui nisi audientibus; nihil docere, nisi attendentes. Hic enim si usquam locum habere debebit, quod seneca monuit: nulli nisi audituro dicendum esse quidquam. Et forsan illud salomonis: proetiosi spiri us est vir intelligens (prov. 17. 23.) Scilicet quem non in ventos fundit, sed in animos hominum.

[note: et quomodo id possit? Per corycoeos et per se ipsum octo prudentiae viis.] 20. Excitari autem, et retineri, poterit attentio illa, non solum per decuriones, et alios quibus inspectionis aliquid demandatur (ut nempe hi reliquis attendant diligenter): sed magis per ipsum praeceptorem, idque via octuplici.

[note: 1.] 1. Si det operam, ut semper afferat aliquid, quod et delecter et prosit; ita enim inescabuntur animi, ut cupide, et parata cum attentione, veniant.

[note: 2.] 2. Si animi sub inititum cujusque operoe aut demulceantur proponendoe matercioe commendatione; vellicentur quoestionibus motis, sive de propositis jam, quo per cohaerentiam ad praesentem veniatur materiam; sive de proponendis, ut animadversa ea parte ignorantia sua, ad excipiendam avidius rei declarationem accendantur.

[note: 3.] 3. Si loco editiore consistens oculos circumferat, et neminem aliud agere quam in se vicissim defigere oculos, permittat.

[note: 4.] 4. Si attentionem juvet, sensibus quotquot potest, omnia reproesent ando: ut cap. Xvii. Fund. Viii. Reg. Iii docuimus. Non solum enim facilitari servit, sed et attentioni.

[note: 5.] 5. Si inter operas subinde, sermone interrupto, dicat: tu, aut tu, quid modo dixi? Repete hanc periodum? Tu, dic qua occasione huc ventum est? Et similia, pro cujusque classis profectu. Si quis non attendisse fuerit deprehensus, increpetur aut castigetur illico: ita attentionis studium omnino acuetur.

[note: 6.] 6. Similiter si, unum aliquem interrogasti, et hic hoeret, ad secundum, tertium, decimum, trigesimnm, transili, et responsum posce, quoestione non repetita. Omne id eo fine, ut quidquid uni dicitur, omnes attendere, inque usum transferre allaborent.

[note: 7] 7. Fieri etiam potest, ut si quid unus et alter ignorat, quoeratur ex tota turba: et tunc qui primo, aut optime, responderit, colaudetur in omnium conspectu, ut exemplum aemulationi serviat. Si quis aberraverit corrigatur, erroris etiam occasione (quam sagax praeceptor non difficulter odorabitur) detecta et revulsa. Incredibile quantum hoc sit futurum celerrimi profectus compendium.

[note: 8.] 8. Tandem lectione sinita, copia fiat discipulis ipsis proeceptorem quidquid volunt rogandi: sive in lectione praesenti scrupulum [note: n. B.] Nactus fuerit aliquis, sive ante. Privatae namque requisitiones non ferendae: publice praeceptorem consulat cuicunque opus est, sive per se, sive per decurionem suum (si is satisfacere sibi non potuit) ut omnia omnibus usui sint, tam quaesita quam responsa. Si quis crebrius utilia movaeat, collaudandus erit saepius: quo caeteris diligentiae: exempla et stimuli non desint.

[note: sic exercitatoe attentionis quantus sit usus.] 22. Tale attentionis exercitium quotidianum, proderit adolescentibus non in praesens solum, sed per totam vi tam. Adsueti siquidem annorum aliquot continuo usu id semper agere quod agitur, ominia semper facient animo praesente, non expectatis alienis monitionibus aut instigationibus. Et tales si sint scholoe, quidni speretur solertissimorum virorum uberrimus proventus?

[note: objectio: an sic provisum erit singulis et omnibus?] 23. Sed objici potest. Inspectionem particularem tamen esse necessariam: nempe ad revidendum quam munde libros tractent, quam correcte lectiones inscribant, quam solide memoriae mandent etc. Singuli? Cui rei, si discipuli multi sint, multum [note: affirmo. I. Per decuriones.] Temporis requiratur. Resp. Nihil necesse est omnes semper audiri nec omnium semper inspici libellos. Quia enim decuriones auxilio habebit praeceptor,

---

Page 105/106, image: s078

Illi attendent, quisque suis, ut ab omnibus dexterrime omnia fiant.

[note: 2. Per ipsius magistri industriosam vigilantiam] 24. Ipse tantum praeceptor, veluti supremus inspector, jam huic jam illi attendet, ad explorandam fidem eorum maxime. Quibus diffidit.exempli causa: memoriae mandata recitent unus et alter, et tertius, et quotquot alium post alium, tam e postremis quam e primis, assurgere jusseris, toto caetu auscultante. Ita omnes paratos semper accedere necesse erit, cum nemo non se examinandum metuet. Aut etiam ubi hunc expedite ordiri animadvertat praeceptor, de reliquo bene persuasus: jubeat alterum continuare. Si et ille prormptus est, tertiam periodum aut paragraphum, [note: n. B.] Alii iterum committat. Ita pauciorum examine omnium securus erit.

[note: modus dictata et excepta examinandi. I.] 25. Eodem modo in excipiendis dictatis, si quae erunt. Jube unum et alterum, aut si opus plures, scriptum perlegere, voce clara et distincta, interstinctionibus etiam expresse nominatis: reliqui suos inspicientes [note: 2.] Libellos corrigant. Poterit tamen quandoque libellos ipse inspicere, unius et alterius, per saltum; et quicunque fuerit deprehensus negligens, castigator.

[note: et exercitia styli corrigendi.] 26. In corrigendis exercitiis aliquid plus videtur laboris: sed et hic non deerit consilium, eadem vestigia secutis. Ex. Gratia: in exercitiis transferendi aliquid e lingua [note: 1.] Hac in illam sic procedatur. Postquam composuisse omnes per decurias constiterit: [note: 2.] Jubeatur assurgere unus, et provocare antagonistam, quem volet. Ubi ille quoque surrexerit, relegat alter suam compositionem membratim, omnibus attente [note: 3.] Auscultantibus, praeceptore autem (aut ad minimum decurione) adstante et inspectante, saltem ob orthographiae examen. [note: 4.] Ubi periodum perlegerit, subsistat: et antagonista, numquid notet vitii, [note: 5.] Ostendat. Tum permittatur de eadem periodo censura caeteris ex illius decuria: [note: 6.] Tandem omnibus totius classis: denique [note: 7.] Praeceptor, si quid opus moneat. Omnes [note: 8.] Autem interim suos libellos inspiciant, et si quid similiter errarunt, corrigant: excepto antagonista, qui sua immutata [note: 9.] Quoque censurae servet. Ea absoluta et recte emendata periodo, pergatur ad aliam, [note: 10.] Usque ad finem. Tum antagonista sua recitet [note:n. B.] Eodem modo: sed inspectante eo qui provocavit, ne pro inemendatis emendata enuntiet: siatque de singulis vocibus, phrasibus, sententiis, eodem quo prius modo censura. Tum jubeatur aliud par prodire, eadem ratione: et quotquot patietur tempus.

[note: decurionum hic officia. 1.] 27. Sed decuriones viderint: ut ante emendationis initium omnes paratam [note: 2.] Compositionem habeant. 2 emendationis tempore attendant, quo ex alienis erroribus suos emendent.

[note: vsus methodi hujus.] 28. Itafiet, ut

I. Praeceptori labor minuatur.

Ii. Nemine inter omnes neglecto, omnes erudiantur.

Iii. Omnium attentio acuatur.

Iv. Quidquid ulla ratione um dicitur, omnibus pariter serviat.

V. Varietas phrasium, quae non poterunt a diversis non diversae adhiberi, egregie, tum judicium rerum, tum linguae usum, formabit et firmabit.

Vi. Tandem absoluio uno et altero tertioque pari, apparebit reliquis aut parum aut nihil superesse mendorum. Proinde reliquum temporis in commune detur: ut illi, qui vel dubium aliquid in compositione sua habent, vel aliis exquisitius elaborasse se putant, in medium proferant, deque illis judicium fiat.

29. Haec exempli loco de exercitio versionis dicta sunt: quae tamen ad exercitia stili, et oratoria, et logica, et theologica, et philosophica etc. In omni classe applicari facile possunt.

30. Ita vidimus quomodo unus praeceptor vel centenis discipulis sufficere queat, ut tamen illi non plus negotii quam cum uno et altero facessatur.

Probl. Ii. Quomodo fieri possit, ut ex iisdem libris doceantur omnes.

[note: quingue hic observanda.] 31. Objectorum pluralitate distrahi sensus, nemo est qui ignoret. Compendium itaque insigne fuerit. Primo, si scholasticis [note: i. Libri alii interim non permittendi.] Non permittantur libelli, nisi studiis ejus classis, in qua sunt, dicati: ut perpetua

sit praxis ejus, quod apud antiquos sacra facientibus acclamabatur, hoc age. Nam quo minus caeteri oculos, eo plus hi animos, occupabunt.

[note: ii. Huc destinati in copia habendi] 32. Secundo, si omnia ejusmodi scholastica instrumenta, tabulae, programmata, tirocinia, lexica, artium systemata etc. Parata sint. Nam quando praeceptores demum (uti fit) discipulis alphabetarias tabellas conficiunt, calligraphiae formam praescribunt, praecepta, textus, aut textuum versiones etc. Dictant etc. Vah quantum temporis perit! Commodum itaque erit omnes libellos, quorum per omnes classes usus erit, sufficienti copia excusos habere: illis qui in vernaculum vertendi sunt, versione simul apposita. Ita enim quidquid temporis dictando et excipiendo, et vertendo, absumendum esset, ipsi declarationi, repetioni;

Page 107/108, image: s079

Imitationis tentamini, longe longeque utilius tribueretur.

[note: occupatio] 33. Necque sic praeceptorum ignaviae indulgeri meiuendum est. Ut enim concionator, si textum sacrum e bibliis praelectum declaraverit, et auditoribus usum ejus (ad doctrinam, exhortationem, consolationem etc.) Commonstraverit, officio suo satisfecisse putandus est, etiamsi textum e fontibus non ipse vertit, sed aliunde versionem paratam accepit. (cum id auditorum nihil intersit): ita plane nihil discipulorum refert, ipsene praeceptor, an aliquis ante ipsum, lectionem suam adornarit; dum modo quod res poscit ad manum est, a praeceptore autem usus ejus exacte doceatur. Praestat autem parata habere; ut sit, tum a mendis securitas major, tum ad exercendam praxin plus spatii.]

[note: iii. Sine accuratissimi, populariter populariter tamen scripti.] 34. Tales ergo libelli ad nostras sacilitatis, soliditais, compenduque, leges conformandi erunt pro omnibus scholis, omnia plene, solide, accurate, continentes: ut sint verissima totius universi (in animis depingendi) imago. [note: n. B.] Et quod valide opto, et urgeo, omnia proponentes familiariter et populariter, ut discentibus omnino ministrent lucem, facientem omnia sua sponte, etiam nullo magistro, intelligi.

[note: dialogorum forma cur concinnandi?] 35. Quo fine eos in dialogorum forma potissimum concipi cupiam ea quippe ratione (i et res et stylum facilius licet puerilibus adaptare ingeniis, ne sibi velimpossibilia, [note: 1.] Vel ardua et difficilia nimis imaginentur: cum nihil familiarius, nihil natur alius sit colloquio, quo sensim sine sensu homo perduci potest quocunque. Ita comici omnia sua, de moribus prolapsis, ad populum commonefaciendum observata: sic universam suam philosophiam plato, sic permulca cicero, sic totam theologiam augustinus, tradiderunt, ad captum condescendentes. [note: 2.] (2) colloquia excitant, animant, fovent attentionem: idque ob quaestionum et responsionum varietatem, earundemque varias occasiones et formas, intermixtis subinde, quae oblectent: imo ab ipsa colloquentium personarum varietate et mutatione, non solum animus fastidio levatur, sed ad plura se extendens audiendi fames [note: 3.] Excitatur. (3) firmiorem facit eruditionem. Nam quemadmodum certius memoramus rem gestam, quam vidimus ipsi, prae illa quam recenferi audivimus solum; ita discentium animis tenacius haerent, quae per modum comoediae vel colloquii discimus (cum hic non tam audire quam videre nobis videamur) quam quae nuda recitatione a praeceptore narrari audimus: [note: 4.] Quod experientia probat. (4) cum major vitae nostrae pars convesatione constet, compendiose admodum eo manu ducitur fuventus, si non intelligere tantum milia, sed et de iis varie, eleganter, graviter, et expedite, disserere adsuescat. (5) serviunt tandem dialogi repetitiom faciliori, etiam privatim inter discipulos.

[note: iv. Unius editionis.] 36. Bonum etiam erit eosdem libros esse unius editionis, ut paginae etiam et lineae, et omnia concordent: ob allegationes nimirum et memoriam localem, et ne ulla parte quidquam remorae relinquatur.

[note: v. Contenta eo rum per parietes pingenda.] 37. Sed et hoc valide serviet, ut omnium cujusuis classis librorum epitome in auditorii pariesibus depingatur: tum textus (nervosa brevitate,tum imaginum et emblematum picturis, quibus et sensus, et memoria, et ingenia discipulorum exerceantur quotidie. Nec enim frustra est quod antiqui tradunt, in aesculapii templo ad parietes descripta fuisse universa medicinae praecepta: quae hippocrates clam ingressus [note: n. B] transcripserit. Nam et deus magnum hoc mundi theatrum undique picturis, staruis et imaginibus, tanquam vivis sapientiae suae characteribus, implevit, nosque per eas erudiri vult. (de his picturis. Plura dicenda erunt sub particulari clas sium descriptione.)

Probl. Iii. Quomodo fieri possit, ut eodem tempore eadem agant omnes in schola.

[note: cur una in schola unum tractare omnes conveniat.] 38. Utile fore institutum, ut non nisi una materia uno tempore tractetur ab omnibus in cadem claffi, palam est: quia praeceptori ita minus molestiae, discipulis plus profectus. Tum demum enim alius alium acuit, cum circa eandem rem omnium cogitationes sese versant et exercent, post autem mutua collatione se invicem castigant, quemadmodum igitur militum tribunus tironum exercitia non sigillatim instituit, sed productis simul in campum, omnibus armorum usum, eaque tractandi modum, commonstrat: et quamvis unum peculiariter informet, reliquos tamen idem hoc agere, huc attendere, haec eadem tentare, vult: ita praeceptori faciendum omnino

39. Quod ut possit, necesse erit

[note: et quomode id possit? 1.] 1. Non nisi semel anno scholas inchoari, eo modo quo sol non nisi semel anno (vere) circa omnia vegetabilia operationes suas incipit.

[note: 2.] 2. Omnia agenda ita disponi, ut cuilibet anno, mensi, hebdomadae, diei, atque adeo horae, proprium veniat pensum: quo prorsus inoffenso pede ducantur, adque metam perducantur, simul omnes. Qua de re specialius infra, suis locis.

Page 109/110, image: s080

Probl. Iv. Quomodo fieri possit, ut omnia una eademque methodo tradantur.

[note: naturalis methodus nonnisi una, ubique usurpanda.] 40. Omnibus scientiis non nisi unam esse naturalem methodum, ut artibus linguisque omnibus non nisi unam, patebit cap. Xx. Xxi. Et xxii. Variatio enim, aut diversitas, si quae usurpanda alicubi, levior est, quam ut novam speciem constituere possit: nec exsurgit e fundamento rei, sed ex docentis prudentia, haec autem a peculiari linguarum, aut artium, ad invicem respectu, et discipulorum capacitate et profectu. Naturalem igitur methodum ubique servari, compendium erit discentibus: aeque ut viatoribus una et simplex via, sine divortiis. Particulares differentiae facilius notantur, si particulariter monstrentur, generalibus et communibus jam intactis.

Probl. V. Quomodo paucis verbis multarum rerum intellectus pandi possit.

[note: libelli solidi praeferendi libris dilutis.] 41. Grandi librorum aut sermonis mole distendere ingenia, res est nullius usus. Certe enim plus alimenti praebet humano ventriculo panis buccella cum vini haustu; quam aqualiculus palearum et colluvie plenus, praestat aureus nummus in marsupio unus, quam plumbei centum. Et de praeceptis seneca expresse dixit: semnis in modum spargenda esse quibus non multis opus, sed efficacibus. Manet enim quod cap. V. Docuimus, homini, utpote [gap: greek word(s)], omnia inesse, nec opus inferri quidquam praeter lumen, videbit illico. Lumen autem homini lucubranti sussiciens exeitari vel ab exigua candelae flammula, quis nescit? Eligendi proinde, aut de novo concinnandi, artium et linguarum sundamentales libelli, mole exigui, usu insignes: qui summatim res proponant, paucis multa (ut syracides monet, 32. 10.) Id est qui res fundamentales discentibus ob oculos ponant ita ut sunt, paucis, sed exquisitis, et perceptu facillimis theorematibus et regulis, unde caetera omnia ultro sub intellctum veniant

Probl vi. Quomodo res instituenda, ut una apera duplex aut triplex negotium agatur?

[note: opera una plura posse agi natura ostendit.] 42. Posse eodem tempore, eademque opera, diversas res agi, naturae exempla ostendunt. Arbor certe eodem tempore. Et sursum, et deorsum, et ad latera, se explicat: ligni, corticis, foliorum, fructuum, augmenta simul facit. Quod idem in animali observare est, cujus omnia membra simul adolescunt. Unumquodque autem membrum plures habet functiones. Pedes nempe hominem et tollunt, et sustinet, et promovent, et retroagunt, variis modis. Bucca, et janua corporis est, et moletrina, et tuba, quoties jubetur resonans. Pulmo eodem aeris attractu, et cor refrigerat, et cerebrum eventilat, et sonum procreat etc.

[note: arsque imitatur. (1.] 43. Idem fit in artificialibus. Nempe in sciotherico idem gnomon eadem umbra monstrare potest, et diei horam (et quidem juxta diversa etiam horologia) et zodiaci signum quod sol tum perambulat, et diei atque noctis longitudinem, [note: (2.] Et mensis diem, et alia plura. In curru idem temo servit et dirigendo, et convertendo, [note: (3.] Et retinendo currui. Sed et orator atque poeta bonus, eadem opera, et docet, et movet, et delectat, licet illa. Tria in se distincta sint.

[note: imitentur ergo et scholae: de quae canon generalis] 44. Ad eundem igitur modum juventutis formatio instituatur, ut omnis laber plus quam unum ferat fructum. Cujus rei haec generalis norma est: ut semper et ubique relatum cum suo. Correlato sumatur. Ex: gr: verba et res, legere et scribere, exercere stylum et ingenium; discere et docere: ludicra et seria conjungere, et [note: et speciale quinque.] Quidquid praeterea excogitari potest

45. Ergo, verba non nisi rebus, conjuncta doceantur et discantur: eo modo quo [note: verba cum rebus: etc viceversa.] Vinum cum vase, gladius cum vagina, lignum cum cortice, fructus cum putamine, venduntur et emuntur, et transportantur. Verba enim quid nisi. Reruni involuora et vaginae? Quamcunque igitur linguam discent, etiam vernaculam, res vocibus designandae commonstrentur: et rursum, quidquid vident, audiunt, tangunt, gustant, exprimere idem sermone doceantur: ut lingua cum intellectu parallele, semper procedant et deboliantur. Regulae; igitur instar sit: quantum quis intelligit, tantum eloqui consuescat; et vicissim quae enuntiat, discat intelligere. Nec permittatur quisquam recitare quod non intelligats aut intelligere, quod non eloqui possit. Nam qui animi sensum non exprimit, statua est; qwi non intellecta blaterat, psittacus. Nos autem homines formamus, cupimusque formare compendiose: quod fiet si ubique serneo cum rebus; et res cum sermone, pari passa anobulent.

[note: porisima. Ergo libri verbosi proventosis habendi.] 46. Hujus canonis vi emovendi scholis erunt auctores omnes, qui verba tantum docent, rerum utilium cognitionem

---

Page 111/112, image: s081

Nullam ingerunt. Potiorum enim potior habenda est cura. Id agendum est (inquit seneca, epist 9) ut non verbis serviamus, sed sensibus. Si legi placet, legantur extra scholam, obiter et cursim, sine prolixa et operosa enarratione, aut accurato imitandi studio: cum hoc realioribus impendi possit utilius.

[note: ii lectio et scriptio conjunctim.] 47. Lectionis item et scriptionis exercitia semper cohaerebunt eleganti compendio. Nam et alphabeti discipulis vix efficacior excogitari potest, sive stimulus, sive illecebra, atque si literas scribendo discere jubeantur. Quia enim pueris quasi naturale est pingere velle, delectabuntur exercitio; isto; imaginativa interim vis duplici [note: n. B.]Sensu juvabitur validius. Sic postea, cum expedite legere discunt, in ea materia exerceantur quae alias discenda foret: puta in iis quae rerum scientiam, mores, pietatem, instillent. Ita cum primum latinas, graecas, hebraicas literas discent lengere; [note: puleberrimum consilium!] Compendium erit declinanones et conjugationes toties relegendo et transcribendo, repetere, donec confirmata sit et lectio, et scriptio, et vocum significatio, et denique termina ionum expedita forma. Io. Ecce enim hic quaternum unius ejusdemque laboris [note: per omnia extendendum.]Fructum!. Poterit autem tale hoc utilissimum compendium per omne studiorum genus continuari, ut quidquid lectione collectum est, stylus redigat in corpus, quemadmodum seneca loquitur: aut quomodo augustinus de se, prosiciendo scribamus, et scribendo prosiciamus.

[note: iii. Exercitia styli, mentis, oris, simul fiant.] 48. Exercitia styli fere sine delectu materiae, et thematum connexione, proponi solent: unde fit, ut mere styli exercitia sint, mentem parum aut nihil exerceant: imo fit, ut quantovis studio elaborata, postea chartae rejectaneae fiant, nullumque vitae usum ferant. Exercendus ergo est stylus in ea ipsa scientiae, vel artis ejus, materia, circa quam ea in classi ingenium exercetur: proponendo nimirum discipulis vel historias (de artis ejus in ventoribus, ubi et quibus seculis maxime floruerint, et similia) vel commentarios, vel imitandi tentamina; uf eadem opera et stylus exerceatur et ingenium, et dum haec recitantur lingua.

[note: iv. Doceri, et mox docere jungantur.] 49 quomodo possit mox doceri, quidquid discutur, ostendimus sub capitis xviii finem: quod cum non soliditati solum servit, sed profectus celeritati, huc etiam spectat.

[note: v. Ludicris copulanda seria.] 50. Tandem compendium erit insigne, si ludicra, quae juventuti ad mentis recreationem conceduntur, talia singantur, quae illis seria vitae ad vivum repraesentent, et et in illis quendam jam hic habitum efforment. Possunt enim opificia per suas supellectiles adumbrari; possunt oeconomicae operae, possunt politica negotia; potest militaris ordo; potest architectonica; possunt alia. Etiam ad medicinam animorum praeparatio fieri potest, si verno tempore in campum vel hortum productis herbarum commonstrentur genera, permissa concertatione, qui plures noverit. Ita non solum apparebit quos ad rem botanicam rapiat natura, sed et excitabuntur mature igniculi. Et possit, majoris stimuli causa, qui maximos hic facit progressus, appellari doctor, liceniatus, aut candidatus medicinae. Sic in caeteris illis exercitiis; puta in militia, designari possunt imperator, tribuni, capitanei, signiferi: in, politicis, rex, consiliarii, cancellarius, mareschallus, secretarii, legati etc.
Item consul, senatores, syndici, advocati etc. Hae nugae in seria ducunt. Atque tum

implebimus [note: n b.] D lutheri votum: ita seriis studis occupando in schola fuventutem, ut inde non minorem capiant voluptatem, quam si totos dies lusiando nucibus conterant. Ita demum scholae praeludia erunt vitae.

Probl. Vii. Quomodo gradatim omnia prosequenda?

[note: mysterium gradationis huc etiam spectat.] 51. Artificii hujus modum indagavimus capite xvi, fundamento v, vi, vii, viii. Et cap. Xviii. Fund. V, vi, vii. Atque ad has amusses concinnandi erunt scholis classicis libelli: cum adjunctis informatoriis monilis ad praeceptores, de legitimo ac expedito eorum usu, ut suis gradibus eruditio, mores, pietas, ad fastigium duci queant.

Probl. Viii. De amovendis et evitandis remoris.

[note: pulchra negligentia rerum.] 52. Quia non sine ratione dictum: vanius haud quidquam, quam scire et discere multa: nempe non profutura. Et, non qui multa, sed qui utilia scit, sapit:faciliores poterunt reddi scholarum labores, etiam de rebus compen difaciendo nonnihil. Nempe si negligantur,

I. Non necessaria;

Ii. Aliena;

Iii. Parucularissima.

[note: i. Non necessariarum. (ut sunt plerag; in libris gentilium)] 53 non necessaria sunt, quae nec pietati, nec moribus serviunt, et sine quibus tamen eruditio consistere potest; ut sunt nomina et historiae gentilitorum idolorum, rituumque, item poetarum etc comicorum

---

Page 113/114, image: s082

Varie luxuriantis, saepe etiam lascivientis ingenii, lusus; et similia. Quae si quando apud auctores suos legi alicujus intererit, legatar sane: sed in scholis, ubi sapientiae fundamenta ponenda sunt, proponi haec ex usu non est. Quae dementia, inquit seneca, supervacanea discere in tanta [note: n. B.] Temporis inopia! Nihil ergo scholae soli discatur; sed vitae: ut ne quid schola egressis, in ventos eat.

[note: ii alienarum. (ut sunt certis ingeniis certa objecta)] 54. Aliena sunt, quae non pro ingenio hujus aut illius. Ut enim herbarum, arborum, animalium, varia est indoles: aliud sic aliud aliter tractari vult, nec ad eosdem usus omnia ex aequo adhiberi patiuntur: ita sunt ingenia hominum. Non quidem desunt felicia, quae ubivis penetrent: sed nec desunt, quae in certis objectis mire caligant ac hebescunt. Ad scientias speculativas quispiam aquila est: ad prudentias practicas asinus ad lyram. Alius ad coetera docilis, in musica stupet: quod iterum alii cuipiam circa mathesin, aut poesin, aut logicam etc. Contingit. Quid hic facias? Quo natura non trahit trudere velle, est cum natura luctari velle, res vani conatus. Aut enim nihil efficias, aut nihil [note: porisma.] Quod operae pretium refundat. Cum itaque docens naturae minister sit, non dominus, conformator, non reformator: [note: n. B.] Quidquid discipulorum aliquem invita minerva videt aggredi, ne propellat: certa spe, fore, ut alia parte defectus hic pensetur, uti solet. Nam avulso aut resecto ab arbore ramo uno, caeteri validius assurgunt; quia [note: n. B.] Tota vitalis virtus eo se transfundit. Et quum nemo discipulorum invitus adigetur ad aliquid, nihil erit quod cuiquam nauseam creet, et vim mentis retundat: expedite quisquae in iis ad

quae eum (providentiae supernae nutu) occultus instinctus rapit, progredietur; et suo post loco utiliter deo, humanaeque societati, serviet.

[note: iii. Particularissimarum.] 55. Particularissima itidem si quis persequi vellet (ut herbarum et animalium differentias omnes: artificum item operas, et instrumentorum appellationes, et similia) taediosissimae res prolixitatis et perplexuatis foret. Sufficit igitur in scholis rerum genera, cum praecipuis (veris tamen) differentiis, plene et solide tustrasse: reliqua occasionibus datis uliro sub intellectum venient. [note: n. B.] Ut enim qui celerem de hoste quaerit victoriam, non quibusuis minutioribus locis oppugnaudis immoratur, sed summae belli incumbit: certus si acie commissa victoriam reportet, et pracipuas munitiones expugnet, caetera omnia ultronea deditione ad se transitura: ita omnino hic fiet, ut si praecipua ingenio subigantur, [note: n. B.] Minutiae ultro sequantur. Ad hoc remorae genus pertinent vocabularia et lexica plena, quae vocant, omnia scilicet totius linguae vocabula complectentia: quorum quia bonam partem nullus futurus est usus, quid illis ediscendis, aut circumgestandis, pueros oneramus?

Atque haec de docendi et discendi compendiis.

Cap. Xx. Scientiarum methodus, in specie.

[note: rivuli corrivandi in flumen.] Colligamus tandem in usum sparsas illas observationes, artificiose scientias, artes, linguas, mores, pietatemque docendi. Artificiose inquam: id est facile, solide, celeriter.

[note: scientia est mentis visio: similibus constans requisitis, ut oculi visio.] 2. Scientia, seu notitta rerum, quia nihil est nisi interna rerum spectatio, totidem requisitis absoluitur, quot speculatio seu visio externa: nempe, oculo, obfecto, et lumine. Datis his, visio sequitur. Internae autem visionis oculus., mens est, seu ingenium; objectum, resomnes, extra et intra intellectum positae: lumen, debita attentio. Sed quemadmodum ibi, in visione externa, certo modo opus est, si res uti est ita cerni debet: ita hic opus methodo certa, qua res ingenio ita offerantur, ut eas certo ac prompte capiat et penetret.

3. Quatuor igitur in summa praestanda erum adolescenti, scientiarum abstrusa penetrare cupienti, nempe ut

[note: i.] 1. Oculum mentis habeat purum.

[note: ii.] 2. Admoveantur illi objecta.

[note: iii.] 3. Attentio adsit. Atque tum

[note: iv.] 4. Offerantur illi alia ex aliis spectanda, methodo debita: capiet omnia certo et expedite.

[note: i) oculi mentis quomodo servandi puri.] 4. Ingenium quale nobis contingat, nemini in manu est: deus pro beneplacito suo distribuit haec mentis specula, hos interiores oculos. Hoc autem in potestate nostra est, ne patiamur ista nostra specula puluere obfuscari, et splendorem eorum obtenebrari. Puluis ille, sunt otiosae, inutiles, vanae, mentis occupationes. Est enim animus noster in agitatione perpetua, currentis molae ad instar: cui externi sensus ordinarii ejus ministri, semper materiam undecunque arreptam suppeditant, plerumque (nisi supremus inspector, ratio, probe attendat) vanam; loco scilicet grani et farris, paleas, stramina,

arenam; scobes, et quidvis. Atque tum fit perinde ac in mola, ut omnes anguli puluere oppleantur. Hanc igitur internam molam,

---

Page 115/116, image: s083

Mentem (quae et speculum est) a pulueratione praeservare, est juventutem a vanis occupationibus avocatos ad res honestas, et utiles, prudenter adsuefacere.

[note: ii) quomodo illi admovenda objecta] 5. Jam ut speculum objecta bene excipiat, faciet, primum objectorum soliditas et evidentia; deinde eorundem objectorum sensibus praesentatio. Nebula enim, [note: 1.] Et similia tenuis consistentiae, parum radiant, [note: 2.] Et debiliter nimis speculo se inferunt, absentia vero nullo modo. Ea igitur quae juventuti afferentur cognoscenda, sint res, non rerum umbrae: res inquam, solidae, verae, utiles, bene sensus et imaginativam afficientes. Afficient autem, si propius admoveantur, ut feriant.

[note: omniaper autopsian.] 6. Proinde aurea esto docentibus regula, ut

Omnia praesententur sensibus quotquot possunt.

Nempe visibilia visui, audibilia auditui, odora olfactui, sapida gustui, tangibilia tactui: et si quae pluribus simul capi possunt sensibus, pluribus simul efferantur, ur dictum est cap. Xvii. Sub fund. Viii.

[note: ratio praecepti bujus triplex.] 7. Ratio hujus triplex est valida.

[note: 1. Quia sensus cognitionem incipit.] 1. Cognitionis initium a sensibus fieri semper necesse est (nihil siquidem est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu): quidni ergo et doctrinae initium fiat non a verbali rerum enarratione, sed a reali inspectione? Et tunc demum, re exhibita, accedat sermo, rem uberius explicans.

[note: 2. Certificat.] 8. Secundo, veritas et certitudo scientiae, non item aliunde quam a sensuum testimonio pendet. Res siquidem sensibus se primo et immediate imprimunt, demumque sensuum beneficio intellectui. Cujus rei hoc indicium est, quod sensuali cognitioni per se fides habetur: in ratiocinatione, aut testificatione aliena, pro certitudine ad sensum recurritur. Rationi quippe non credimus, nisi quantum per specificam cxemplorum inductionem (quorum fides sensu exploratur) probare potis est. Testimonio autem alieno ut quis contra proprii sensus experimenta credat, nunquam sibi patietur persuaderi. Ideo scientia, quo magis constat sensu, eo certior. Proinde, si rerum scientiam veram et certam discentibus ingenerare animus est, faciendum omnino ut per autopsiam et sensualem demonstrationem doceamus omnia

[note: 3. Memoriae tradit.] 9. Et quia sensus sidissimus promus condus est memoriae, faciet sensualis illa omnium demonstratio: ut quod quis scit constanter sciat. Profecto si vel semel saccharum gustavi, semel camelum vidi, semel lusciniam canentem audivi, semel romae fui, eamque lustravi (modo cum attentione) fixe illa memoriae haerent, nec excidere posssunt. Hinc videmus pueros biblicas et alias historias, e picturis facile imprimere posse. Faciliusque et tenacius quid sit rhinoceros imaginari quemvis nostrum, si vel semel ipsum (vel saltem in imagine) intuitus esset: et certius rei gestae, cui ipse interfuit, historiam novisse, quam si

absenti sexcenties narretur, palam est. Hinc plautinum illud: pluris est oculatus testis unus quam anriti decem. Et horatianum

Segnius irritant animos demissa per aurem,
quam quae sunt oculis subjecta sidelibus, et quae

Ipse sibi tradit spectator. Ita qui semel anatomiam corporis humani praesens inspexit attente, certius omnia et intelliget et memorabit, quam si prolixissimos legisset commentarios, sine inspectione oculari. Hinc illud: inspectio acularis prodemonstratione est.

[note: picturarum in docendi actu ingens usus.] 10. Possunt autem, si res aliquando desunt, earum vicariae adhiberi. Exemplaria nempe, vel imagines, doctrinae [note: n. B.] Causa confectae: sicuti botanicis, zoographis, geometris, geodetis et geographis, utiliter usu receptum est, ut descriptionibus suis figuras addant. Quod similiter in physicis, et alibi, faciendum esset. Ex. Gratia. Corporis humani compages ex intentione nostra eleganter oculari demonstratione docebitur, si ossium humanorum [note: (humani corporis artificiosum sceleton)] sceleto (qualia in academiis asservari solent, aut consecto e lignis) circumdentur ex aluta consecti, et lana effarcti, musculi, tendines, nervi, venae, arteriae, cum visceribus, pulmone, corde, diaphragmate, jecore, ventriculo, intestinis: omnia vero situ et proportione, cum superinscripta singulis appellatione sua, et usu. Ad hoc enim spectaculum, si deducto physicae discipulo resoluas et commonstres sigillatim omnia, ille per ludum quasi capiet omnia, structuramque corporis sui ex hoc nunc intelliget. Ejusmodi itaque autoptica instrumenta, (rerum nempe, quae per se haberi nequeunt, simulachra) consicienda forent in omnibus scibilibus, ut ad manum essent scholis. Ad quae conficienda tametsi sumptuum et industriae aliquid esset opus, ingens tamen sequeretur operae praemium.

[note: an omnia sensibus praesentari queant.] 11. Si quis dubitet omnia hoc modo sensibus posse subjici, etiam spiritualia et absentia (quae in coelo vel abysso, locisue transmarinis, sunt et siunt) is meminerit omnia divinitus ad harmoniam esse facta: ut superiora per inferiora, absentia per praesentia,

---

Page 117/118, image: s084

Invisibilia per visibilia, omnino queant repraesentari. Quod vel e roberti flutti macromicrocosmo satis patet, qui ventorum, pluviarum, tonitruum, generationem artiriciose ob oculos pingit. Nec dubium est ad majorem evidentiam et facilitatem illa deduci posse.

[note: 111) attentionis lumen quid.] 12. Haec de objectorum praesentatione ad sensum: sequitur de lumine, quod si absit, frustra objecta oculis ingeras. Hoc discentiae lumen attentio est, qua discens mente praesenti, et quasi hianti, excipit omnia. Ut enim per tenebras, et oculis clausis, nemo videt quidquam, etiamsi id proxime oculis adsit: ita si loquaris, aut aliquid exhibeas, non attendenti, praetervolabit id sensus; ut fieri videmus in illis, qui cogitatione alibi divagantes, multa non animadvertunt, quae ipsis praesentibus fiunt. [note: n. B.] Quemadmodum igitur qui noctu aliquid commonstrare vult alteri, lumen accedat necesse est, et emungat saepe, ut clare luceat: ita magister, si obsessum ignorantiae tenebris discipulum, rerum scientia illuminare volet, attentionem in ipso primum excitare necesse habebit, ut avida et rebus inhiante mente doctrinam hauriat. Id autem qua ratione fieri debeat, douimus cap. Xvii. Fund. Et cap. Xix. Fundamento i.

[note: iv) per clarum lumen res exhibendi methodus quid requirat?] 13. Haec etiam de lumine: dicendum jam de modo, seu methodo, objecta sensibus ita praesentandi, ut firma impressio siat.hujus rei formam e visu externo pulchre est deprehendere: ubi si quid recte videri debet, necesse est illud, 1 ante oculos poni. 2 non eminus, sed justa distantia. 3 ct quidem non collateraliter, sed directe ob oculos. 4 nec inversa, aut transuersa, rei sacie, sed recte obversa. 5 ut visus primo totam rem circumspiciat. 6 tum per partes sigillatim lustret. 7 ct quidem ordine a principio ad finem. 8 et cuivis parti tamdiu insistendo. 9 donec prebensa sint omnia recte per differentias suas. His rite observatis, visio recte procedit:
negato [note: exemplores declaratur.] Vel uno horum, non procedit, aut male procedit.

14. Ex. Gr. Si quis missas ad se ab amico literas legere volet, necesse est eas. 1 oculis praesentari (non visas enim quomodo legat?) 2 justa distantia oculis admoveri (in remoto nimis acies non discernit) 3 directe opponi (limis quod videtur, confuse videtur) 4 recto situ opponi (si enim epistolam aut librum inversim aut transuersim oculis offeras, quis legat?) 5 epistolae generaliora primum inspici opus est, quis, ad quem, unde, quando, scribat? (haec nisi fuerint praecognita, minus recte particularia textus patescent.) 6 tum legi reliqua omnia, nequid transiliatur (alias non omnia cognoscet, et fieri poterit, ut praecipua non assequatur.)

7 opus est legi ex ordine omnia, uti se membra insequuntur: (si quis frustatim carpat, hinc periodum, inde periodum, discerpet sensum, et confundet.) 8 immoretur singulis donec intelligat singula. (nam si raptim percurrere volet, facile mentem praetervolabit utile aliquid.) 9 tandem, cognitis omnibus discrimen attendatur inter res et res magis et minus necessarias.

[note: applicatio ad artem docendi scientias, per regulas ix, regula i.] 15. Haec observata scientias docentibus, novem dant regulas perutiles.

I. Quidquid sciendum est, doceatur.

Nisi enim discipulo quae scire debet offerantur, unde ea sciat? Caveant igitur docentes celare discipulos quidquam: neque opera data, ut invidi et infidi solent; neque negligentia, ut perfunctorie res suas peragentibus moris est. Fide et industria hic opus.

[note: ii.] 16. Quidquid docetur, doceatur ut res praesens, certi usus.

Ut nempe discipulus videat ea, quae discit, non esse ex utopia, aut de platonicis ideis sed res nos vere circumstantes, quarum cognitio vera veros feret vitae usus. Ita mens assiliet acrius, et discernet accuratius.

[note: iii.] 17. Quidquid docetur, doceatur directe, non per ambages.

Hoc enim erit directe intueri, non limis, ubi res non tam videntur, quam visu stringuntur, confuse et obscure. Per suam igitur propriam essentiam res quaevis discenti ob oculos ponatur, nude, non per verborum involucra, translationes, allusiones, hyperbolas: quae usum habent in rebus jam cognitis exaggerandis, aut extenuandis, commendandis aut vituperandis; non item in cognoscendis: hic directa fronte in res eundum est.

[note: iv.] 18. Quidquid docetur, ita doceatur, uti est et sit, i. E. Per causas.

Haec enim cognitio optima est, cum res cognoscitur uti est: quia si aliter cognoscitur quam est, non cognitio erit, sed error. Res autem omnis ita est, uti facta est: nam si aliter est, quam facta

est, corrupta esse intelligitur. Fit autem res omnis a suis causis. Ergo causas rei explicuisse, est scientiam rei veram tradidisse, secundum illud: scire, est remper causas tenere. Item,

---

Page 119/120, image: s085

Causa est dux mentis. Optime igitur, facillime, certissime, res ita recognoscuntur, uti factae sunt. Ut si legere volenti literas eo situ offeras, quo scriptae sunt: ex inversa, vel transuersa, charta legere, difficile est. Atque eodem modo si rem explicas uti gesta est, percipietur facile et certo: si per [gap: greek word(s)], et variam trajectionem, confundes discentem certo. Ergo

Methodus doctrinae sequatur methodum rerum: priora prius, posteriora posterius.

[note: v.] 19. Quicquid cognoscendum offertur, offeratur primum generaliter, tum per partes.

Ratio hujus rei explicata est cap. Xvi. Fund. Vi. Generaliter rem cognoscendam offerre, est totius rei essentiam et accidentia explicare. Essentia explicatur per quaestiones quid? Quale? Et quare? Ad quid, refertur nomen, genus, officium, et finis rei. Ad quale, refertur forma rei, seu modus, per quam res suo fini apta est ad quare, efficiens, seu vis illa, per quam res apta efficitur suo fini. Ex: gr: si hominis cognitionem generalem veram inferre cupio discenti, dicam: homo est (1) creatura dei ultima, caeterarum dominio destinata: (2) donata libere quidvis eligendi et agendi arbitrio (3) ideoque instructa rationis lumine, ad sapienter moderandum electiones et actiones suas. Haec ecce generalis est hominis cognitio, sed fundamentalis, omnia necessaria de homine enuntians. Cu si adjungere velis accidentia quaedam, etiam generalia, a quo, unde, quando etc. Poteris. Dehinc veniendum ad partes, corpus et animam: et corpus quidem per membrorum anatomiam resoluendum: anima per facultares, quibus constat, explicanda etc. Omnia ordine debito.

[note: vi.] 20. Partes rei cognoscantur omnes, etiam minutiores, nulla omissa: cum respectu ordinis, situs, ac nexus, quem habent cum aliis.

Nihil enim frustra est; et quandoque in minima etiam particula majorum vis consistit. Certe in horologio, vel unus claviculus fractus, aut incurvatus, vel loco motus, totam machinam sistere potest: et in corpore vivo unum membrum ablatum auferre vitam: et in sermonis contextu, saepe mimina vocula (praepositio aut conjunctio) torum sensum mutat et evertit. Et sic ubique. Perfecta igitur rei cognitio omnium partium cognitione, quid et ad quid una quaeque sit, absoluitur.

[note: vii.] 21. Omnia successive doceantur: uno tempore nonnisi unum.

Ut enim visus duobus tribusue objectis simul vacare non potest, nisi distracte et confuse (certe qui librum legit, duas simul paginas inspicere nequit, imo neque duas, quamvis sibi proxime adjacentes lineas; neque duo verba, adeoque literas duas, sed successive unum post aliud): ita neque mens speculari potest, nisi unum uno tempore. Ergo distincte procedatur ab uno ad aliud, ne mentes obruantur.

[note: viii.] 22. Cuivis rei insistatur donec fuerit comprebensa.

Nihil momento fit: quia quidquid fit, motu fit: motus autem fit successive. Immorandum itaque erit cum discipulo in quavis scientiae parte, donec eam pernoverit, et scire se sciat. Quod fiet, inculcando, examinando, iterando, ad confirmationem usque, ut docuimus c. Xviii. Fund. X.

[note: ix.] 23. Differentiae rerum bene tradantur, ut distincta sit omnium cognitio.

Multum habet in recessu [gap: greek word(s)] illud qui bene distinguit, bene docet. Rerum enim multitudo obruit discentem, varietas autem confundit, nisi adhibentur remedia: ibi quidem ordo,ut aliud post aliud sumatur; hic differentiarum attenta consideratio, ut quid res a re distet, ubique palam fiat, hoc solum dat scientiam distinctam, claram, certam: quia rerum et varietas et veritas a disserentiis pendet, sicuri tetigimus supra, cap. Xviii. Fund. Vi.

[note: scientiae in scholis tradendae, hac methodo adornandae.] 24. At quia non cuivis datur tanta dexteritate praeceptorium obire posse munus, necessarium erit omnes scholis tradendas scientias ad has methodi leges concinnari, quo non sacile sit aberrare a scopo. Nam si haec recte constituantur et observentur, fieri non poterit, quin quam facile aliquis in palatium regium intromissus, omnia quae ibi habentur, picturas caelaturas, aulaea, et quaecunque ornamenta, dato temporis spatio certo, sine taedio perlustrare potest: aeque facile adolescens in universi theatrum intromissus, omnem rerum apparatum acumine penetrare, et dehinc oculatus plane inter dei et hominum opera obambulare, valeat.

Page 121/122, image: s086

Cap. Xxi. Artum methodus.

[note: artibus magis quam scientiis studendum.] Theoria rerum facilis est, et brevis, nec praeter oblectationem quidpvam affert: vsus vero arduus est et prolixus, mirabiles ferens utilitates,inquit; vives. Quod cum ita sit, diligenter vestiganda est ratio, qua ad rerum praxin, quae in artibus est, facile manuducatur juventus.

[note: artis praerequisitatria.] 2. Ars tria praerequirit. 1 exemplar, seu ideam, quae est externa quaedam forma, quam intuendo artifex similem producere tentat. 2. Materiam, quae est id ipsum cui forma nova imprimenda est. 3 instrumenta, quorum ope res peragitur.

[note: totidem requisita in actu.] 3. Artis autem disciplina (datis jam instrumentis, materia, exemplari) requirit istorum 1 vsum legitimum. 2 directionem [note: 2.] Prudentem. 3 exercitationem crebram. [note: 3.] Hoc est, ut discipulus doceatur, ubi et quomodo singula ista adhibenda sint? Et dum adhibet, ut dirigatur, ne operatione aberret: aut si aberrat, ut corrigatur. Denique, ne cesset errare, et ab errore revocari, donec sine errore, certo et expedite, operari sciat.

[note: de quibus canones xi.] 4. De his notandi sunt undecim canones: de vsu sex: de directione tres: duo de exercitanone.

[note: i.] 5. Agenda agendo discantur.

Mechanici artium suarum tirones non speculationibus detinent, sed mox operibus admovent, ut discant fabricare fabricando, sculpere sculpendo, pingere pingendo, saltare saltando etc. Ergo etiam in scholis discant, scribere scribendo, loqui loquendo, canere canendo, ratiocinari

ratiocinando etc. Ut scholae nihil sint, nisi operibus ferventes officinae. Ita demum omnes veritatem diverbii illius fabricando sabricamur, ipsa felici praxi experientur.

[note: ii.] 6. Agendorum semper adsit certa forma et norma.

Quam scilicet discipulus intuendo, et veluti vestigiis insistendo, imitetur. Nondum enim de suo fingere potest quidquam, quid et quomodo fieri oporteat, ignarus: monstrandum itaque illi est. Crudelitatis alioquin fuerit, cogere aliquem ut faciat quod tu vis, ignarum quid velis. Velle ut efformet lineas rectas, angulos rectos, circulos rotundos, non datis prius in manum amussi, norma, circino, et non comnonstrato istorum usu. Serio proinde elaborandum erit, ut omnium in schola agendorum exstent formulae, seu exemplaria et ideae, verae, certae, simplices, intellectu et imitatu faciles: sive sunt praefigurationes et delineationes rerum, sive praeceptiones et praelusiones operum. Atque tum demum absurdi nihil erit, requirere ab illo cui lumen ministratum est, ut videat: qui pedibus jam consistit, ut incedat: qui manu instrumenta versat, ut operetur.

[note: iii.] 7. Instrumentorum vsus monstretur, re potius, quam verbis: h. e. exemplis potius quam praeceptis.

Monuit pridem quintilianus, longum et difficile iter esse per praecepta, breve et efficax per exempla. Sed eheu, quam parum memores, hujus moniti sunt vulgares scholae! Praeceptis certe et regulis, et regularum exceptionibus, exceptionumque limitationibus, primos etiam grammaticae. Tirones ita obruunt, ut illi plerumque quid fiat nesciant, priusque 'stupere quam intelligere incipiant. At vero mechanicos non videmus ita procedere, ut novitiis suis tot praerecitent regulas: sed deductos in officinam opera sua inspectare jubent, moxque imitari gestientibus (homo enim animal est [gap: greek word(s)]) instrumenta in manum dant, et quomodo prensanda versandaque sint, docent: tum si aberrant, monent et corrigunt, semper magis exemplo quam verbis: ostenditque praxis imitationem succedere facile. Nam quod eleganter germani dicunt, verum est. Ein guter vorganger findet einen guten nachganger. Et illud terentianum 1 prae, sequar, hic etiam locum habet. Hoc modo infantes videmus addiscere incessum, cursum, loquelam, lusus varios, sola imitatione, sine praeceptis operosis praecepta enim revera spinae sunt animis, requirentia et attentionem et acumen: exemplis vero hebetissimi etiam juvantur. Nec praeceptis solis quisquam unquam linguae aut artis alicujus habitum sibi comparaverit: usu omnino, etiam sine praeceptis.

[note: iv.] 8. Exercitatio incipiat a rudimentis, non ab operibus.

Faber enim lignarius discipulum suum non primum statim docet exstruere turres, et arces: sed tenere securim, desecare ligna, exasciare trabes, perforare tigna, impingere clavos, et connectere etc. Neque pictor tironi effigiandos offert humanos vultus: sed docet miscere coleres, aptare penicillos, ducere lineolas; tum tentare rudiores delineationes etc.

Page 123/124, image: s087

Et qui puerum legendi arte instruit, non objicit ei contextum libri: sed literarum elementa, primo singula, tum in syllabas collecta, demum voces, tum sententias etc. Ergo

et grammaticae tironi primum offerendae singulae voces variandae, tum binae construendae: tum sententiae unimembres, mox bimembres, trimembres: demum veniatur ad periodorum structuram, et dehinc ad orationem integram. Sic in dialectica: primum discant res, et de rebus conceptus, per genera et differentias distinguere: tum ad invicem mutuo respectu (quem omnia ad omnia aliquo modo habent) coordinare: exin definire et distribuere: tum res, et rerum conceptes, combinatim expendere, quid, de quo, propter quid, dicatur? Et necessarione an contingenter? In his ubi exercitatus fuerit, demum veniatur ad ratiocinandi actum, quomodo ex datis et concessis quibusdam eliciantur reliqua? Denique ad discursus, seu tractationes thematum integras. Similiter in rhetoricaprocedetur expedite; si quis primum aliquanto tempore in synonymis colligendis exerceatur; tum discat epitheta, imponere nominibus, verbis, adverbiis: mox ea illustrare antithetis: postea periphrasibus circumloqui varie; dehinc voces proprias permutare tropicis: conjunctasque ad sonoram elegantiam dislocare, sententias simplices in figuratas omnimode transformare:demumque, ubi haec singula satis prompte poterit, ad integrarum orationum ornamenta veniendum erit, non ante. Ita gradatim si eatur in arte qualibet, impossibile est non celeriter et solide profici.

Fundamentum hujus rei erutum est cap. Xvii. Fund. Iv.

[note: v.] 9. Tironum exercitia prima sint circa materiam notam.

Dedit nobis regulam hanc fund. Ix. Capitis xvii. Et fundamenti iv. Corollarium vi. Sensus est, non esse discentem onerandum rebus ab aetae, captu, conditione praesenti, remotis, ne cum umbris luctari jubeantur. Ex. Gr. Puero polono literas legere aut pingere discenti, non objicienda est scriptura latina, graeca, arabica, sed linguae suae, ut quid agatur intelligat. Sic praeceptorum dialecticorum usum ut capiat [note: n. B.] Puer, exercendus erit exemplis, non ex vergilio vel cicerone desumptis, aut theologicis, politicis, medicis: sed e rebus puero obviis, de libro, veste, arbore, domo, schola etc. Huc faciet, ut quae exempla declarandae regulae primae assumpta sunt, illa, tanquam jam nota, retineantur per reliquas omnes. Ut in dialectica, sumatur (exempli causa) arbor: ostendaturque illius genus, disterentia, causae, effecta, subjecta, adjuncta etc. Definitio, distributio etc. Tum, quot modis aliquid de arbore enuntiari potest. Deinde, quomodo ratiocinatione certa, ex illis quae hucusque de arbore dicta sunt, alia colligi, et demonstrari possint etc. Hoc pacto, per unum et alterum tertiumque exemplum notum declarato regularum usu, totalem imitationem, in aliis omnibus moliri puer facillime poterit

10. Imitatio siat ad formam praescriptam immediate: postea liberior esse poterit.

Quo enim magis formatio rei novae alligatur formae suae, eo magis et exactius forma exprimitur. Ut nummi, qui eodem typo exprimuntur, omnes simillimi fiunt tam typo suo, quam sibi invicem. Sic libri characteribus aeneis descripti: sic opera fusilia, ex cera, gypso, metallis etc. Quantum ergo fieri potest in caeteris quoque operibus imitatio (prima saltem) alliget se ideae suae immediate, donec manus, mens, lingua, confirmatior, liberius ferri, proprioque ductu similia efformare, consueverit. Ex. Gr. Qui scriptoriam discunt, illi chartam tenuem et quodammodo pellucentem sumant, eique supponant [gap: greek word(s)], scripturam nempe illam quam imitari gestiunt: ita enim transparentium literarum ductus imitari facile poterunt. Aut imprimantur chartae purae programmata colore aliquo diluto, luteo, vel subfusco: ut discipuli calamis atramento tinctis, perque illa vestigia ductis, eosdem characteres eadem forma imitari consuescant. Ita in stylo, ad quamvis ex auctore propositam constructionem, sententiam, periodum, efformetur alia, ei simillima. Ut, quia dicitur, dives opum, jubeatur puer imitari, et dicat, dives nummorum, dives pecuniae, dives pecoris, dives vinearum etc. Cum cicero dicit, eudemus in astrologia, judicio doctissimorum hominum, facile primus: ad

imitationem hujus immediatam dicere licebit; cicero in eloquentia, judicio doctissimorum oratorum, facile primus. Paulus in apostolatu, judicio totius ecclesiae, facile primus etc. Sic in logia dilemma illud: aut dies est, aut est nox: atqui nox est: ergo non dies: discat puer imitari omnibus contrariis immediatis ita oppositis. Ex. Gr. Aut rudis est, aut eruditus. At rudis: e. Non eruditus. Aut pius fuit cain, aut impius. Atqui non fuit pius etc.

Page 125/126, image: s088

[note: vii.] 11. Formae agendorum sint quam perfectissimae: quas si quis imitando satis exprimat, perfectus in arie sua haberi possit.

Ut enim ad regulam curvam lineas rectas ducere nemo potest, ita nec ex vitioso archetypo bonum ectypum formare. [note: n. B.] Elaborandum proinde erit, ut omnium gendorum in schola, imo in tota vita, ideae exstent verae, certae, simplices, imitatu faciles. Sive sint rerum imagines, picturae, delineationes; sive praeceptiones et regulae, brevissimae, lucidissimae, per fe intelligibiles, sine exceptione verae.

[note: viii.] 12. Imitandi conatus primus quam accuratissimus sit, ne ab ideae vel minimo ductu aberretur.

Nempe quoad ejus fieri potest. Necessarium id. Omnia enim prima veluti fundamenta sunt sequentium: quibus firmis, firmiter possunt inaedificari reliqua: vacillantibus, vacillabuut. Et quemadmodum [note: n. B.] Medici observant vitia concoctionis primae in secunda et terria non corrigi: ita in operatione quavis, aberrationes primae omnibus sequentibus incommodant. Hinctimotheus musicus a discipulis, qui alibi artis initia posuerant, duplum exigebat praemium: dictitans sibi laborem duplari, dedocendo primum, quod male didicerant, demumque docendo recte. Danda proinde est opera, ut discipuli artis suae ideas accurato imitandi conatu plane suae potestatis faciant: hac sequidem superata difficultate, reliquae ultro cedent: quemadmodum urbs, cujus portae fuerint expugnatae, in victoris manu est. Cavenda proinde est praecipitantia, ne unquam ad sequentia, prioribus non satis accurate constitutis, transeatur. [note: n. B.] Satis festinat qui nunquam aberrat a via. Et mora quae principiis dextre constituendis impenditur, non remora est, sed compendium insigne, ad sequentia, facile, cito, tuto, subigendum.

[note: ix.] 13. Aberratio a praesente magistro emendetur: sed subjunctis observationibus, quas regulas, regularumque exceptiones, vocamus.

Exemplis potius quam praeceptis docendas esse artes, docuimus hucusque: addimus nunc, adjungenda esse praecepta et regulas, quae operationem dirigant, et aberrationem prohibeant:ostendehdo explicate, quod in exemplari exstat involute, unde incipere, quo tendere, qua procedere, debeat operatio: et cur unumquodque ita fieri oporteat? Id quod demum firmam dabit artis cognitionem, et imitandi confidentiam atque certitudinem.

[note: n. B.] Sed praecepta illa oportet esse quam brevissima et lucidissima: ut non circa illa consenescere sit opus, sed quae apprehensa semel perpetuum praestentusum, etiam seposita;

quemadmodum puero incessum formanti serperastra commodum praestant usum, postea nulli sunt usui.

[note: x.] 14. Artis perfecta disciplina synthesi et analysi constat.

Syntheseos hic esse potiores partes, ostendimus naturae et mechanicorum exemplis, cap. Xviii. Fund v. Atque praemitti [note: exercitia synthetica praemittenda sunt analyticis 1.] Debere in plerisque exercitia synthetica, haec insuper ostendunt. 1 quod a facilioribus ubique sit incipiendum: facilius autem nostra, quam aliena intelligimus. [note: 2.] 2 auctores data opera tegunt artificium, ut discipuli prima fronte vix ac ne vix quidem penetrare valeant: valebunt autem aliquanto jam rudioribus [note: 3.] Illis, propriis inventis, exercitati. 3 quod primario intenditur, primario agendum est. Intendimus autem, ut artium studiosi novas inventiones venari, non paratis tantum uti, consuescant (vide quae ibidem dicta sunt. Cap. Xviii. Fundam. V.)

[note: analytica tamen addenda.] 15. Adjungendae tamen omnino sunt alienarum inventionum et operum accuratae analyses. Is quippe demum viae alicujus satis gnarus est, qui eam saepius ultro citroque mensus est, et omnia hic et illic obvenientia bivia et trivia, diverticulaque, perspexit: praeterea, varii sunt, et quodammodo infiniti, rerum modi, ut omnia nec praeceptis includi, nec in mentem uni venire, possint. Pluribus plura dantur: quae non fiunt nostra, nisi disquirantur, cognoscantur, aemulationeque, et imitatione, similia producendi nobis ingenerent habitum.

[note: summa dictorum.] 16. Hoc ergo volumus, ut in qualibet arte constituantur omnium quae ab arte illa praestari debent, solent, possunt, ideae seu exemplaria, plena et perfecta: cum adjunctis a latere monitis et regulis, facti et faciendi rationes dotegentibus, imitandi conatum dirigentibus, aberrationem praecaventibus, admissam emendantibus. Tum dentur discipulo alia atque alia exempla; quae ille singula ideis adaptet, et imitatione similium similia faciat. Tandemque aliena inspiciantur opera (sed laudatorum artificum) et ad praedictas ideas et regulas accommodentur: tum ut earundem usus pateat melius, tum

---

Page 127/128, image: s089

Ut artem occultandi artificia addiscant. Atque hoc tali exercitio continuato, demum de inventis, et inventorum elegantia, sua et aliena, commode judicare poterit.

[note: xi.] 17. Exercitia haec continuanda sunt, donec habitum artis inducant.

Nam, solus et artifices qui facit vsus erit.

Cap. Xxii. Linguarum methodus.

[note: linguae cur, et quae, discendae.] Linguae discuntur non ut eruditionis aut sapientiae pars, sed ut eruditionis hauriendae, aliisque communicandae, instrumentum. Discendae proinde sunt: 1. Non omnes, quod impossibile; nec multae; quod inutile, utpote studio rerum debitum tempus subtrahens: sed necessariae solum. Necessariae vero sunt, ob domesticam vitam vernacula; ob conversationem cum vicinis, vicinae linguae: ut polonis est hic germanica, alibi hungarica, walachica, turcica: et ob legendos libros sapienter scriptos, ut est eruditis in commune, latina:philosophis et medicis, graeca et arabica: theologis, graeca et hebraea.

[note: an quaelibet tota integre?] 2. Discendae sunt non omnes totae, ad perfectionem usque, sed ad necessitatem. Nec enim est opus graeca et hebraica tam expedite sonare, ut vernacula, quia homines desunt cum quibus loquamur: sufficit eas addisci ad usum librorum legendorum et intelligendorum.

[note: non discendae sine rebus.] 3. Linguarum studium parallele cum rebus procedere debet, praesertim in juventute: ut nempe quantum rerum tantum et sermonis discamus, tum intelligere tum exprimere. Homines enim formamus, non psittacos: ut dictum est cap. Xix. Fund. Vi.

[note: porisma 1. Iisdem libris disci posse, res et linguam.] 4. Unde sequitur, primo, vocabula rerum separatim discenda non esse, cum separatim res nec exstant, nec intelliguntur: sed prouti conjunctae sunt, hic aut illic [note: n. B.] Existunt, hoc aut illud agunt. Haec consideratio nobis januae linguarum procudendae ansam dedit; ubi verba sententiis structa, rerum structuram simul exprimunt, non infelici (uti putatur) successu.

[note: 2. Totius linguae cognitionem nemini necessariam.] 5. Deinde, sequitur, nemini totius alicujus linguae cognitionem necessariam esse, et si quis eam captet, ridiculum fore et ineptum. Nam ne cicero quidem totam latinam linguam (cujus alioquin summus magister habetur) scivit, ut qui opoficum vocabula se ignorare fatetur: nuquam scil. Cum sutoribus, cerdonibus, conversatus, ut illorum omnes operas inspectaret, et omnium quae illi tractant appellationes addisceret. Et quo usu ea didicisset?

[note: amplificatoresque ianuae inconsiderate fecisse (docemium, kinnerum etc.) Ideoque auctorem inchoatum latinitatis posticum non absoluisse.] 6. Quod non attenderunt quidam januae nostrae amplificatores, vocabulis longe inusitatissimis, rerum a captu puerorum plane remotarum, eam effarcientes. Janua non nisi janua esse debet: ulteriora ulteriori servanda sunt tempori: praesertim quae aut nunquam occurrunt, aut si occurrunt e libris subsidiariis (vocabulariis, lexicis, herbariis etc.) Petenda sunt. Qua causa ego etiam latinitatis posticum (quod e vocabulis obsoletis minusque usitatis contexere caeperam) intermisi.

[note: 3. Pueris puerilia tractanda: non cicere et alii, plusquam viri, proponendi.] 7. Teriio sequitur, ut intellectum ita sermonem formandum esse pueris circa puerilia potissimum, virilibus adultiori aetati relictis: ut frustra sint, qui pueris ciceronem, aliosque grandes auctores, quae supra puerilem captum sunt tractantes, proponunt. Si enim res non capiunt, quomodo artificia res istas nervose exprimendi capient? Utilius tempus id humilioribus impenditur, ut tam lingua quam intellectus non nisi gradatim expoliantur. Saltum natura non facit; nee ars, quando naturam imitatur. Prius puer docendus est incessum formare, quam exercere choros: prius equitare in arundine longa, quam phaleratis vehi caballis: prius lallare quam loqui; et prius loqui, quam perorare: cum cicero neget se eum posse docere dicere, qui nesciat loqui.

[note: de polyglottia regulae octo.] 8. Quantum ad [gap: greek word(s)], diversas addiscendi linguas studium breve et leve faciet haec methodus, quem regulis octo includemus.

[note: i.] 9. Quaelibet lingua seorsim discatur.

Primo nempe vernacula: tum quae vernaculae loco usurpanda est, puta vicinae [note: n. B.] Gentis lingua. (praemittendas enim censeo linguas vulgares doctis) tum latina: et post hanc graeca, hebraeae etc. Semper alia post aliam, non simul: alias confundet haec

illam. Tandem tamen, usu jam firmatae, utiliter poterunt conferri per harmonica lexica, grammatica etc.

[note: ii.] 10. Quaelibet lingua certum temporis demensum habeat.

Ne scilicet ex parergo [gap: greek word(s)] faciamus, et tempora rebus debita perdamus vocabulis. Vernacula, quia se alligat rebus, quae se paulatim coram intellectu pandunt, necessario requirit plures annos; puta octo decemve, totam scilicet infantiam cum pueritiae parte. Transiri inde potest ad

---

Page 129/130, image: s090

Linguam aliam vulgarem; quarum quaeque annuo spatio satis commode potest hauriri: latinae studium absolui potest biennio: graecae uno anno; hebraicae semestri uno.

[note: iii.] 11. Omnis lingua usu potius discatur, quam praeceptis.

Id est audiendo, legendo, relegendo, transscribendo, imitationem manu et lingua tentando, quam creberrime. Vide quae cap. Praecedenti, can. I. Et xi. Dicta sunt.

[note: iv.] 12. Praecepta tamen vsum juvent, et firment.

Quemadmodum capite proximo dictum est can. Ii etc. Intelligendum id potissimum de linguis doctis, quas e libris haurire necesse habemus: sed et de vulgaribus. Nam et italica gallica, germanica, bohemica, hungarica, regulis includi possunt, atque adeo inchisae jam sunt.

[note: v.] 13. Praecepta linguarum grammatica sint, non philosophica.

Hoc est, non subtiliter in rationes causasque vocabulorum, phrasium, connexionum, cur ita vel ita fieri necesse sit, inquirant, sed crassiore minerva, quid et quomodo fiat, explicent. Subtilior illa causarum et nexuum, similitudinum et dissimilitudinum, analogiarum et anomaliarum, quae rebus et verbis insunt, speculatio, ad philosophum pertinet, philologum remoratur.

[note: vi.] 14. Scribendorum linguae novae, praeceptorum norma, sit lingua prius nota, ut differentia tantummodo illius ab hac ostendatur.

Communia enim repeti non inutile est solum; sed noxium; quia mentem majoris specie prolixitatis et discodantiae, quam revera est, terret. Ex. Gr. In grammatica graeca nihil opus est repeti, nominum, verborum, casuum, temporum etc. Definitiones; aut syntacticas nihil novi ferentes regulas etc. Quia praesupponitur ista jam. Intelligi. Ergo sola illa ponantur, in quibus. Graeca a consuetudine latinae, jam notae, recedit. Atque tum ad aliquot folia contrahere licebit grammaticam graecam: eruntque omnia distinctiora, faciliora, firmiora.

[note: vii.] 15. Exercitia prima linguae novae sint circa materiam prius notam.

Ne scilicet mentem necesse sit intendi in res et verba simul, eoque modo distrahi [note: n. B.] Et debilitari; sed tantum in verba, ad facilius et celerius ea subigendum. Talis vero materia erunt, vel capita catechetica, vel historiae biblicae, vel denique quidvis jam ante satis notum. [aut si placet nostrum vestibulum et janna: quanquam haec aptiora sunt ad memoriae mandandum, propter brevitatem: illa vero caetera ad legendum et relegendum, propter

saepius occurrentem earundem vocum iterationem, qua se familiarius intellectui et memoriae; insinuant.]

[note: viii.] 16. Omnes igitur linguae una eademque methodo disci possunt.

Nempe usu; adjunctis praeceptis facillimis, differentiam tantum a lingua prius nota ostendentibus: et exercitiis circa materias notas etc.

De linguis perfecte addiscendis.

[note: linguas quasi perfecte disci usus non requirit praeter duas: et quidem per gradus quatuor.] 17. Non omnes, quae discuntur, linvas aequali accuratione discendas esse, monuimus capitis initio. Vernaculae et latinae potissimum ea cura debetur, ut earum omnino potentes evadamus. Atque tale hoc linguae studium dividendum est in quatuor aetates.

Prima aetas, sit infantilis, balbutiens: ubi discant loqui quomodocunque.

Secunda aetas, sit puerilis, adolescens: ubi discant loqui proprie.

Tertia aetas, sit juvenilis, florida: ubi discant loqui eleganter.

Quarta aetas, sit virilis, valida: ubi discant loqui nervose.

[note: cur ita?] 18. Nec enim aliter quam per gradus recte itur: alias erunt omnia confusa, hiulca, lacera: quemadmodum in nobis ipsis plerique experimur. Per istos autem quatuor gradus deducentur facile linguarum studiosi, si instrumenta linguas docendi fuerint exquisita: nempe libri tum didactici, discentibus in manum tradendi; tum informatorii, docentium in usum concinnandi; utrique breves et methodici.

[note: libelli linguam docentes quaterni.] 19. Didactici libelli, juxta aetatum gradus, quatuor sunto.

Page 131/132, image: s091

I. Vestibulum linguae (exempli gratia. Latinae) cum subsidiariis suis libris.

Ii. Janua linguae (exempli gratia. Latinae) cum subsidiariis suis libris.

Iii. Palatium linguae (exempli gratia. Latinae) cum subsidiariis suis libris.

Iv. Thesaurus linguae (exempli gratia. Latinae) cum subsidiariis suis libris.

[note: i. Vestibulum.] 10. Vestibulum contineat balbutiei materiam, vocabulorum aliquot centena sententiolis comprehensa: cum annexis declinationum et conjugationum tabellis.

[note: ii. Ianua.] 11. Janua contineat omnia usitata linguae vocabula, circiter octies mille: redacta in sententias breves, quibus res iplae nativo vultu exprimuntur. Huic annectenda sunt grammatica praecepta brevia et dilucida, veram et genuinam voces ejus linguae scribendi, pronuntiandi, formandi et construendi rationem planissime exhibentia.

[note: iii. Palatium.] 12. Palatium contineat varios de rebus omnibus discursus, omnigena phrasi, elegantiarumque flosculis refertos: cum annocationibus ad marginem, e quibus auctoribus deprompta sint singula ad calcem vero annexis regulis, phrases et sententias mille modis variandi et colorandi.

[note: iv. Thesaurus auctorum.] 13. Thesaurus, vocabuntur ipsi auctores classici, qui de materiis quibusuis graviter et nervos scripserunt: cum praemissis regulis de observandis et colligendis orationis nervis, et permutandis accurate (quod in primis observandum) idiotismis. Istorum auctorum quidam deligantur in scholis legendi: aliorum contexatur catalogus, ut si cui post occasio veniat, aut voluptas, de hac vel illa materia plenos evoluendi auctores, ne ignoretur, quinam illi sint.

[note: subsidiarii libri.] 14. Subsidiarii libri dicuntur, qui didacticis illis expeditius, et majori cum fructu, usurpandis serviant. Nempe

[note: i.] Vestibulo, annexa vocum ejus indecula vernaculo-latina, et latino-vernacula.

[note: ii.] Januae, lexicon etymologicum, voces primigenias per derivata et composita sua latino-vernacule diducens, significationumque rationem reddens.

[note: iii.] Palatio, lexicon phraseologicon vernaculo-vernaculum, latino-latinum (et si opus est graeco-graecum) variam phrasin, elegantesque rerum synonymias, et periphrases in palatio ipso sparsim occurrentes in unum colligens, addita loci consignatione, ubi occurrat.

[note: iv.] Thesauro denique subsidiabitur aut succenturiabit promptuarium catholicum, copias utriusque linguae (vernaculo-latinae, et post latino-graecae) ita explicans, ut nihil omnium sit quod hic non reperiatur: respondeantque sibi omnia parallele examussim, ad exprimendum propria proprie, translata translate, jocosa jocose, proverbialia proverbialiter etc. Nec enim verisimile est ullius gentis linguam tam esse infelicem, quae non vel jam habeat sufficientem vocum, phrasium, sententiarum et adagiorum, copiam, modo cum judicio digererentur et ad latina applicarentur; vel certe habere possit, siadsit imitandi, et e similibus similia efformandi, solertia.

[note: promptuarium linguae desideratur: praeterquam g. Cnapit poloni.] 15. Tale vero universale promptuarium adhuc desideramus. Gregorius cnapius sane, jesuita polonus, insignem hic genti suae praestitit operam, suo quem inscripsit, polono-latino-graeco thesauro: sed in quo tamen merito haec tria desideres. Primum, quod nondum omnes patriae linguae voces et phrases congessit. Deinde, quod non digessit eo quem modo indigitavimus ordine, ut singula singulis, propria propriis, tropica tropicis, obsoleta obsoletis (quoad ejus fieri potest) responderent: quo utriusque linguae et proprietas et nitor, copiaque ex aequo pateret. Ille enim cuivis polonicae voci et phrasi latinas majori numero subjungit: cum nos singula singulis respondere cupiamus, ut omnes latinorum elegantiae nostris permutentur: quo nempe transferendis etiam e latino in vernaculum, et viceversa, quibuscunque libris, promptuarium hoc perfecte serviat. Tertio,desideramus in cnapii thesauro majorem in digerenda phrasium serie accurationem: nempe non ut coacerventur quovis modo, sed praecedant formulae res

eloquendi simplices et historicae, tum grandiores oratoriae, tandem sublimiores aut duriores et insolentiores poeticae, denique obsoletae.

16. Verum plenam de structura hujus promptuarii catholici consultationem in aliud tempus differamus. Quemadmodum et de speciali modo rationeque vestibulum, januam, palatium, thesauros,ita tractandi, ut infallibiliter id quod volumus sequatur, linguae perfectio. Speciatim quippe de his disserere, ad specialem classium constitutionem pertinebit.

Page 133/134, image: s092

Cap. Xxiii. Methodus morum.

[note: omnia praecedentia veluti parerga: ergon demum sequitur, mores et pietas;] hactenus de scientiarum, artium, linguarum studiis promptius docendis et discendis. De quibus merito illud senecae hic in memoriam revocatur: (ex epist 89.) Non discere ista debemus, sed didicisse. Nempe quia non nisi praeparatoria sunt ad majora. Et ut ille loquitur, rudimenta nostra sunt, non opera. Quae ergo erunt opera? Sapientiae studum, quod nos sublimes, fortes et magnanimos reddat. Id nempe quod nobis morum et pietatis nomine in superioribus indigitatum est; per quae demum vere creaturis sublimiores, deo ipsi propiones, reddimur.

[note: redigenda necessario in artem.] 2. Providendum itaque est quam maxime, ut ars haec, mores et pietatem veram vere instillandi, exacte constituatur, et in scholas in roducatur, quo ex asse sint, uti dicuntur, hominum officinae.

[note: artis morum canones xvi.] 3. Ars mores formandi primarios habet canones sedecim. Quorum primus est, [note: i.] Virtues juventuti implantandae sunt omnes, nulla excepta

A recto enim et honesto nihil excipi potest, quin hiatus sit et harmoniae turbatio.

[note: ii.] 4. Inprimis autem fundamentales illae, quas cardinales vocant, prudentia, temperantia, fortitudo et jvstitia.

Ne scilicet aedificium erigatur sine fundamento, et partes male cohaereant basibus suis, non bene innixae.

[note: iii.] 5. Prvdentiam a bona institutione haurient, veras rerum, et pretii verum, addiscendo differentias.

Verum enim de rebus judicium, est verum omnis virtutis fundamentum. Pulchre vives: vera sapietia est, de rebus incorrupte judicare, ut talem unamquamque existimemus, qualis ipsa est: ne vilia sectemur tanquam preciosa, aut preciosa tanquam vilia rejiciamus: ne vituperemus laudanda neve laudemus vituperanda. Hinc enim error omnis in hominum mentibus ac vitium oritur: nihilque est in humana vita exitiabilius, quam depravatio illa judiciorum, cum rebus non suum pretium redditur: assuescat proinde (pergit idem) jam tum a puero veras habere de

rebus opiniones, quae simul cum aetate adolescant. Et ea rapiat quae recta sunt, fugiat quae prava: ut assuefactae haec bene agendi vertat ei prope in naturam. Etc.

[note: iv.] 6. Temperantiam doceantur et consuescant observare, in sumendo cibo et potu, in somno et vigiliis, in laboribus et lusibus, in loquendo et tacendo, toto institutionis tempore.

Ubi aurea est, semper juvenibus refricanda regula, nequid nimis: ut citra satietatem et fastidium consistatur ubique.

[note: v.] 7. Fortitudinem discant in superandis seipsis: coercenda nimirum discurrendi, aut extra vel ultra tempus ludendi, libidine: frenandaque impatientia, murmure, ira

Fundamentum hujus erit, adsuefacere eos ad faciendum omnia ratione, nihil [note: n. B.] Affectu aut impetu. Est enim homo animal rationale: ergo ratione duci consuescat, deliberando in actionibus, quid, cur, quomodo unumquodque recte, fiat? Ut homo vere rex sit actionum suarum. Et quia tam deliberati et rationalis processus pueri non usque adeo capaces sunt (saltem non omnes) insigne erit fortitudinem, et sui dominium, eos addocendi compendium, si adigantur consuescere, alterius potius voluntatem facere quam suam: obsequendo videlicet superioribus promptissime, in omnibus. Qui equos recte alunt, inquit lactantius, eos primum docent parere freno: pueros igitur qui instituere vult, primum adsuefaciat, ut dicto sint audientes. O quam multa spes in his est, humanas confusiones, quibus inundatur mundus, ad meliorem reducendi statum, si alii aliis cedere, omnes autem omnia sua ratione agere, jam inde ab ineunte aetate, condocefiant!

[note: vi.] 8. Justitiam discent, neminem laedendo; quod suum est cuique tribuendo; mendacia et dolos fugiendo; officiosos et amabiles se praestando.

Ad quod formandi sunt, aeque ut ad superiora, modis et rationibus quas praescribunt sequentes canones.

[note: vii.] 9. Fortitudinis species sunt; parrhesia honesta, et laborum tolerantia, juventuti inprimis necessariae.

Quia enim vita conversando et agenao transmittenda est, docendi sunt pueri et

---

Page 135/136, image: s093

Vultus hominum, et labores quosuis honestos, ferre: ne fiant vel lucifugae, vel [gap: greek word(s)], ventres pigri, inutilia pondera terrae. Virtus factis colitur, non sermone.

[note: viii.] 10. Parrhesia honesta comparatur crebra cum personis honestis conversatione, et in illorum conspectu quidquid mandatum fuerit periractatione.

Alexandrum aristoteles ita instituerat, ut anno aetatis duodecimo cum omni hominum genere, cum regibus, regumque et populorum legatis, cum doctis et indoctis, urbanis et agrestibus, opificibusque scite consuesceret, et de omni in medium adducta re apposite vel interrogaret vel responderet. Quod ut institutione nostra universali feliciter imitari doceantur omnes, conscribenda erunt conversandi praecepta, et urgenda praxis, conversando modeste, et de variis quotidie conferendo, cum praeceptoribus, condiscipulis, parentibus, famulitio, aliis: et

denique adhibenda erit praeceptoribus attentio: ut in quocunque notatum fuerit aliquid desidiae, aut temeritatis, aut rusticitatis, aut proterviae etc. Ad recti normas revocent.

[note: ix.] 11. Laborum tolerantiam sibi comparabunt juvenes, si semper aliquid agant, sive serii sive ludicri.

Ad intentionem enim nihil interest quid et quo fine agatur, modo agatur. Etiam joco disci potest, quod serio prosit, ubi tempus et res poscat. Quia ergo agenda agendo discuntur (ut suo loco vidimus) etiam labor laborando addiscetur, ut animi et corporis occupationes perpetuae (moderatae tamen) in industriam transeant, et homini gnavo ignavum otium intolerabile reddant. Et tum verum erit quod seneca dicit: generosos animos labor nutrit.

[note: x.] 12. Justitiae cognata virtus, aliis inserviendi promptitudo et alacritas, pueris instillari inprimis necessaria est.

Adhaeret enim corruptae naturae vitium tetrum, [gap: greek word(s)], qua sibi fere soli prosipectum cupit quisque, susque deque habito quid aliis fiat. Quod fons est variarum in rebus humanis confusionum, dum quisque rerum suarum satagit, posthabito publici boni respectu. Inculcandus itaque est juventuti diligenter vitae nostrae scopus; nempe non nobis solis nos nasci, sed deo et proximo, id est, societati generis humani: ut id serio persuasi, adsuescant jam inde a puero deum, angelos, solem, et generosiores quasque creaturas, imitari; hoc est serviendo quam plurimis prodesse cupere, [note: n. B.] Et allaborare. Ita demum beatus esset rerum privatarum et publicarum status, si omnes in communia commoda conspirare, et ubique alii aliis succurrere, scirent et vellent. Scient autem, et volent, edocti.

[note: xi.] 13. Virtutum formatio incipiat a tenellis, antequam vitia trahant animi.

Nam nisi semine bono obseveris agrum, producet quidem ille herbas, at quales? Zizania et lolium. Si autem subigere animus est, facilius subegeris, et certiori cum spe messem exspectabis, si primo statim vere ares, seras, occes. Prorsus a teneris assuescere multum est: quia quo semel est imbuta recens servabit odorem testa diu.

[note: xii.] 14. Virtutes discuntur honesta constanter agendo.

Cognoscenda enim cognoscendo, agenda agendo, disci, vidimus cap. 20. Et 21. Ut ergo ambulare ambulando, loqui loquendo, scribere scribendo etc. Pueri facile discunt, ita discent obedientiam obediendo, abstinentiam abstinendo, veracitatem vera loquendo, constantiam constando etc. Modo non desint qui verbo et exemplo praecant.

[note: xiii.] 15. Exempla vitae compositae, parentum, nuiricum, praeceptorum, condiscipulorum, praeluceant perpetuo.

Simiolae enim sunt pueri, quidquid vident, sive boni sive mali, imitari gestiunt, etiam injussi: ideoque prius imitari discunt quam nosse. Intelligo autem exempla tam viva, quam ex historiis proposita: inprimis tamen viva, quia propius et validius afficiunt. Parentes itaque probos, disciplinae domesticae exactos custodes: praeceptores vero hominum selectissimos, moribus admirabiles esse, admirabile erit discipulos ad honestissimam vitam valide promovendi medium.

[note: xiv.] 16. Addenda tamen sunt exemplis praecepta, et vitae regulae.

Nempe ut emendetur, suppleatur, roboretur, imitatio. (revideatur quod dictum est cap. Xxi. Reg. Ix.) Colligentur vero ejusmodi vitae praecepta e scriptura sacra, et sapientum dictis. Puta, cur et quomodo cavenda sit invidia? Quibus armis contra dolores, et quosuis humanos casus praemunienda pectora? Quomodo moderanda gaudia?

Page 137/138, image: s094

Qua ratione coercenda ira? Expellendus illicitus amur? Et similia: juxta tamen aetatis, et profectuum gradus.

[note: xv.] 17. Et custodiendi sunt diligentissime liberi a pravorum consortio, ne inficiantur.

Mala enim propter naturae corruptionem et facilius et tenacius haerent. Arcendae proinde sunt a juventute omni studio omnes corruptelarum occasiones: uti sunt, sodalitia prava, sermones putidi, libelli vani et futiles: (nam vitiorum exempla, sive oculis sive auribus illapsa, venena sunt animis): tandemque otia, ne nihil agendo male agere discant, vel animi torporem contrahant. Praestabit igitur semper occupari, sive seriis sive ludicris, modo ne otiari permittantur.

[note: xvi.] 18. Et quia vix nobis ullo modo tam oculatis esse licet, quin aliquid mali obrepat, disciplina prorsus necessaria est, ad obsistendum moribus malis.

Hostis enim satan non solum dormitantibus nobis vigilat, sed et vigilantibus, semenque bonum per ingeniorum agellos seminantibus, intermiscet se, ut zizania interspergat sua: tandemque ipsa corrupta natura hinc et hinc se prodit, ut malis vi obsisti prorsus necesse sit. Obsistitur autem disciplina, id est increpatione et castigatione, verbis et verberibus, prouti res poscit: semper in recenti facinore, ut pullulans vitium in prima statim herba suffocetur, aut potius, quantum fieri potest, evellatur stirpitus. Disciplina itaque in scholis vigere debet, non tam ob literas (quae methodo recta traditae, deliciae sunt, illecebraeque, humano ingenio) quam ob mores.

Verum de disciplina infra etiam cap. Xxxi.

Cap. Xxiv. Pietatis instillandae, methodus.

[note: pietatis studium an ad artis methodum reduci queat.] Tametsi pietas dei donum est, caelitusque datur, magistro et doctore spiritu s: quia tamen is ordinarie per ordinaria agit media, adeoque sibi administros, parentes, praeceptores, ecclesiae ministros, legit, qui paradisi surculos fideli cura plantent et rigent (1 cor. 3. 6, 8.) Hos muniorum suorum rationem intelligere aequum est.

[note: pietatis nomine quid intelligatur.] 2. Quid nobis pietatis nomine veniat, monuimus ante: nempe, ut (post imbibitum rectum de rebus fidei ac religionis sensum) cor nostrum sciat ubique deum (quem scriptura absconditum jes. 45. 15. Et regem invisibilem, heb. 11. 27. Vocat: scilicet qui se operum suorum velo obtexit, et in omnibus visibilibus [note: tria.] Invisibiliter praesens in visibiliter omnia regit) quaerere; ubique inventum, sequi; [note: 1. 2. 3.] Ubique assecuto, perfrui. Primum fit mente, secundum voluntate, tertium conscientiae voluptate.

[note: sensus horum.] 3. Quaerimus deum, divinitatis vestigia per omnia creata notando. Sequimur deum, totos nos in omnibus ejus voluntati permittendo, tam ad faciendum, quam ad patiendum quidquid beneplacitum fuerit illi. Fruimur deo, in amore et favore ejus ita acquiescendo, ut nihil nobis in coelo et terra optabilius sit deo ipso, nihil amoenius cognitatione de ipso, nihil dulcius laudibus ejus; adeo ut colliquescat amore ejus cor nostrum.

[note: triplex fons, triplexque inde hauriendi gradus. Fons, triplex dei verbum: factum, scriptum, inspiratum.] 4. Talem hunc affectum unde hauriamus, triplex nobis est fons: triplex hauriendi modus seu gradus.

5. Fontes sunt, scriptur asacra, mundus, nosmet ipsi. Dei nempe
illic verba, isthic opera, hic instinctus. E scriptura dei cognitionem et amorem hauriri, extra dubium nobis est. E mundo vero, et sapienti contemplatione mirabilium in eo dei operum, provehi nos in pietatis affectum, testes sunt ipsi gentiles: qui sola mundi contemplatione in divini numinis venerationem rapti fuêre. Ut patet exemplo socratis, platonis, epicteti, senecae, aliorum: tametsi affectus ille amoris et imperfectus, et a scopo aberrans fuerit, in hominibus a peculiari revelatione divina non adjutis. Sed qui e verbo et operibus dei junctim cognitionem ejus haurire satagunt, illos flagrantissimo amore accendi, apparet ex jobo, elihu, davide, aliis piis. Quo et particularis circa nosmetipsos providentiae (quam mirabiliter nos formarit, hactenus conservarit, et regat) observatio spectat: uti david exemplo suo (in psalmo 139. Et job capite 10.) Ostendunt.

[note: modus e trino fonte hauriendi triplex.] 6. Modus pietatem ex his fontibus hauriendi triplex est, meditatio, oratio, tentario. Quae tria theologum facere, d. Lutherus dixit: sed et christianum in genere non nisi haec tria facere possunt vere.

[note: 1. Meditatio.] 7. Meditatio, est crebra, attenta, devota, operum, verborum, beneficiorumque dei, rumnatio: quam nimirum non nisi a dei (vel operantis, vel permittentis) beneplacito veniant omnia, et quam mirabilibus

---

Page 139/140, image: s095

Viis ad suos fines pertingant omnia divinae voluntatis consilia.

[note: 2. Oratio.] 8. Oratio, est crebra et quodammodo perpetua, ad deum suspiralio, ipsiusque misericordiae ad nos sustendandum, spirituque suo regendum, imploratio.

[note: 3. Tentatio.] 9. Tentatio denique, est nostri in pietate profectus crebra exploratio, sive id per nos ipsos fiat, sive per alios: quo humanae, diabolicae, divinaeque tentationes suo modo pertinent. Nam et seipsum tentare debet subinde homo, fitne in fide (2 cor. 13. 5.) Quamque sedulo faciat voluntatem dei: et ab hominibus, amicis et inimicis, opus est nos probari. Quod fit, cum qui pie aliis praesunt, vigili attentione, scrutinissque apertis vel occultis, quantum profecerimus exploratum eunt: et cum deus adversarium sistit ad dextram nobis, qui nos ad deum confugere doceat, et quantum roboris fidei nobis insit, nobis patefaciat. Tandem, et ipsum satanam immittere solet deus, aut etiam ipse insurgere contra hominem, ut patescat quid sit in corde ejus. Haec igitur omnia instillanda erunt christianae juventuti, ut per omnia quae sunt, fiunt, et futura sunt, omnes ad illum qui primus et ultimus omnium est, animos erigere, et in illo solo animarum requiem captare, consuescant.

[note: methodus pietatis canonibus xxi inclusa.] 10. Specialis horum methodus haec erit, inclusa canonibus xxi.

[note: i.] I. Pietatis instilland cura prima in infantia incipiat.

Tum quia non differri utile, tum quia differri periculosum. Priora prius, et potiora potius, agi oportere, ipsa ratio suadet. Quid autem prius aut potius pietate? Sine qua exercitatio alia, quaecunque, ad pauca utilis est, ipsa vero praefenus et futurae vitae promissiones habet (tim. 4. 8.) Hoc illud unum necessarium est (luc. 10. 42.) Quaerere regnum dei, cujus si cui est cura, caetera illi adjiciuntur (matt. 6. 33.) Periculosum autem differri, quia nisi dei affectu tenelli imbuantur animi, facile ipso vitae, aliquandiu sine [note: n. B.] Numinis respectu actae, usu tacitus numinis contemptus, et profanitas, irrepit: ut post aegerrime, in quibusdam vero nunquam, evellatur. Hinc propheta, horrendum in populo suo impietatis diluvium questus, neminem superesse dicit quem doceat deus, praeter ablactatos, et avulsos ab uberibus, h. e. parvulos. (jes. 28. 9.) De aliis alter propheta dicit, non posse corrigi ut bene agant, quia adsueti male agere. (jerem. 13. 23.)

[note: ii.] 11. Aprimo ergo statim oculorum, linguae, manuum, pedum usu, discant coelos respectare, palmas sursum tendere, deum et christum sonare, coram invisibili majestate genua flectere, eamque revereri.

Non tam indociles ad haec sunt infantes, ut sibi imaginantur, qui quantae sit necessitatis satanae, mundo, nobismetipsis, nos eripere, non attendentes, rem tantam negligentius agunt. Non intelligant sane primo, quid fiat, quibus rationis usus debilis adhuc est: ut tamen faciendum esse sciant, quod faciendum esse ipso usu discent, apprime interest. Postquam enim facienda faciendo didicerint, facilius instillari poterit, quod proxime sequitur, ut quid fiat, et cur fiat, et quomodo recte fiat, [note: n. B.] Intelligere incipiant. Primitias omnes deus sibi conscerari lege mandavit: quidni ergo primitias cogitationum, balbutiei, motuum et actionum nostrarum?

[note: iii.] 12. Dum autem per aetatem informari jam possunt pueri, ante omnia instillandum illis est, non hujus vitae causa nos hic esse, sed ad aeternitatem tendere: hac solum transitum esse, ut rite praeparati digne intremus aeternas sedes.

Quod doceri facile potest, exemplis quotidianis eorum qui morte abripiuntur, et in aliam transferuntur vitam, infantes, pueri, juvenes, senesque. Crebro illis haec refricentur, ut quam nemo hic mansionem figere queat, considerent.

[note: iv.] 13. Moneantur ergo subinde, nihil hic agendum esse magis quam ut recte praeparemur vitae sequenti.

Alias stultum fore, occupari illis quae mox deserenda erunt, et negligere ea, quae nos in aeternitatem ipsam comitabuntur.

[note: v.] 14. Tum doceantur, duplicem esse vitam, ad quam hinc migrant homines; beatam, cum deo; et miseram, in inferno; utramque aeternam.

Exemplo lazari et epulonis: quorum animae delatae sunt, illius ab angelis in coelos, hujus a diabolis in gehennam.

[note: vi.] 15. Felices autem, et terque quaterque felices esse illos, qui ita instituunt rationes suas, ut ad deum transferri reperiantur digni.

Nam extra deum, lucis et vitae fontem, nihil esse nisi tenebras, horrores,

---

Page 141/142, image: s096

Cruciatus, mortem sine morte perpetuam: ut non nasci praestitisset eos, qui aberrabunt a deo, et in exitii aeterni barathrum se praecipitabunt.

[note: vii.] 16. Translatum vero iri ad deum, quicunque hic ambulant cum deo.

[ut enoch et elias, vivus uterque: alii post mortem, gen. 5. 24. Etc.]

[note: viii.] 17. Ambulare autem cum deo illos, qui eum ob oculos habent, timent, mandata ejus servant.

Atque hoc esse totum hominis: ecclesiastis 12. 15. Illud totum de quo christus dixit una re opus est, luc. 10. 42. Quod omnes christiani semper in ore et corde habere doceantur: ut ne unquam cum martha solicitudinibus hujus vitae nimium se implicent.

[note: ix.] 18. Ergo quicquid rerum hic vident, audiunt, tangunt, agunt et patiuntur, ad deum omnia referre consuescant, immediate vel mediate.

Quod exemplis illustretur. Nempe, qui se studiis literarum, et vitae contemplativae, dedunt, ideo dedere debere, ut contemplentur diffusam ubique dei potentiam, sapientiam, bonitatem; et per id accendantur in ejus amorem: et amore se illi arctius arctiusque agglutinent: ut divelli nequeant inaeternum. Qui autem externos labores, agriculturam, opificia etc. Obeunt, eos quaerere panem, et caetera vitae necessaria: haec autem ideo, ut vivant commode, vivere autem commode debere, ut mente quieta et hilari serviant deo: et serviendo ei placeant; et placendo, illi aeterne cohaereant. Qui alio fine res tractant, eos aberrare ab intentione dei, et a deo ipso.

[note: x.] 19. Discant autem ab ineunte aetate quam maxime illis occupari, quae immediate ad deum ducunt; scripturarum s. Lectione, cultus divini exercitiis, et externis bonis operibus.

Scripturarum enim sacrarum lectio recordationem dei excitat et fovet: cultus divini exercitium homini deum praesentem sistit et copulat: opera bona copulam illam firmant quia nos vere ambulare in praecoptis dei ostendunt. Haec tria omnibus pietatis candidatis (quales sunt omnis christiana, per baptismum deo sacrata, juventus) serio commendanda sunt.

[note: xi.] 20. Proinde, scriptura sacra christianis scholis alpha et omega esto.

Quod hyperius theologum in scriptura nasci dixit, id petrum apostolum latius extendisse videmus: silios dei dictitantem ex incorruptibili semine nasci, per sermonem dei vivi manentis in aeternum (i pet. 1. 23.) Ergo in scholis christianis ante omnes libros hic dei liber obtineat: ut timothei exemplo omnes, omnes, omnes christiani adolescentes a puero sacras literas edocti, sapientes reddantur ad salutem (2 tim. 3. 15.) Enutriti verbis fidei (1 tim. 4. 6.) Pulchre jam suo tempore hac de re disseruit erasmus, in sua paraclesi, id est ad christianae philosophiae studium adhortatione. Scriptura sacra (inquit) omnibus ex aequo se accommodat,

submittit se parvulis, ad illorum modulum se attemperat, lacte illos alens, fovens, sustentans, omnia faciens donec grandescamus in christo. At rursum, ita non deest infimis, ut summis etiam sit admir abilis: parvis pusilla est, magnis plusquam maxima. Nullam haec aetatem, nullum sexum, nullam fortunam, nullam rejicit conditionem. Sol hic non perinde communis et expositus est omnibus, atque christi doctrina. Non arcet omnino quenquam, nisi quis semet arceat, ipse sibi invidens etc. Addit: utinam haec in omnes omnium gentium linguas essent transfusa, ut non solum a scotis et hibernis, sed a turcis quoque et sarracenis legi, cognoscique possint. Esto; riderent multi, at caperentur aliquot. Utinam hinc ad stivam aliquid decantet agricola! Hinc non nihil ad radios suos moduletur textor! Hujusmodi fabulis itineris taedium levet viator! [note: n. B.] Ex his sint omnia christianorum colloquia! Tales enim ferme sumus, quales sunt quotidianae nostrae confabulationes. Assequatur quisque quod potest, exprimat quisque quod potest. Qui posterior est, non invideat praecedenti: qui prior est, invitet sequentem, non despiciat. Cur professionem omnium communem ad paucos contrahimus? Et prope finem: quotquot igitur in baptismo juravimus in verba christi, (si tamen ex animo juravimus) mox inter ipsos parentum complexus, et nutricum blanditias, christi dogmatis imbuamur. Nam et altissime insidet, et tenacissime haeret, quod primum rudis illa animi testula imbiberit. Christum prima sonet balbuties: ex hujus evangeliis prima formetur infantia: quem ita cumprimis tradi cupiam, ut et a pueris ametur. In his deinde versentur studiis, donec tacitis auctibus adolescant in virum robustum in christo. Felix quem in hisce literis mors occupat. Has igitur toto pectore sitiamus omnes, has complectamur, in his jugiter versemur, has exosculemur, his demum immoriamur, in has transformemur: quandoquidem abeunt in studia mores etc. Idem erasmus in theologiae

---

Page 143/144, image: s097

Compendio dicit: nec inconsultum fuerit mea scientia, divinos libros ad verbum ediscere, vel non intellectos, auctore augustino etc. [note: n. B.] Omnino igitur non plautus, non terentius, [note:n. B.] Non ovidius, non aristoteles, personent scholas christianas, sed moses, david, christus: excogitenturque modi, quibus biblia plane ut alphabeta juventuti deo sacratae (omnes autem christianorum liberi sancti sunt 1. Cor. 7. 14.) Familiaria [note: n. B.] Reddantur. Ut enim ex literarum sonis et characteribus omnis sermo contexitur, ita e divinarum literarum elementis tota religionis et pietatis structura exsurgit.

[note: xii.] 21 quidquid e scriptura discitur, ad fidem, caritatem, spem, refertor.

Haec enim tria sunt summae illae classes, ad quas omnia referuntur, quae deo verbis suis patefacere nobis visum est. Quaedam nempe revelat, ut sciamus: quaedam mandat, ut faciamus: quaedam etiam promittit, ut a benignitate ipsius expectemus, in hac et futura vita. Nec in tota scriptura quidquam occurrit, quod non ad aliquod horum capitum referatur. Id ergo intelligere doceantur omnes, ut cum ratione versari sciant in oraculis divinis.

[note: xiii.] 22 fides, caritas, spes, ad praxin doceantur.

Practicos enim formare christianos, non theoreticos, jam inde a prima formatione opus est, si vere christianos habere volumus. Religio viva res est, non picta: vitalitatem ergo suam effectu prodat, quemadmodum semen vivum terrae bonae mandatum mox germinat. Hinc scriptura fidem efficaceni requirit (gal. 5. 6.) Absque hoc mortuam vocat (jac. 2. 20.) Spem etiam vivam reposcens (i. Pet. 1. 3.) Hinc creberrima in lege vox, revelari divinitus quae revelantur, ut faciamus ea. Et christus: sihaec scitis, beati eritis si feceritis. Joh. 13. 17.

[note: xiv.] 23 fides, caritas, spes, ad praxin accommodate docebuntur, si doceantur pueri (artque omnes) fortiter omnia, quae deus revelat, creaere; quae mandat, exsequi; quae promittit, sperare.

Notandum hoc, et diligenter juventuti inculcandum, ut si velint verbum dei sibi virtutem dei esse ad salutem, afferant cor humile et devotum, paratum semper et ubique in omnibus submittere se deo: imo jam se actu submittens. Ut enim sol nihil suo lumine revelat ei, qui oculos aperiri nolit; et dapes appositae neminem exsaturant, vesci recusantem; ita divinum mentibus subministratumlumen, actioni busque nostris datae normae, et promissa timentibus deum beatitudo, frustra fuerint, nisi haec prompta fide, flagranti caritate, firmaque spe, amplectamur. Quemadmodum abraham, pater credentium, incredibilia etiam rationi, credebat, verbis dei fidem habens: durissima carni faciebat (ut fuit derelinquere patriam, mactare filium etc) jussa dei sequutus: et sperabat ubi quod speraret non fuit, promissionibus dei fretus. Atque talis haec fides, viva et efficax, reputata illi fuit in justitiam. Quod ut in semet ipsis experiantur, et constanter observent, quicunque se tradunt deo, docendi sunt.

[note: xv.] 24 quicquid etiam post s. Scripturam docetur christiana juventus (scientias, artes, linguas etc) scripturis subordinate doceatur: nempe ut ubique notare, planeque pervidere queant, omnia esse, nisi ad deum et vitam futuram referantur, vanitatem meram.

[note: n. B. 1.] Laudatur ab antiquis socrates, quod philosophiam a nudis et spinosis speculationibus [note: 2.] Traduxerit ad mores: et apostoli a spinosis legis quaestiunculis ad dulcem christi caritatem revocare christianos professi sunt, (1. Tim. 1. 5, 6, 7. Etc.) [note: 3.] Quemadmodum et moderm nonnulli pii theologi a perplexis, magis ecclesiam destruentibus quam aedificantibus controversiis, ad conscientiae curam et praxin. O misereatur nostri deus, ut generalem modum rationemque inveniamus, qua omnia quibus occupatur intellectus humanus extra deum, ad deum; ommaque vitae hujus negotia, quibus se implicat et immergit mundus, ad studia vitae coelestis, transferre, efficaciter doceamur! Id vero esset sacra quaedam scala, quae per omnia quae sunt et fiunt mentes nostrae ad supremum illum aeteruumque omnium praesidem, beatitudinis verae fontem, inoffense ascendant!

[note: xvi.] 25 cultui divino religiosissime vacare, interno et externo, doceantur omnes: ne internus sine externo frigescat, externus sine interno in hypocrisin degeneret.

Externus dei cultus est sermo de deo, praedicatio et auscultatio verbi ejus, adoratio genubus flexis, laudes hymnis decantatae, sacramentorum usus, altjque sacri ritus, publici et privati.internus autem cultus dei est, perpetua praesentia divinae cogitatio, timor et amor dei, sui abnegatio, et in manus dei resignatio; nempe ad omnia quae deo placeant faciendum et patiendum prompta voluntas. Conjungenda haec sunt, non divellenda; non solum quia justum est, ut glorificetur deus corpore et spiritu nonstro,

---

Page 145/146, image: s098

Quae ejus sunt (1. Cor. 6. 20.) Sed etiam quia divelli sine periculo non possuut. Externos siquidem ritus, sine veritate interna, deus abominatur: quis poscit ista de manibus vestris? Etc. (ies. 1. Et alibi) [note: n. B.] Quia nempe deus spiritus est, in spiritu et veritate adorari vult (joh. 4.) At rursum quia nos non mere spirituales sumus, sed corporales et sensuales: opus est subinde excitari sensus nostros externe, ad faciendum quae interne fieri debent in spiritu et veritate. Ideoque deus, tametsi interna potissimum requirat, externa tamen simul

ordinavit, [note: n. B.] Et observari vult. Christus ipse quanquam novi testamenti cultum a ceremoniis liberavit, et in spiritu ac veritate deo serviendum esse docuit: patrem tamen prona facie adorabat, et adorationem illam vel totas noctes continuabat, caetus sacros frequentabat, doctores legis audiebat et interrogabat, verbum praedicabat, hymnos decantabat etc. Ad religionem ergo dum formamus juventutem, integre formemus, externe et interne: ne efformemus vel hypocritas, superficiales scilicet, fictos, pictos, simulatos cultores dei; vel fanaticos, somniis suis se oblectantes, et contemptu ministerii externi ecclesiae ordinem et decus dissoluentes; vel denique frigidos, si externa internis non addant stimulos, interna externis vitam.

[note: xvii.] 26. Ad opera externa, divinitus mandata, diligenter adsuefaciendi pueri: ut fidem suam operibus demonstrare, verum christianismum esse sciant.

Ejusmodi opera sunt, temperantiae, justitiae, misericordiae, patientiae exercitia, nunquam intermittenda. Nisi enim fides nostra tales profert fructus, mortua esse demonstratur (jac. 2.) At vivam esse oportet, si saluifica est.

[note: xviii.] 27 doceantur etiam beneficiorum et judiciorum dei sines distinguere accurate; ut omnibus legitime uti, nullo abuti, sciant.

[note: n. B.] Fulgentius (epist. 2. Ad gallam) beneficia dei trifariam dividit. Quaedam dicit esse aeternum duratura; alia ad aeternitatem adipiscendam servientia: alia denique ad usum solummodo praesentis vitae. Primi generis illi sunt: agnitio dei, gaudium in spiritu s. Et caritas dei diffundens se in cordibus nostris. Secundi generis dicit esse; fidem, spem, et misericordiam in proximos. Tertii, valetudinem, divitias, amicos, et caetera externa, quae per se nec beatum, nec miserum reddunt.

Eodem modo judicia dei, seu castigationes, doceantur trium esse generum. Quosdam (quibus aeternum parcere constituit deus) corripi hic, et sub cruce exerceri, ut purificentur et dealbentur (dan. 11. 35. Apoc. 7. 14.) Ut lazarus. Aliis hic parci, ut puniantur in aeternum: ut dives epulo. Aliorum poenas inchoari hic, ut proferantur in aeternitatem: ut saulis, antiochi, herodis, judae etc. Doceantur igitur; homines omnia distinguere, ne bonis sensualibus, decepti, anteferant ea quae hujus solum temporis sunt: et formidare sciant non tam praesentia mala, quam gehennam; timereque non eos maxime, qui corpus solum occidere possunt, et nihil habent amplius quod faciant, sed illum qui et corpus potest perdere, et animam detrudere ad gehennam. (luc. 12.)

[note: xix.] 28. Et moneantur, securissimam vitae viam, esse viam crucis: ideoque hac praevisse ducem vitae, christum, ad hanc invitasse alios, hac ducere illos, quibus optime vult.

[note: n. B] mysterium salutis nostrae cruce peractum est, cruce constat: nempe qua mortificatur vetus adam, ut vivat novus, secundum deum creatus. Ideo deus quos diligit castigat, et quasi cum christo crucifigit, ut cum christo resuscitatos collocet ad dextram suam in excelsis. Hoc verbum crucis licet sit potentia dei ad saluandum eos qui credunt, stultitia tamen est et offendiculum carni (1 cor. 1. 18.) Ut plane sit necesse probe probeque haec christianis inculcari: quo intelligant discipulos christi se esse non posse, nisi abnegaverint seipsos, et bajulandae cruci christi submiserint humeros (videatur luc. 14. Vers. 26. Ad finem) paratique sint per totam vitam suam, quocunque ducet deus, sequi.

[note: xx.] 29. Providendum autem, ut dum haec omnia docebuntur, nihil contrariorum exemplorum illis obveniat.

Id est, cavendum ne pueri blasphemias, perjuria, nominis divini profanationes varias, caeterasque impietates, audiant et videant: sed numinis reverentiam, religionis observantiam, conscientiae curam, quoquo se vertunt, animadvertant. Et si quid secus accidit, domi aut in schola, sentiant impune non ferri, sed corripi severe; ut laesi numinis poena semper atrocior quam offensi prisciani, aut alius externi delicti, quid inprimis et maxime cavendum sit, ostendat.

[note: xxi.] 30. Tandem, quia in hac mundi et naturae corruptione, nunquam tantum proficimus, quantum debemus: et, si proficimus aliquantulum, eadem depravata caro facile in complacentiam sui et spiritualem superbiam prolabitur. Unde (quia deus superbis resistit) saluti periculum est summum: docendi sunt

---

Page 147/148, image: s099

Tempestive christiani omnes, nostra bona studia et opera propter imperfectionem suam nihil esse, nisi nobis perfectione sua subveniat christus, agnus ille dei tollens mundi peccata, in quo solo patri complacuit etc. Hunc ergo invocandum, in hoc uno fidendum.

Ita demum in tuto collocaverimus spem salutis nostrae, et nostrorum, cum eam super christum, angularem illum lapidem, locaverimus: qui ut omnis perfectionis in coelo et in terra apex est, ita fidei, caritatis, spei, salutisque nostrae, et inchoator et perfector, solus et unus. Quippe quem pater ideo coelo misit, ut immanuel (deushomo) factus, deo reuniret homines; et in assumpta humanitate sanctissime vivens, exhiberet hominibus divinae vitae exemplar; et innocenter moriens, expiaret noxas mundi per semetipsum, ablueretque nos a peccatis nostris sanguine suo; tandemque resurgens victam morte mortem ostenderet, et in coelum ascendens, indeque spiritum sanctum, arrhabonem salutis nostrae, mittens, per hunc nos et inhabitaret ut templa sua, et regeret atque ad salutem custodiret, dum hic in lucta sumus, et resuscitaret post atque assumeret ad se, ut ubi est ipse, simus et nos, et spectemus gloriam ejus etc.

31. Huic uni omnium servatori aeterno cum patre et spiritu s. Laus sit et honor, et benedictio, et gloria, in secula seculorum, amen.

32. Verumenimvero haec omnia dextre peragendi modus particularis per omnes scholarum classes praescribendus erit.

Cap. Xxv. Si scholas ad veras veri christianismi normas plane reformatas volumus, gentilium libros aut esse amovendos; aut certe cautius, quam hactenus, tractandos.

[note: quid hic suaderi incipiat:] inevitabilis nos cogit necessitas, rem cujus capite praecedenti obiter facta est mentio, pluribus persequi. Nempe si vere christianas nobis esse scholas volumus, gentilium doctorum turbam amovendam esse. Cujus rei primum proponemus urgentes causas: deinde, quae cautio circa illos mundi sapientes adhibenda sit, ut nihilominus omnia illorum pulchre cogitata, dicta, facta, nostra fiant, docebimus.

[note: et quo dei zelo] 2. Zelare hanc rem adigit nos gloriae dei, salutisque humanae amor: quum videamus praecipuas christianorum scholas nomine tenus christum profiteri, caeterum meros terentios, plautos, cicerones, ovidios, catulos et tibullos, musas et veneres, in deliciis habere. Unde fit, ut mundum potius quam [note: (eheu!)] Christum sapiamus, christianosque in media christianitat quaeri necesse sit. Nempe quia eruditissimis quibusque, etiam divinae

sapientiae antistitibus, theologis, christus tantum larvam, aristoteles cum caetera gentilium turba sanguinem et spiritum, suppeditant. Quod libertatis christiane horrendus abusus turpissimaque profanatio est, et res plena periculi. Nam

[note: causae, cur gentiles libri scholis christianis excludi, libri a. Dei introduci debeant.] 3. Primum, coelo nati sunt renati per spiritum dei liberi nostri: coelo proinde formandi cives, ineundaque illis notitia primario cum coelestibus, deo, christo, angelis, abrahamo, isaco, jacobo etc. Atque id ut ante omnia fiat, caeteris omnibus interim sepositis, consultum est, tum ob vitae hujus incertitudinem, [note: prima] ne quis forsan imparatus abripiatur; tum quia primae impressiones optime haerent, faciuntque (si sanctae sunt) reliqua omnia, post in vita tractanda, securiora.

[note: secunda.] 4. Deinde deus, cum abunde prospiceret populo suo electo, non tamen et commonstravit scholam praeterin atriis suis: ubi seipsum nobis constituit doctorem, nos discipulos, doctrinam vero oraculorum suorum vocem. Sic enim per mosen loquitur: audi israel, dominus deus tuus unus est. Itaque diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex totis viribus tuis. Et erunt verba ista quae ego praecipio tibi hodie, in corde tuo: eaque narrabis siliis tuis, et meditaberis sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens atque exsurgens etc. Deut. 6. 4. Etc. Et per jesaiam: ego dominus deus tuus, docens te utilia, gubernans te in via, qua ambules. (48. 12.) Item: nonne populus deum suum consulet? (8. 19.) Et christus, scrutamini scripturas. (ioh. 5. V. 39.)

[note: tertia.] 5. Eandem hanc vocem suam fulgentissimum esse intellectus nostri lumen, perfectissimamque actionum regulam, et in utroque sufficientissimum imbecillitatis nostrae subsidium, satis protestatus est his verbis: ecce docui vos statuta et judicia! Observabitis igitur ea et facietis. Nam haec est sapientia vestra, et prudentia ante oculos populorum: qui auditis illis dicent, tantum gens ista populus sapiens est, et prudens (deut. 4. 5, 6.) Et ad iosuam sic edicit: non recedet volumen legis hujus ab ore tuo, sed meditaberis in eo dies ac noctes. Et tunc prosperaberis in viis tuis, atque tum secundaberis. (ios. 1. 8.) Per davidem vero: doctrina jehovae integra est, restituens animam: testimonium jehovae verax, sapientiam afferens imperitis etc. (psal. 19. 8) apostolus denique scripturam divinitus inspiratam utilem esse ad doctrinam etc. Ut perfectus fiat homo dei, testatur (2 tim. 3. 16, 17.) Quod pariter sapientissimi hominum (intellige christianos vere illuminatos) et agnoverunt

---

Page 149/150, image: s100

Et professi sunt. Chrysostomus dixit: quidquid vel discere vel ignorare opus est, in scripturis discinus. Cassiodorus: schola coelestis, eruditio vitalis, auditorium veritatis; disciplina ceriissime singularis, scriptura est: quae discipulos occupat sensibus fructuosis, non inani lenocinatione verborum etc.

[note: quarta.] 6. Expresse autem deus populo suo gentilium doctrina et consuetudinibus interdixit. Vias gentium nolite discere (inquit jer. 10. 2.) Item: nunquid non est deus in israel, ut eatis ad consulendum belzebub, deum akaron? (4 reg. 1. 3.) Nonne populus a deo suo requiret visionem? Mortuosne pro vivis consulat? Ad legem potius et ad testimonium: quod si non dixerint juxia verbum hoc, non erit eis matutina lux. (jes. 8. 19, 20.) Quid ita? Nempe quia omnis sapientia a domino est, et cum ipso manet in seculum. Alias, radix sapientiae cui retecta est? (ecclus. 1. 1, 6.) Quanquam viderunt lumen, et habitarunt super terram, viam tamen scientiae non agnoverunt: neque intellexerunt semitas ejus etc. Non est audita in terra chanaan, neque visa est in theman: filii quoque agar, qui exquirunt prudentiam quae de terra

est, fabulatores et exquisitores intelligentiae, viam sapientiae nescierunt. Sed qui scit universa novit eam, et adinvenit omnem viam disciplenae, et tradidit illam jacob puero suo, et israel dilecto suo (bar. 3. V. 20, 21, 22, 23, 32, 36, 37.) Non facit ita ulli genti: ideo judicia ejus non cognoverunt (psal. 147. 9.)

[note: quinta.] 7. Quod si quando a lege sua ad humanae phantasiae illecebras deflecteret populus suus, exprobrare consuevit deus, non solum vecordiam, quod sapientiae fontem derelinquerent (bar. 3. Vers. 12.) Sed duplicatam malitiam, quod scaturiginem aquarum vivarum relinquentes, cisternas sibi fodicarent dissipatas, non continentes aquam. (jer. 2. 13.) Et per oseam questus, quod populus suus nimium colludat cum gentibus, subdit: quae praescripsi documen a multiplicia legis meae, velut res aliena computata sunt. (os. 8. 12.) Et quid obsecro aliud faciunt illi christiani, quibus gentilium libri nocturna diurna versantur manu; sacer dei codex velut res aliena, ad ipsos impertinens, nulli curae est? Cum tamen non sit res inanis, quae impune bossit negligi, sed ipsa vita nostra, deo teste. (deut. 37. 47.)

[note: sexta.] 8. Ideo ecclesia vera, verique cultores dei, nullam praeter in verbo dei quaesiêre scholam, sapientiam inde veram et coelestem, quae supra omnem mundanam est, abunde haurientes. Ita enim david de se: super inimicos sapientiorem me fecisti mandatis tuis; et omnibus doctoribus meis intelligentior sio, quia testimonia tua sunt meduatio mea etc. (psal. 119. 98. Etc.) Similiter salomon, mortalium sapientissimus fateuit; dominus dat sapientiam, exoreeius est prudentia et scientia (prov. 2. 6.) Testatur et syracides (in praefatione libri sui) sapientiam suam, praeclaram sane illam, e lectione legis et prophetarum fuisse haustam. Hinc illae sanctorum exultationes, cum in lumine dei sumen viderent (psal. 3. 10.) Beati sumus o israel, quod ea quae placent deo cognita sunt nobis! (bar. 4. 4.) Domine, ad quem ibimus? Verba vitae aeterna tu habes (iob. 6. 68.)

[note: septima.] 9. Omnium seculorum exempla ostendunt, quoties ecclesia ab his fontibus israelis deflecteret, toties id seductionis et errorum occasionem fuisse. De israelitica ecclesia e propheticis querelis satis notum est: de christiana ex historiis colligitur, quamdiu ab apostolis et ab apostolicis viris sola evangelii doctrina urgebatur, tamdiu fidei sinceritatem viguisse. Simul vero ac gentes catervatim in ecclesiam se infunderent, et refrigesceret primus ardor; et secernendi pura ab impuris attentio, per idque gentilium libri primum quidem privatim, mox publice, lectitari coeperunt, quae doctrinarum mixtura et confusio insequuta sit, videmus. Amissa fuit scientiae clavis, illis ipsis qui eam penes se solos esse jactabant: inde pro fidei articulis opinionum sigmenta infinita enata: hinc dissidia et lites, quarum necdum finis apparet; inde refriguit caritas, et extincta est pietas: atque ita sub christianismi nomine gentilismus revixit, regnatque. Comminationem enim domini jehovae impleri oportuit, ut qui non loqui curarent juxta verbum dei, non esset eis matutina lux (ies. 8. 20.) Ideo miscuit eis dominus spiritum soporis, et clausit oculos eorum, ut illis esset omnis visio sicut verba libri signati etc. Quia timuerunt deum mandatis et doctrinis hominum etc. (ies. 29. V. 10, 11, 13, 14.) Oquam vere in istis etiam impletur, quod de gentilibus philosophis contestatus est spiritus sanctus, evanuisse in cogitationibus suis, et obscuratum esse insipiens cor eorum (rom. 1. 21.) Proinde si feliciter ab inquinamentis repurgari debet ecclesia, nulla superest certior via, quam ut seductoriis hominum commentationibus relictis, ad solos puros israelis fontes redeamus, deoque et ejus verbo nos et liberos nostros docendos et ducendos tradamus. Ita demum fiet, quod praedictum est, fore ut omnes filii ecclesiae docti sint a domino. (ies. 54. 13.)

[note: octava.] 10. Nec certe majestas nostra, christianorum (qui per christum filii dei facti sumus, regaleque sacerdotium et haeredes futuri seculi) ita nos, et liberos nostros abjici atque prostitui

Page 151/152, image: s101

Permittit, ut cum profanis ethnicis tam areto utamur consortio, eosque in deliciis habeamus. Certe enim reguni et principum filiis in paedagogos dari non solent parasiti, scurrae, sanniones: sed viri graves, sapientes, pii. Et nos filiolis regis regum, fraterculis christi, haeredibus aeternitatis, paedagogos dare non erubescimus jocularem plautum, lascivum catullum, impurum ovidium, impium dei irrisorem lucianum, obscaenum martialem, aliosque de illa veri dei cognitionis et timoris experte turba? Quae cum ipsa extra spem vitae melioris vixisset, inque praesentis vitae luto solummodo sese volutasset, non potest non iisdem secum sordibus in voluere eos, qui consortio suo utuntur. Satis jam, ah saus, insanitum est, o christiani! Hic jam terminus esto. Deus enim ad meliora nos vocat; vocantem sequi [note: schola dei. N. B.] Par est. Christus, aeterna dei sapientia, filiis dei domi suae aperuit scholam: ubi rectorem et supremum dictatorem agit ipse spiritus sanctus: professores et magistros, prophetae et apostoli, omnes vera sapientia praediti, omnes verbo et exemplo veritatis et salutis viam luculenter praemonstrantes, viri sancti; ubi discipuli sunt soli electi dei, primitiae ex hominibus emptae deo, et agno; inspectores vero et custodes angeli et archangeli, principatus et potestates, in excelsis (eph. 3. 10.) Vbi quidquid affertur, confert scientiam super omnes humani cerebri ratiocinationes veram, certam, perfectam, et se in omnes hujus et futuraevitae usus extendentem. Solum enim os dei est fons ille, unde omnes sapientiae verae rivuli promanant: sola facies dei fax illa, unde veri luminis radii sese spargunt: solum dei verbum radix illa, unde intelligentiae verae, germina se protrudunt. Beati igitur, qui faciem dei intuentur, ori ejus attendunt, verba ejus pectore excipiunt! Quia haec una, sola, vera, infallibilis verae et aeternae sapientiae via est, extra quam alia non est.

[note: nona.] 11. Nec silentio praetereundum, quam serio deus populo suo gentilium reliquii interdixerit, quidque sit insequutum interminationem hanc non attendentibus. Consumet dominus nationes illas a conspectu tuo etc. Tu vero sculptilia eorum igne combures. Non concupisces argentum et aurum de quibus facta sunt, neque assumes ex eis tibi quidquam, ne offendas: quia abominatio est domino deo tuo. Nec inferes quidquam ex idolo in domum tuam, ne sias anathema, sicut illud ipsum est (deut. 7. 22, 25, 26.) Et capite 12. Quando disperdiderit dominus ante faciem tuam gentes, cave tibi, ne sequendo eas illaqueeris! Postquam fuerint subversae, ne requiras ceremonias earum, dicens: sicut fecerunt illae, faciam, sed quod ego tibi praecipio, hoc tantum facito, nec addas, nec minuas. (deut. 12. 29. Etc.) Quod licer eis post victoriam revocaret in memoriam josua, suaderetque idola removeri (jos. 24. 23.) Quia tamen non obsecundarunt, factae sunt istae gentiles reliquiae in laqueum illis, ut perpetuo reciderent in idolomaniam, usque ad utriusque regni eversionem. Et non resipiscamus nos, alieno exemplo facti cautiores?

[note: libri gentilium idola.] 12. At libri non sunt idola: dixerit quispiam. Resp. Sed sunt reliquiae gentium illarum, quas disperdidit dominus deus noster a facie christiani sui populi, quemadmodum ibi: sed periculosiores quam ibi. Ibi enim illaqueabantur illi solum, quorum cor obbrutescebat (jer. 10. 14.) Hic sapientissimi quique decipi possunt (col. 2. 8.). Ibi erant opera manuum humanarum (quemadmodum deus loqui solet, stultitiam idololatris exprobrans) hic opera ingenii humani. Ibi auri et argenti splendor perstringebat oculos: hic sapientiae carnalis plausibilitas excaecat mentem. Et quid? Negas libros gentilitios idola esse? Quis ergo julianum imper. A christo seduxit? Quis leonem x. Papam, ut historiam de christo haberet pro fabula, dementavit? Quo ergo spiritu afflatus sadoletum card. Bembus a bibliorum s. Lectione (quod tantum virum ineptiae istae non decerent) dehortatus est? Quid hodieque tot sapientes italos, et alios, in atheismum praecipitat? Utinam vero in reformata etiam christi ecclesia non sint, quos cicero, plautus, ovidius etc. Odore quodam lethali a scripturis post se trahant!

[note: effugium.] 13. Si quis dixerit: abusum non esse imputandum rebus, sed personis: esse etiam pios christranos quibus e. Hnicorum lectio nihil incommodet. Resp. Apostolus: scimus idolum nihil esse: sed non in omnibus est scientia (nempe discernendi). Videte igitur, ne licentia vestra offendiculum sit infirmis (1 cor. 8. 4, 7, 9.) Quanquam igitur deus misericors a ruina multos praeservat, nos tamen non excusamur, si illecebras ejusmodi (varias inquam humani cerebri, aut etiam satanicae fraudis inventiones) subtilitatis et elegantiae fuco illitas, scientes volentes toleramus: cum ab illis quosdam, imo plerosque dementari, et in satanae laqueos induci, certum sit. Obsequamur potius deo, idola in domos nostros ne inferamus, dagonem juxta foederis arcam ne collocemus, sapientiam illam quae desuper est, terrenae illi, animali et diabolicae, ne commisceamus, et adversus filios nostros concitandae irae dei occasiones ne praebeamus.

[note: allegoria.] 14. Nam et illud forsan, quod in figura accidisse moses memorat, huc pertinet. Nadab et abiu, filii aron, novelli sacerdotes, cum (muneris sui nondum satis gnari) pro igne sacro thuribulis suis imposuissent ignem alienum,

---

Page 153/154, image: s102

(hoc est communem) ad suffiendum coram domino, percussi sunt igne dei, et mortui coram domino (levit. 10. 1. Etc.) Quid autem sunt christianorum liberi nisi novellum illud sanctum sacerdotium, ad offerendum spirituales hostias deo (1 pet. 2. 5.) Jam consecratum? Quorum thuribula, mentes, si alieno igne implemus, quid nisi eos furori irae dei objicimus? Annon enim alienum est, et esse debet, christiano pectori, quidquid aliunde quam a spiritu dei venit? Talia vero sunt pleraque gentilium philosophorum et poëtarum deliramenta, apostolo teste (rom. 1. 21. 22. Coloss. 2. 8. 9.) Et poësin hieronymus non abs re vinum daemonum appelluit, quo inebriat et in soporem collocat incautas mentes, illisque monstrosarum opinionum, periculosarum tentationum, teterrimarumque cupiditatum, somnia inducit, cavere itaque satanae: ejusmodi philtra convenit.

[note: ephesii imitandi.] 15. Nisi paremus tutiora haec fvadenti deo, contra nos in judicio stabunt ephesii illi, qui simul ac divinae sapientiae illis lux affulsit, combusserunt omnes curiosos libros, sibi, ut christianis, post hac inutiles. (act. 19. 19.) Et moderna graecorum ecclesia: quae etsi majorum suorum, pro sapientissima mundi gente habitorum, philosophicos et poëticos libros elegante illa sua dialecto conscriptos habent, eorum tamen lectione sibi et suis sub anathematis paena interdixerunt. Unde factum, ut quanquam barbarie inundante in multam ignorantiam et superstitionem prolapsi sint, praeservaverit tamen eos deus ab antichristiana errorum colluvie hactenus. Ea igitur in replane imitandi sunt, ut (majori tamen superinducto s. Literarum studio) facilius amoveantur e gentilismo relictae consusionum tenebrae: in solo quippe lumine dei videtur lumen (psal. 36. 10.) Vos igitur domus jacob, venite, et ambulemus in lumine dei nostri (jes 2. 5.)

[note: objectiones hic soluentur.] 16. Videamus autem, quibus rationibus adversus haec insurgat humana ratio, anguium se in modum torquens, ne sud fidei obsequium captivari necesse habeat, et se dedere deo. Sic instant.

[note: 1. De magna in libris gentilium sapientia] 17. Magna est in libris philosophorum, oratorum, poëtarum reposita sapientia. Respond. Digni sunt tenebris, qui a lumine avertunt oculos. Sane, et noctuae crepusculum meridies videtur, sed luci nata animalia aliter norunt. O homo vane, quisquis in humanae ratiocinationis tenebris lucem claram quaeris, attolle sursum oculos! Coelitus labitur lux vera, a patre lumitum! In humanis si quid emicat, aut fulget,

scintillulae sunt, quae ut constitutis in tenebris coruscare, et aliquid esse, visae sint, nobis, quibus faces ardentes in manum datae (ful gentissimum dei verbum) cui usui scintillae? Nam sive de natura disputant quid nisi vitrum lambunt, pultes non attingunt? At in scripturis sacris ipse naturae dominator de operibus suis grandia enarrat mysteria, omnium creaturarum, visibilium et invisibilium, primas et ultimas rationes explicans. Si de moribus loquuntur philosophi, faciunt quod viscatis alis aviculae solent, ut se magno molimine moveant, nufquam autem promoveant. At scriptura habet veras virtutum descriptiones, cum exhortationibus acutis, medullas ossium penetrantibus, vivaque omnium exempla. Quum pietatem docere volunt gentiles, superstitionem docent: utpote nec dei, nec voluntatis ejus cognitione vera imbuti. Tenebrae operiunt terram, et caligo populos; super sionem vero oritur dominus, hic videtur gloria ejus (jes. 60. 2.) Quanquam igitur filiis lucis liberum esset ad tenebrarum filios aliquando accedere; ut animadverso discrimine ipsi magis in via lucis exultent, istorum vero tenebras commiserantur: at velle eorum scintillas praeferre lumini nostro, intolerabilis est, et injuriofa in deum et animas nostras, dementia. Quid prodest in mundanis proficere doctrinis, et marcescere in divinis? Caduca sequi figmenta, et coclestia fastidire mysteria? Cavendi sunt tales libri, et propter amorem sacrarum literarum vitandi: qui exterius eloquentia verborum nitent, et interius vacui virtutis et sapientiae manent; inquit isidorus. Ecce librorum istorum laudem! Putamina esse sine nucleo. Philippi melanchtonis judicium tale est. Quid in universum docent philosophi, si qui optime docent, nisi siduciam et amorem nostri? M. Cicero in finibus bonorum et malorum, omnem rationem virtutis ab amore nostri et philautia aestimat. Quantum in platone tumoris est et fastus? Neque facile fieri passe mihi videtur, quin ab illa platonica ambitione conirahat aliquid vitii, si in illius lectionem inciderit ingenium per se alium, et vehemens. Aristotelis doctrina est in universum quaedam libido rixandi; ut eum inter paraeneticae philasophiae scriptores ne postremo quidem loco dignemur. Etc. (in theol. Hypotyp. Loco de pecc.)

[note: 2. De illorum propter phitosophiam necessitaten] 18. Dicunt item. Si non theologiam recte docent, docent tamen philosophiam, quae e codice sacro, in salutis usum dato, hauriri non potest. Resp. Fons sapientiae verbum dei in excelsis (eccles; 1. 5.) Vera philosophia nihil est nisi vera notitia dei et operum

---

Page 155/156, image: s103

Ejus; quae non aliunde verius quam ex ore dei disci potest. Hinc augustinus, laudes scripturae sacrae enarrans, haec inserit: hic est philosophia: quoniam omnes omnium naturarum causae in deo creatore sunt. Hic ethica: quoniam bona et honesta vita non aliunde formatur, quam cum ea quae diligenda sunt, et quemadmodum diligenda sunt, diliguntur, h. E deus et proximus. Hic logica: quoniam veritas, lumenque animae rationalis, non nisi deus est. Hic etiam laudabilior reipublicae salus: neque enim optime custoditur civitas, nisi fundamento et vinculo sidei, firmaeque concordiae, cum bonum commune diligitur: quod summum atque verissimum deus est. Et demonstrarunt jam hoc aevo nonnulli, fundamenta omnium scientiarum et artium philosophicarum in scriptura contineri, verius quam alibi: ut admirandum sit spiritus s. Magisterium, qui utut primario de invisibilibus et aeternis informare intendat, simul tamen naturalium et artificialium rationes passim detegit, omniumque sapienter cogitandorum et agendorum normas suppeditat. Quorum omnium vix umbram in philosophis gentilium reperire est. Si ergo vere theologorum nonnemo scripsit, salomonis formosam illam sapientiam in eo fuisse, quod legem [note: n. B.] Dei in domos, scholas, aulas deduxisset: nos, si juventuti paganarum chartarum loco legem dei inculcemus, exinde omni vitae generi praescribentes regulas, quid sperare vetat redituram nobis salomonicam, hoc est, veram et coelestem, sapientiam? Id ergo allaboremus, ut domi nobis sit quidquid nos sapientes reddere potest, etiam in externa illa, et ut ita dicam civili, sapientia, quam philosophiam vocamus. Esto enim,

fuerint infelicia illa tempora, cum necesse esset israelitarum filios descendere ad philistaeos, ad poliendum quisque vomerem suum, aut ligonem suum, aut securim suam, aut rutrum suum, eo quod non esset faber in terra israelitarum (1 sam. 13. V. 19, 20.) At num aeque necessum est semper ita angustari ac premi israelitas? Praesertim cum hoc certe incommodi ea res ferat, quod quemadmodum ibi philistaei israelitis ligones quidem porrigebant, gladios vero adversus se nulla ratione subministrabant: ita ab gentili philosophia vulgares quidem ratiocinationum syllogismos, et orationum flosculos, habere queas, gladios et hastas ad expugnandas impietates et superstitiones nullomodo impetres. Davidica igitur nobis et salomonica potius optemus tempora; ubi philistaei jaceant, israel autem regnet et suis bonis gaudeat.

[note: 3. Itemque propter styli elegantiam. Resp. 1. N. B.] 19. Saliem ergo styli gratia legant terentium, plautum, alios similes, latinitatis studiosi. Respond. Ideone infantes nostros, ut loqui discant, per ganea, et popinas, et canponas, et lupanaria, et similes cloacas, ductitabimus? Nam qua amabo terentius, plautus, catullus, ovidius etc. Nisi per ejusmodi sordida loca juventutem deducunt? Quid nisi facetias, jocos, comessationes, inebriationes, amores spurcos, scortationes, varie consutos dolos, aliaque similia, a quibus avertendi sunt christianorum oculi et aures, etiam dum se casu offerunt, spectanda exhibent? Putamusne parum depravatum esse hominem in se, ideoque illi oportere extrinsecus foeditatum omnis generis monstrari formas, et subministrare fomites et flabella, et quasi ultro quaesita ansa propellere in ruinam? Dixeris: non omnia in auctoribus illis mala sunt respondeo, sed mala semper facilius haerent: ideoque juventutem eo mittere ubi mala mixta sunt bonis, res plena est periculi. Nam neque venena propinare solent, aut possunt etiam, qui vitam alicujus perditum eunt, sola, sed mixta quam optimis eduliis aut potionibus: venena tamen vim suam exserunt, eique qui assumsit perniciem afferunt. Ita plane antiquus ille homicida, si circumvenire vult, infernalia toxica sua ingeniosae figmentorum et sermonis blanditiae saccharo edulcare necesse habet: cujus rei conscii nos non disjiciemus ei nefandum hunc apparatum? Dicas: non omnes spurci sunt: cicero, virgilius, horatius, alii, honesti et graves. Resp. Et ipsi tamen caeci pagani, a deo vero, ad deos deasque (jovem, martem, neptunum, venerem, foriunam etc. Fictilia scilicet numina sua,) mentes lectorum avertentes. (deus tamen populo suo dixit. Nomen externorum deorum ne recordamini, neque audiatur ex ore vestro, exod. 23. 13.) Tum quantum ibi superstitionum, opinionum falsarum, cupiditatum mundanarum, inter se varie colluctantium, chaos? Plane alio spiritu implent illi discipulos suos quam christi mens est. Christus evocat e mundo, illi mundo immergunt. Christus abnegationem sui docet, illi sui amorem. Christus ad humilitatem vocat; illi magnanimitatem commendant. Christus mansuetos quaerit: illi efferatos faciunt. Christus commendat columbinam simplicitatem: illi argutandi artificium mille modis instillant. Christus modestiam suadet: illi se in jocos diffundunt. Christus amat credulos: hi suspicaces, disputaces, pervicaces, praestant. Et ut paucis, iisque apostoliscis

---

Page 157/158, image: s104

Verbis concludam: quae est societas luci ad tenebras? Quae conventio christi ad belial? Quae pars fideli cum infideli? (2 cor. 6. 15.) Recte etiam erasmus (in similibus): a floribus marcidis abstinent apes: ita non attingendus liber, qui putridas habet sententias. Item: ut tistissimum est in trifolio cubare, quia in hac herba negant serpentem latere: ita in his versandum libris, in quibus nulla venena timentur.

[note: resp. 2] 20. Interim tamen, quid tam lepidi habent profani illi scriptores, prae sacris nostris? Soline illi sermonis elegantias intelligunt? Perfectissimus linguae artifex, est ipse qui

eam plantavit, spiritus dei: cujus verba melle dulciora, gladio utrinque acuto penetrantiora, igne metalla colliquante efficaciora, et malleo petras concutiente graviora esse, experiuntur et depraedicant sancti dei. Soline gentiles historias afferunt memor abiles? Plenus est codex noster, veriorum et longe mirabiliorum. Soline illi tropos, figuras, allusiones, allegorias, aenigmata, apophtegmata, formant? Fastigium horum apud nos est. Leprosa est imaginatio, abana et pharphar, flumina damasci, praeferre jordano et aquis israel (4 reg. 5. 12.) Lippiens oculus, cui olympus, helicon, parnassus, amoeniora quam sinai, sion, hermon, tabor, olivetum, praebent spectacula. Absurda auris, cui orphei, homeri, vergilii chelys, prae davidica cithara, sonat jucundius. Corruptum palatum, cui melius fictum nectar et ambrosia sapit, fontesque castalii, quam verum coeleste manna, fontesque israelis. Perversum illud cor, cui majores delicias creant nomina deorum dearumque musarum et caritum, quam adorandum nomen fehovae exercitum, christi saluatoris, et variorum spiritus sancti carismatum. Caeca illa spes, quae per campos elysios potius, quam per paradisi hortos, spatiatur. Ibi enim omnia fabulae, veritatis umbrae: hic omnia res, veritas ipsa.

[note: resp. 3.] 21. Esto autem, habeant illi quoque elegantias ad nos transferri aptas, phrases, adagia sententias morales pulchras: an propter flosculos tamen illos istuc mittendi filii nostri? Nonne aegyptios spoliare licet, et exuere ornatu suo? Licet utique: imo convenit, jussu dei (exod. 3. 22.) Jure enim ecclesiae debetur omnis possessio gentium. Necesse est ergo, inquis, nos adire ista, ut auferamus. Resp. Manasses et ephraim occupaturi pro israel terram gentium, armati ivêre, viri soli; parvulorum grege, et imbelli turba, domi relictis in loco tuto (jof 1. 14.) Idem faciamus nos, partes illas exarmandi scriptores ethnicos sumamus nobis viri, eruditione, judicio, pietate christiana, jam firmi et robusti; juventutem periculis illis ne exponamus. Quid enim si illi pubem nostram contrucident, aut convulnerent, aut captivam abducant? Tristia prostant, eheu, exempla, quam multos philosophia turbae gentilis christo abstulit, et in atheismum praecipitavit.tutissimum igitur fuerit armatos submittere, qui istis divinitus anathemate devotis omne aurum et argentum, et quidquid pretiofi habent, eripiant, idque inter hereditatem domini distribuant. O excitet deus heroica ingenia, quae omnes elegantiarum flosculos ex illis vastis desertis collectos per christianae philosophiae hortos grate disseminent, ne quid desiderari domi possit!

[note: resp. 5.] 22. Si tandem aliquis gentilium ipse admittendus esset, seneca is esto, epictetus, plato, similesque virtutum et honestatis magistri, in quibus minus errorum et superstitionum notare est. Quod consilium fuit magni erasmi, juventutem christianam in ipsis sacris literis enutriendam esse suadentis, tandemque addentis: quod si immorandum sit profanis literis, equidem id fieri malim in iis, quae propius affines sunt arcanis libris (erasm. In comp. Theol.) Sed et istos bonum esset admittere ad juventutem, nonnisi post confirmatos in christianismo animos: et quidem castigatos primum; ut nempe nomina deorum, et quaecunque superstitionem redolent, auferantur. Ea namque conditione deus virgines ethnicas in uxores ducere permisit, si illis abradantur capilli, et circumcidantur ungues (deut. 21. 12) ut igitur recte intelligamur, non in universum profanorum scripta prohibemus christianis, ut qui coeleste privilegium, quo christus credentes suos (nb. Credentes jam) etiam serpentes et venena innoxie tractandi (marc. 16. 18.) Communivit, non ignoramus: sed ne tenella adhuc fide filioli dei serpentibus his objiciantur, illisque temeraria confidentia venena hauriendi praebeantur occasiones, praecautum volumus, obtestamur et obsecramus. Lacte sincero verbi dei enutriendos esse filiolos dei, dixit spiritus christi (1 pet. 2. 2. 2 tim. 3. 15.)

[note: objectio quarta, de s. Scripturae pro aetate prima difficultate.] 23. Sed ajunt adhuc, qui satanae contra christum causae incaute patrocinantur, scripturae s. Libros pro juventute nimis esse arduos, ideo alios interim libellos in manus dari, dum adolescat judicium.

[note: resp. 1.] Resp. I. At sermo hic errantium est, nescientium scripturas, neque virtutem dei: quod trifariam ostendo. Primum, nota est de timotheo celebri olim musico historia, solemne illi fuisse, quoties novum acciperet discipulum, interrogare, an jam apud alium magistrum discendi fecisset initium? Negantes, recipiebat pretio tolerabili: affirmantibus, duplicabat

---

Page 159/160, image: s105

Pretium: causatus, duplicem sibi circa hos instituendos fore laborem, alterum dedocendo, quod male didicisset; alterum docendo artem veram. Nos igitur cum habeamus toti humano generi declaratum doctorem ac magistrum christum jesum, praeter quem alios quaerere prohibemur (matt. 17. 5. Et 23. 8.) Et qui dixit, sinite parvulos venire ad me, et ne prohibete eos. (marc. 10. 14.) Pergemus tamen contra ejus voluntatem alio eos ductare? Nisi forsan metuimus, ne otiosus sit christus, nimis facile eos mores suos addocens! Ideoque eos per alienas primum officinas hinc inde, et ut dixi per popinas et ganea, et sterquilinia quaevis, raptabimus, demumque corruptos et infectos objiciemus christo, ut eos sibi reformet. Cui autem pejus consulitur, quam miserae ulli, et per se ea parte innocenti, juventuti? Dum, vel cum dediscendis, quibus prima aetate imbuti sunt, per totam vitam luctari necesse habent; vel a christo simpliciter rejiciuntur, satanaeque porro informandi relinquuntur. Quod enim molocho consecratum est, abominationi non sit deo? Horrenda sunt haec, nimio plus tamen vera. Per misericordiam dei oro, prospiciant jam tandem serio christiani magistratus, ecclesiarumque praesules, ut ne pubes christiana, christo nata, et per baptismum consecrata, molocho amplius offerri permittatur.

[note: resp. 2.] 24. Falsum est, quod clamitant, scripturam esse nimis sublimem, supraque infantilis aetatulae captum. An enim deus quam accomodatum sit verbum ejus ingenio nostro non intellexit? (deut. 31. 11, 12, 13.) Annon david legem domini sapientiam praestare parvulis (nb. Parvulis) testatur? (ps. 19. 8.) Annon petrus verbum dei lac regenitorum infantum dei esse dicit, datum ut per illud crescant et augescant? (1. Pet. 2. 2.) Ecce lac dei, tenerrimum, dulcissimum et saluberrimum, modo genitis infantulis dei nutrimentum verbum dei est! Cur contradicere allubescit deo? Cum potius gentilis doctrina sit obsonium durum, dentibus egens, eosque subinde frangens etiam. Ideo spiritus s. Per davidem in suam scholam invitat parvos: vente filii, audite me, timorem dei docebo vos (psal. 34. 11.)

[note: resp. 3.] 25. Tandem, insunt utique scripturis profunditates, fatemur: sed tales, in quibus elephanti merguntur, agni natant: ut eleganter dixit augustinus, cum inter sapientes mundi praesumptuose in scripturas irruentes, et parvulos christi, humili et docili animo accedentes, notare vellet discrimen. Et quid opus statim in altum provehi? Gradatim iri potest. Primum ambeunda littora catecheticae doctrinae: tum per brevia vadandum, ediscendo historias sacras, sententias morales, et similia, captum non excedentia, sed ad majora quae sequuntur attollentia. Tandem enim mysteriis fidei enatandis non inidonei fient. Ita sacras literas ab infantia docti, praeservabuntur facilius a corruptelis mundanis, et sapienies reddentur ad salutem, per fidem quae est in christo jesu (2 tim. 3. 15.) Etenim illi, qui se deo dat, et ad pedes christi considens sapientiae desuper venienti accommodat aurem suam, impossibile est non influere spiritum gratiae, ad accendendum verae intelligentiae lumen, et praemonstrandas in clara luce salutis vias.

[note: retorsio] 26. Ut taceam, auctores illos, quos pro bibliis jnventuti christianae obtrudant (terentium, ciceronem, vergilium etc) tales esse, qualem esse scripturam sacram clamitant, arduos, et minus intelligibiles juventuti. Nec enim pueris scripti sunt, sed hominibus judicii adulti, inscena et foro versantibus. Nec igitur aliis prosunt: quod res ipsa loquitur. Magis

certe aliquis vir factus, et virilia tractans, e ciceronis lectione una proficict, quam si puer ad unguem ediscat totum. Cur igitur non differuntur cognoscendi suo tempore, iis quorum interest, si interest? Majoris autem considerationis sunt quae jam diximus, in scholis christianis cives esse formandos coelo, non mundo: tales proinde illis dandos esse magistros, qui coelestia magis quam terrena, sancta quam profana, instillent.

[note: conclusion] 27. Concludamus igitur angelicis verbis: non potest opus aedisicii humani sustineri in eo loco, ubi incipitur ostendi civitas altissimi (4 esd. 10. 54.) Et quoniam deus nos esse vult arbore s justitiae, et plantationem jehovae, unde ille glorisicetur, (ies. 61. 3.) Non ergo oportet liberos nostros esse arbusculas plantationis aristotelicae, vel platonicae, vel plautianae, vel tullianae etc alioqui sententia jam lata est: omnis plantatio quam non plantavit pater meus coellestis, eradicabitur (matt: 15. 13.) Exhorresce, si quis argutari, et contra scientiam dei te efferre, non desistis. (2. Cor. 10. 5.)

Cap. Xxvi. De disciplina scholastica.

[note: disciplina scholis necessaria.] Usitatum populari bohemis diverbio dictum, schola sine disciplina, molendinum est sine aqua, verum est. Quemadmodum enim si molendino auferas aquam, consistere illud; ita si scholae disciplinam, lentescere omnia, necesse est. Sicut et ager si non sarritur, perniciosa segeti zizania

---

Page 161/162, image: s106

Illico nascuntur: arbusculae si non putantur siluescunt, inutilesque producunt stolones. Nec tamen sequitur, scholam clamorum, plagarum, vibicum, plenam esse oportere: sed plenam vigilantiae et attentionis, in docentibus et discenubus. Disciplina enim quid est nisi modus certus, quo discipuli vere discipuli efficiantur?

[note: de qua observanda tria.] 2. Juventutis ergo formatorem nosse bonum erit tum finum, tum materam, tum formam disciplinae: ut cur, quando et quomodo arrificiosa severitate utendum sit, ne ignoret.

[note: i. Finis disciplinae.] 3 primum autem hoc inter omnes constare puto, disciplinam in exorbitantes exercendam esse. Non tamen quia exorbitavit quis (factum enim infectum fieri nequit) sed ne posthac exorbitet. Exercenda igitur sine affectu, ira, odio; eo candore ac sinceritate, ut ipse qui disciplinatur disciplinam in se suo bono extendi, et ex paterno in se affectu eorum qui sibi praesunt proficisci, animad vertat; ideoque non alio hanc animo quam quo amara quaevis a medico propinata potio solet, excipiat.

[note: 2. Materia ob quam in discipulos exercenda. Nempe non ob studia.] 4. Non autem serverior disciplina exercenda est ob studia et literas, sed ob mores. Quia studia si recte constiruantur (uti jam docuimus) per se ipsa ingeniis illecebrae, sunt, dulcedineque sua omnes (monstra hominum si excipias) ad se trahunt et rapiunt. Quod si secus fit, non discentium id, sed docentium culpa, evenit. Atque si arte ingenia inescandi modos ignoramus, vim certe frustra adhibebimus. Verbera et plagae literarum amorem ingeniis indendivim nullam habent: taedium animi earum et odia ingenerandi prorsus multam. Quare sicubi fastidientis studia amini morbus animadvertitur, is diaera potius et dulcibus subinde propinatis remediis tollendus est, quam asperis asperandus magis. Cujus prudentiae ipse coelestis sol documenta nobis ostendit. Qui non primo statim vere in novellas tenellasque plantulas detonat: nec eas ab initio statim fervore suo urget ac urit: sed sensim sine sensu incalefactas attollit, et roborat,

demumque in adultas, fructusque et semina maturantes, vim totam emittit. Simili dexteritate arborator utitur, mollius novellas, tenerius tenellas arbusculas tractans, nec radulas, cultros, falces, vulnera nondum ferre valentibus immittit. Neque musicus, si testudinis, citharae, vel fidium chordae dissonant, pugno fusteve percutit, aut ad parietem allidit; sed tamdiu artem adhibet, donec in harmoniam redigat. Ita prorsus ingeniis in harmoniam et studiorum amorem redigendis condescendendum est, si non ex incuriosis invitos, et ex torpidis prorsus stolidos, essicere volumus.

[note: ad studia quomodo stimulandi. (1)] 5 si tamen aliquando calcari et stimulo opus, aliis id modis melius quam plagis effici potest. Aliquando verbo asperiore, increpationeque publica. Aliquando alios laudando: ecce hic vel ille, quam egregie attendit! Quam recte omnia perapit! [note: (2)] tu autem torpes? Aliquando risu exagitandus est: hem te simplicem, rem tam facilem non capis? [note: (3)] peregrinarisne animo? Possunt et hebdomadariae, aut certe menstruae concertationes institui de loci, vel laudis praerogativa: quemadmodum alibi docuimus. Modo videatur ne hoc mere ludicrum et joculare, ideoque inane, evadat: sed ut laudis amor vituperiique, et dejectionis metus, omnino diligentiam stimulet. Quare et praeceptorem esse, praelentem, et serio rem sineque fuco agi, deprehensosque negligentiores increpari et confundi, diligentiores publice collaudari, omnino interest.

[note: sed ob mores.] 6. Severior autem et rigidior disciplina exercenda est in eos demum, qui moribus [note: (1)] exoibitant. Nempe 1 ob impietatis aliquod editun specimen; ut blasphemiam, obscaenitatem, et quaecunque aperte contra [note: (2)] dei legem admittuntur. 2 ob contumaciam, de stinat amque malitiam; si quis praeceptoris alteriusue cujuscunque e superioribus mandata contemnat, faciendaque sciens [note: (3)] volens non faciat. 3 ob superbiam et fastum, aut etiam invidiam et pigritiem; qua quis a condiscipulo rogatus, eundem docendo juvare recusat.

[note: et quare id.] 7 illa enim primi generis delicta dei majestatem laedunt: secundi generis virtutum omnium basin (humilitatem et obsequium) evertunt: tertii generis celeres in studiis profectus inhibent ac retardant. Quod contra deum est, flagidum est, acerrima castigatione piandum. Quod contra homines et seipsum quis committit, iniquitas est, correptione acri emendanda: quod contra priscianum, macula est, increpationis spongia delenda.
Verbo, disciplina eo tendat ut in omnibus per omnia reverentia erga deum, officiositas erga proximum, erga labores vero et munia vitae alacritas, excitetur, constantique usu et praxi roboretur.

[note: 3. Forma disciplinae a coelesti sole mutuata.] 8. Modum disciplinae optimum docet sol coeletis, qui rebus crescentibus ministrat (1) semper lucem et calorem. (2) saepe pluviam et ventos. (3) raro fulgura et tonitrua: quamvis haec etiam eorundem in usum.

[note: quomodo usurpanda.] 9. Hujus imitatione scholae moderator juventutem in officio continere laborabit.

[note: (2.)] 1. Exemplis perpetuis, omnium ad quae condocefaciendi sunt, vivam se ipsum ideam praestando. Absque hoc fuerit, reliqua omnia incassum sunt.

[note: 2.] 2. Verbis informatoriis, hortatoriis, intrepatoriisque subinde: summe tamen data opera, ut sive docet, sive monet: sive mandat, sive increpat, id omne affectu paterno, ad aedificandum omnes, destruendum neminem intento, fieri palam sit. Talem affectum nisi probe peripexerit, et de eo prorsus persuasus sit discipulus, facile et disciplinam spernit, et adversus illam animum obfirmat.

[note: 3.] 3. Tandem tamen, si quis adeo infelicis est ingenii ut leniora haec non sufficiant, ad violentiora veniendum est remedia, ne quidquam intentatum relinquatur, antequam aliquis veluti prorsus ineptum culturae solum de seratur, et pro desperato habeatur. Fortassis enim de nonnullis etiamnum hodie verum illud erit quod dicitur: phryx non nisi plagis emendatur. Aut certe si non ipsi disciplinato, aliis tamen incusso metu disciplinae [note: cautio.] Ejusmodi proderit vigor. Modo caveatur, ne quavis de causa, et saepe minis, ad extrema haec veniatur: ne extremorum remedia ante extremos casus consumantur.

[note: dictorum summa.] 10. Dictorum et dicendorum haec summa esto: disciphna eo tendat: ut in illis quos deo et ecclesiae enutrimus efformemus, confovendoque jugiter confirmemus, affectuum temperaturam illi similem quam deus in filiis suis, scholae christi commissis, requirit, ut exulient cum tremore (psal. 2. 10.) Saluremque suam cum timore et tremore operantes (phil. 2, vers 10.) Gaudeant in domino semper (ibid. Vers. 4.) h. e. ut formatores suos et amare et revereri possint et sciant, eoquet se duci quo duci convenit, non tam libenter patiantur, quam prompte insuper appetant., quae affectuum temperatura non aliis quam quos jam innuimus modis obtineri potest; exemplis bonis, verbis blandis, affectu sincero et aperto constanter: asperius vero fulmiminando ac tonando non nisi aliquando extraordinarie: eaque simul hic etiam intentione, ut severitas in amorem semper quantum datur, desinat.

[note: perappositum simile.] 11. Nam quis unquam (liceat adhuc, exemplorem declarare) aurusabrum solo percussu scitam imagunculam effomasse vidit? Nemo unquam. Funduntur illae melius quam tunduntur. Aut si quid supervacaneum et inurile adhaeserit, non malleo impetuose solers artifex pulsat, sed molliter malleolo decutit, vel deradit lima, vel abscindit forcipe, atque omne id caute: tandem tamen semper in fine depolit et laevigat. Et nos imaguncula dei vivi, rationalem creaturam, irrationali impetu elaborari posse confidamus?

[note: aliud.] 12. Sed et piscator qui sagena majori profundioribus in aquis pisces captare instituit, non plumbum duntaxat sagenae appendit, quae eam mergant, sundumque verrere cogant: sed et appendit ex opposito leves spongias, quae eam altera parte ad aquae superficiem elevent. Pari modo qui cum juventute vircutum piscationem instituit, eam inde quidem severitate ad metum et humilem obedientiam deprimere, hinc autem affabilitate ad amorem et alacritatem hilarem attollere, necesse habebit. Felices temperaturae ejusmodi artisices! Felix moderatoribus ejusmodi juventus!

13. Huc facit illud magni viri d. Eilhardi lubini, ss. Theologiae d. Judicium, quod praefationi super novum t. Graeco-latino-germanice editum, de scholarum emendatione disserens, inseruit, his verbis.

Alterum est, ut omnia quae juventuti pro ipsorum captu proponuntur, ita ab illis exigantur, ut nihil inviti, et exacte, sed omnia quantum fieri potest sponte et uliro, cum animi quodam prolubio, faciant. Unde prorsus sentio virgas et verbera, servilia illa instrumenta, ac ingenuis

minime convenientia, minime in scholis adhibenda, sed procul removenda esse, et admovenda mancipiis et servilis animi nequam servis. Quales et suo se indicio in scholis mature produnt, et marure e scholis removendi sunt. Non solum ob indolis, quae servilibus ingeniis propria plerumque est tarditatem, sed etiam huic plerumque conjunctam pravitatem: et cui doctrina et artium adminicula accedant, nonnisi in nequitiae arma convertentur, eruntque in manibus furiosorum gladii, quibus se et alios jugulent. Sunt autem alia poenarum genera, ingenuis pueris et tiberalibus ammis adhibenda etc.

Cap. Xxvii. De quadripartita scholarum, secundum aetatis et profectuum gradus fabrica.

[note: filiorum seculi prudentia filiis lucis imitanda.] Opisices mechanici discipulis suis tempora certa praefiniunt, intra quae disciplinae pebiodus (biennium, triennium etc ad septennium usque pro artis ant subtilitate aut multiplicitate) certo absoluatur, et quisque omnia quae ad artem spectant edoctus, e discipulo artis suae candidatus, et mox magister, fiat. Idem ergo in disciplina scholastica fieri convenit, ut artibus, et scientiis, linguisque, periodi sua; constituantur, quo intra centum annorum decursum tota eruditionis encylopaedia absoluatur, prodeantque ex his humanitatis officinis homines vere cruditi, vere morali, vere pii.

Page 165/166, image: s108

[note: totius hominis expolitioni sumendum totum iuventutis tempus, annorum 24.] 2. Hunc ut obtineamus scopum, sumimus exercendis ingeniis totum juventutis tempus, (hic siquidem non una ars discenda venit, sed totus artium liberalium complexus, cum omnibus scientiis, et aliquot linguis) ab infantia usque ad virilem aetatem: nempe annos 24, dispescendos in periodos certas. Id autem secundum ipsius naturae ductum. Ostendit enim experientia, hominis corpus in staturam assurgere ad annum fere aetatis vigesimum quintum, nec amplius; posten se in robur solidare. Quae tarda incrementa (nam vastiora belluarum corpora mensibus aliquot, aut certe uno et altero anno, persectionem suam attingunt) ideo providentiam divinam humanae naturae admensam esse credendum est, ut homini ampliora omnino sint, ad praeparandum se vitae: muniis, spatia

[note: dividendum in scholas quatuor.] 3. Illos igitur ascendentis aetatis annos in quatuor distinctos gradus dividemus, infantiam, pueritiam, adolescentiam,
juventutem: assignando cuique gradui sexennium urum, et scholam peculiarem, ut

I. Infantiae schola sit gremium maternum,

Ii. Pueritiae schola sit ludus literarius, sive schola vernacula publica.

Iii. Adolescentiae schola sit schola launa, seu gymnasium.

Iv. Juventutis schola sit academia, et peregrinationes.

Et quidem maierna ut sit in quavis domo: vernacula in quavis communitate, oppido et pago; gymnasium, in quavis; civitate; academia in quovis regno, aut etiam provincia majore.

[note: pensa laborum scholasticorum non materia different, sed forma.] 4. In bis ut ut diversis scholis, non tamen diversa tradi volumus, sed eadem diversimode, nempe omnia, quae homines vere homines. Christianos vere christianos, doctos vere doctos, reddere possunt: sed secundum aetatis et antecedentis praeparationis, altius semper nitentis, gradus. Disciplinae enim ex legibus naturalis hujus methodi discerpendae non erunt, sed omnes semper simul tradendae: eo modoquo arbor semper tota, secundum omnes sui partes, creiscit, aeque hoc, atque futuro anno, et quamdiu vigebit, post centum etiam annos.

[note: differentia scholarum ratione formae exercitiorum.] 5. Differentia tamen erit triplex. Primo, quod in scholis prioribus omnia docebuntur generalius et rudius, sequentibus omniapanicularitis et distinctius: eo modo quo arbor quovis novo anno in plures radices et ramos se spargit, plus roborascit, plusque fructuum prosert.

[note: 1 quod aliter híc aliter ibi] 6. Secundo quod in prima schola materna, exercebuntur potissimum sensus externi, ut circa objecta sua recte versari, eaque dignoscere, [note: 2. Quod alia hic, alia ibi magis.] Consuescant. In vernacula exercebuntur sensus interiores, imaginativa et memoria, cum exequutoriis suis organis, manu et lingua, legende, scribendo, pingendo, canendo, numerando, mensurando, ponderando, memoriae varia imprimendo etc. In gymnafio formabitur omnium sensu collectarum rerum intellectus et judicium, per dialecticam, grammaticam, rhetoricam, caeterasque reales per [gap: greek word(s)] traditas scientias et artes. Academiae denique formabuntea potissimum, quae voluntatis
sunt. Facultates nempe, docentes in harmonia conservare, et disturbata in harmoniam revocare) animam quidem theologia mentem philosophia, corporis functiones vitales medicina, externa bona juisprudemia.

[note: ratio hujus gradationis.] 7. Atque haec est vera feliciter ingenia formandi methodus; ut primo. Res ipsae inferantur sensibus externis, quos immediate feriunt. Tum excitati sensus interiores discant rerum imagines exteriore illa sensatione impressas exprimere rursum ac repraesentare: tam intra se, reminiscentia, quam extra se, manu et linguae. His demum jam paratis insiliat mens, et speculatione accurata omnia cum invicem conferat et pensitet, ad perdiscendas omnium rationes: quod verum formabit rerum intellectum, et de illis judicium. Tandem voluntas (quae hominis centrum est, actiontimque ejus omnium directrix) imperium suum in omnia legitime usurpare consuescat. Ante rerum intellectum velle formare voluntatem (ut et ante imaginativam intellectum; et imaginativam ante sensus) est operam ludere. Quod tamen faciunt, qui pueros ante realium et sensualium cognitionem, logicam poesin, rhetoricam, ethicam docent: perinde facientes ac si quis bimulum, pedibus tremulis incessum vixdum tentantem, choreas, ducere velit. Nobis naturam ducem ubique sequi stat. Sententia: et ut illa facultates suas alias post alias exserit, ita illis promovendis attendere.

[note: 3. Quod alii hic alii ibi, exercebuntur.] 8. Tertium discrimen erit, quod scholae inferiores, materna et vernacula, omnem utriusque sexus iuventem exercebunt: latina potissimum adoles centes altius quam ad opificia adspirantes, perpoliet: academiae vero doclores et ductores aliorum furturos formabun: ut ne ecclesiis, scholis, rebusque publicis, moderatores apti unquam desint.

[note: quaternae scholae respondent quaternis anni partibus.] 9. Quatuor haec scholarum genera non immerito vis conserat quatuor anni partibus.

Page 167/168, image: s109

Ut materna referat ver amoenum, germinibus et flosculis variae fragrantiae condecoratum. Vernacula repraesentet aestatem, spicas plenas cum praecocioribus quibusdam fructibus, ostentantem. Gymnasium respondeat aurumno, plenos camporum, hortorum, vinearumque fructus colligenti, et in mentis apothecas recondenti. Academia denique exprimat hiemem, collectos fructus ad varios usus apparantem, ut sit unde toto reliquo vitae ambitu vivatur.

[note: arboribusque quaterno gradu incrementa sumentibus.] 10. Posset etiam talis haec juventutem accurate instiniendi ratio hortorum culturae comparari. Ubi sex annorum pueruli, paterna et nutricum cura pulchre exercitati, similes videantur arbusculis provide plantaris, bene radicatis, et ramusculos extra se porrigere incipientibus. Adolescentuli verb annorum duodecim, similes arbusculae jam ramosae et germina protrudenti: quibus quid contineatur, nondum quidem satis conspicuum, mox tamen futurum sit. Adolescentes annorum octodecim linguarum et artium cognitione jam instructi, similes arbori undique convestitae floribus; illisque amoenum spectaculum oculis, et gratum odorem naribus, praebenti, ori autem certos fructus promittenri. Juvenesdenique annorum viginti quatuor, aut quinque, academicis studiis ad plenum jam exculti, referent arborem fructibus undique oppletam: quos decerpendi, et in usus varios transferendi, tempus advenit.

Verumenim vero haec distinctius proponenda sunt.

Cap. Xxviii. Idea scholae maternae.

[note: primaria rerum primo quaerenda] quicquid principalium ramorum habitura est arbor, eos primis statim annis de trunco suo exporrigit, ut post nihil nisi eorundem incrementis, sit opus. Ita ergo quibuscunque hominem ad totius vitae usum instrui volumus, illa omnia mox hac prima in schola implantanda illi erunt. Quod fieri posse, patebit scibilium genera percurrenti. Innuemus id paucis, ad viginti capita omnia revocando.

[note: scibilium hic instillandorum, catalogus. I.] 2. Metaphysica (quam vocant) omnino hic initium sumit; quia infantibus omnia primum generali et confuso conceptu se iugerunt: dum quidquid vident, audiunt, gustant, tangunt, aliquid esse animadvertunt, quid in specie sit non dijudicantes, post demum paulatim distinguentes. Incipiunt ergo intelligera generales illos. Terminos: aliquid, nihil; est, non est; sic, aliter; vbi, quando etc simle, dissimile etc quae omnino scientiae metaphy sicae sundamenta sunt.

[note: ii.] 3. In physicis primo hoc sexennio eo perduci potest puer, ut quid sit aqua, terra, aer, ignis, pluvia, nix, gelu, lapis, ferrum, arbor, herba, avis, piscis, bos etc ne ignoret. Et sciat membrorum corporis sui, saltem exteriorum, nomenclaturam et isum. Quae aetare ista facile discuntur, naturalisque scientiae rudimenta ponunt.

[note: iii.] 4. Opticae principium accipit puer, dum distinguere et nominare incipit lumen et tenebras, umbramque, et: colorum praecipuorum, albi, atri, rubri etc differentias.

[note: iv.] 5. Astronomiae initium erit, nosse quid dicatur coelum, sol, luna, stella: et animadvertere ista oriri et occidere quotidie.

[note: v.] 6. Geographiae primordia fiunt, dum intelligere addiscunt, quid sit mons, vallis, campus, fluvius, pagus, arx, civitas: prouti occasio est loci, in quo educantur.

[note: vi.] 7. Chronologiae sundamenta ponuntur, si puer intelligat, quid dicatur hora, dies, hebdomada, annus: quid item aestas, hiems, etc. Et heri, pridie, cras perendie etc

[note: vii.] 8. Historiae initium est, posse recordari atque recensere, quid nuper acciderit: quomodo hic aut ille, hac et illa in re, se gesserit; tametsi nihil nisi puerile sit.

[note: viii.] 9. Arithmetica radices agit, si puer intelligat, quid dicantur parum et multum: et numerare sciat vel ad decem: et observet, quod tria sint plus quam duo: et quod tribus additum unum, faciat quatuor etc.

[note: ix.] 10. Geometriae elementa habebunt, si intelligant quid appellemus magnum et parvum, longum et breve, latum et angustum, crassum et tenue. Item quid vocemus lineam, crucem, circulum etc. Et videant quaedam mensurari spithama, ulna, orgya etc.

[note: x.] 11. Staticae quoque initium erit, si videant res ponderari bilance; et discant ipsimet quaedam librare manu, ad cognoscendum sitne grave an leve.

[note: xi.] 12. Nechanicorum operum tirocinium accipiunt, si permittantur, adeoque doceantur, semper aliquid moliri: res puta huc illuc transferre, ita vel ita ordinare, struere et destruere, connodare et enodare etc. Uti pueris hac aetate volupe est. Quae cum nihil sint nisi solertis

---

Page 169/170, image: s110

Naturae ad res arte producendas molimina, non solum non inhibenda sunt, sed promovenda etiam, dirigendaque prudenter.

[note: xii.] 13. Rationis ars dialectica, hic jam quoque se prodit, et germina protrudit: dum puer interrogationibus et responsionibus colloquia peragi animadvertens, ipse quoque aliqua interrogare, et ad intenogata respondere, consuescit. Docendi solummodo sunt apie interrogare, ad interrogata vero directe respondere: ut themati proposito cogitatione inhaerere, non vagari, consuescaent.

[note: xiii.] 14 grammatica puerilis erit maternam linguam recte sonare, hoc est literas, syllabas, voces, articulate proloqui.

[note: xiv.] 15. Rhetoricae initia erunt, si quid troporum et figurarum sermo domesticus habet, ea imitari. Inprimis autem gesticulatio inter sermocinandum non inepta, cum pronuntiatione qualitati sermonis debira: ut nempe interrogando ultimas syllabas attollant, respondendo deprimant: et similia, quae ipsa pene natura docet, prudentique informatione, si quid exorbitabit, corrigi facile potest.

[note: xv.] 16. Poeseos gustus erit, si prima hac aetatula versiculos aliquam multos addiscant, morales potissimum: sive rhytmicos, sive metricos, ut cuique linguae domesticus usus est.

[note: xvi.] 17. Musicae primordia erunt, e psalmis et hymnis sacris faciliora quaedam didicisse: quod inter quoridiana pietatis exercitia locum habebit.

[note: xvii.] 18. Oeconomicae prudentiae rudimenta erunt, personarum e quibus familia constat, nomina tenere; quis nempe dicatur pater, mater, ancilla, famulus, inquilinus etc. Item

nomina partium domus: atrium, hypocaustum, cubiculum, stabulum etc. Et instrumentorum domesticorum, mensa, patina, culter, scopae etc cum eorum usu.

[note: xviii.] 19. Politicae minor potest esse gustus, cum extra domum vix se proferat hujus aetatulae prudentia: potest tamen, si animadvertant quosdam in civitate convenire in curia,dicique senatores: et in his aliquem peculiariter consulem, praetorem, notarium etc appellari.

[note: xix.] 20. Sed morum doctrina (ethica) inprimis hic fundamenta accipere debebit solidissima, si bene formatae juventuri virtutes quasi connasci volumus. Exempli gratia,

(1) temperantia: mensuram stomachi observando, neque in alimentis ultra sedandae famis et sitis necessitatem quidquam sibi indul gendo.

(2) mundities, in eduliis, vestibus, pupis etiam et crepundiis, polite tractandis.

(3) veneratio erga superiores debita.

(4) obedientia, ad mandata et vetita, semper alacris et prompta.

(5) veracitas, in omnibus dictis religiosa, ne unquam mentiri et fallere, sive joco sive serio (nam jocus rei non bonae tandem in seriam noxam degenerare potest) permittantur.

(6) justitiam discent, nihil alieni invito domino contrectando, auferendo, retinendo, occultando, nihil cuiquam aegre faciendo, nihil invidendo etc,

(7) condocefiant potius ad caritatem; ut de suo largiri, quoties aliquis necessitate ductus se compellat, imo et sponte sua, prompti sint. Haec enim est christianissima illa virtus, ante omnes a spiritu christi nobis commendata, et ad quam inprimis frigidissima hac mundi senecta hominum corda inflammari e salute ecclesiae erit.

(8) exercendi quoque sunt puelluli ad labores et occupationes perpetuas, sive serias sive ludicras, ut otia tolerare nesciant.

(9) consuescant non garrire semper, et quidquid in buccam venit effutire, sed etiam cum ratione, dum res poscit, tacere. Nempe, dum alii loquuntur, dum aliquis honoratiorum adest, dum res est quae taceri postulat.

(10) inprimis autem prima hac aetate ad patientiam, qua per toram vitam opus erit, formandi sunt: ut antequam affectus violentius prorumpunt, radicesque agunt, edomentur, consuescantque illi ratione, non impetu, duci, cohibere potius quam laxare iram etc.

(11) officiositas, et ad serviendum aliis alacritas, insigne est juventutis, imo totius vitae, ornamentum. Ad hanc proinde exercendi sunt primo etiam hoc sexennio: ut quacunque re gratificari se commodis alienis posse confidant, prosilire ne intermittant.

(12) addenda tamen est morum civilitas, ut nequid inepte ant stolide agant, omnia cum decenti modestia. Quo pertinent affabilitatis ceremoniae, salutationes, resalutationes, petitiones verecundae, dum re aliqua egent, gratiarumque actiones post acceptum beneficium, cum poplitum decente submissione, manuum osculis, et si quid simile.

[note: xx.] 21 tandem in religionis pietatisque studio possunt pueri sexennes eo perduci, ut capita catechetica, christianismi

---

Page 171/172, image: s111

Sui fundamenta, memoriter teneant, quantumque aetas fert intelligere etiam et praxi exercere incipiant. Nempe ut numinis sensu affecti, deum ubique praesentem prospiciendo, et tanquam malorum ultorem justissimum timendo, nihil mali admittere; rursumque ut bonorum remuneratorem benignissimum amando, venerando, invocando, laudando, et ab illo misericordiam in vita et morte expectando, nihil boni, quod illi placere animadvertunt, omittere, et sic tanquam in oculis dei vivere, et (ut scriptura loquitur) cum deo ambulare, consuescant.

[note: vsus sic informatae infantiae.] 22. Ita de christianorum liberis dici poterit, quod evangelista de christo ipso, profecisse cum sapientia, et aetate, et gratia apud deum et homines luc. 2. 52.

[note: cur hic specialius nihil praescribi possit.] 23. Hae ita erunt metae, haec pensa, scholae maternae: quae specialius explicari, aut per tabellaturam, quid et quantum singulis annis, mensibus, diebus, peragi queat (que~admodum in vernacula et latina faciendum suadebimus) non aeque ut in scholis sequentibus ostendi possunt, duas ob causas. Primo, quia parentibus inter operas domesticas non tam accurate observare licet ordinem ut in schola publica, ubi nihil aliud agitur quam juventus politur. Secundo, quia ingenium et docilitas inaequaliter admodum in pueris se proferunt, maturius in hoc, serius in illo. Quidam bimuli jam egregie sunt linguaces, et ad omnia vegeti: alii vix quinquennes istis paria faciunt: ut omnino hanc primam primae aetatulae formationem parentum prudentiae committi necesse sit.

[note: praeterquam subsidia duo pulchra: i. Informatorium scholae maternae] 23. Duo tarmen hic utiliter fieri possunt. Primo: conscribatur libellus monitorius ad parentes et nutrices, ut ne munia sua ignorent. Atque in hoc sigillatim describantur omnia illa, ad quae infantiam formari necessum est: et quibus occasionibus unumquodque aggrediendum: quibusque modis et formulis, verborum et gestuum, instillandum. Cujusmodi libellus (sud informatorii scholae maternae nomine) [note: ii. Excitatorium sensuum.] A nobis conscriptus esto.

24. Alterum, quod exercitiis maternae hujus scholae inserviat erit libellus imaginum, ipsis tandem pueris subinde in manum dandus. Quia enim hic potissimum exercendi sunt sensus, ad impressiones rerum obviarum: visus autem inter sensus maxime eminet: rem fecerimus, si huic subjiciamus omnia primaria physica, optica, astronomica, geometrica etc. Vel eo scibilium ordine, quem delineavimus modo. Hic enim pingi possunt mons, vallis, arbor, avis, piscis, equus, bos, ovis, homo, varia aetate et statura. Lux item et tenebrae: coelum cum sole, luna, stellis, nube: colores cardinales. Domestica etiam et opificum instrumenta, ollae, patinae, vrcei, mallei, forcipes etc. Item dignitatum imagines; ut, rex cum sceptro et corona: miles cum armis: rusticus cum aratro: auriga cum plaustro: tabellarius in cursu et superimposita ubique inscriptione, quid unumquodque [note: vsus libella li bujus] sit, equus, bos, canis, arbor etc.

25. Libelli hujus triplex erit usus. 1 ad rerum impressionem juvandam, ut jam dictum.

2 ad inescandum ingenia tenella, in quibusuis libris quod oblectet quaerendi. 3 ad literarum lectionem facilius addiscendam. Quia enim eaedem rerum imagines nomina sua supra scripta habebunt, poterit inde literarum docendarum initium fieri.

Cap. Xxix. Idea scholae vernaculae.

[note: vernaculae scholae latinis praemittendae] omnem utriusque sexus juventutem in scholas publicas esse mittendam docuimus c. 9. Nunc addo, omnem juventutem scholis vernaculis primo esse committendam: contra quam quorundam habet opinio. Zepper. L. I. Polit. Eccl. C. 7. Et alstedius scholasticae c. 6. Suadent in scholas vernaculas mitti puellas et pueros illos solum, qui mechanicis artibus aliquando se applicabunt: pueros autem qui adspirant ex destinatione parentum ad uberiorem ingenii culturam, non in vernaculas, sed recta in latinas deduci. Addit alstedius. Dissentiat qui volet: ego propono eam viam et rationem, quam velim teri ab iis, quos optime institutos optem. At nos dissentire didacticae rationes nostrae cogunt.

[note: quia 1.] 2. Nempe 1. Generalem nos intendimus institutionem, omnium qui homines nati sunt, ad omnia humana. Una ergo ducendi, quousque una duci possunt, ut se mutuo animent,[note: 2.] Excitent, acuant, omnes. 2 omnes formari volumus ad virtures omnes, etiam modestiam, concordiam, officiositatem mutuam. Ergo non distrahendi tam mature, nec objicienda quibusdam sibi prae caeteris complacendi, aliosque prae se despectandi, occasio. [note: 3.] 3 circa sextum aetatis annum determinare velle, cui vocationi quisque aptus sit, literis an opificio, praecipitantia quaedam videtur: nondum hic vel ingenii vires, vel animorum inclinationes, satis se proferunt, melius utrumque postea patelcet: quemadmodum in horto, quas herbas eruncari, quas relinqui, oporteat, non agnoscas dum tenellae sunt, sed postquam succrevêre. Neque solorum divitum aut nobilium, et qui magistratum gerunt liberi ad similes dignitates nascuntur, ut solis illis latina schola pateat, caeteris veluti sine spe abjectis. Ventus quo vult spirat: nec semper stato tempore spirare incipit.

[note: 4.] 3. Quarta nobis ratio est, quod universalis nostra methodus non solam illam, vulgo tam impotenter adamatam nympham, latinam linguam, petit, sed excolendis pariter vernaculis omnium gentium linguis (ut omnis spiritus magis magisque laudet dominum) viam quaerit: quam intentionem tam licentioso totius vernaculae transultu turbari non oportet.

Page 173/174, image: s112

[note: 5.] 4. Quinto, exoticam linguam docere velle aliquem antequam domesticam teneat, perinde est ac si filium equitare discere velles, antequam ambulare sciat. Praestar distincte agere, uti c. 16. Fund. 4. Demonstratum est. Quemadmodum igitur cicero, eum se negabat posse docere dicere, qui nesciat loqui: ita methodus nostra satetur nescire eum docere latine, qui nesciat vernacule; quia hanc ad illam manuductricem constituit.

[note: 6.] 5. Tandem, quia nos eruditionem quaerimus realem, aeque facile per exteriorem ejus ambitum deduci possunt auxilio librorum vernaculorum, nomenclaturam rerum absoluentium. Quo facto, latinam tanto facilius discent, rebus jam notis nomenclaturam solum novam adaptantes; et rerum cognitioni per [gap: greek word(s)], speculationem per [gap: greek word(s)]superaddentes eleganti gradatione.

[note: vernacularum fines ac metae.] 6. Stante ergo hypothesi nostra de quadruplici schola, vernaculam sic delineamus. Vernaculae scopus metaque erit, ut omnis juventus inira

annum aetatis sextum et duodecimum (seu decimum tertium) ea addoceatur, quorum usus per totam vitam se extendat. Nempe

I. Omnia vernacula, typis et calamo scripta, expedite legere.

Ii. Scribere, primum concinne, tum celiriter, tandem proprie, secundum vernaculae grammaticae leges, quas eis popularissime proponi, et juxta eas exercitia institui, opus erit.

Iii. Numerare, cifris et calculis, ad necessitatem.

Iv. Mensusare secundum artem, quo quomodo, longitudines, latitudines, distantias etc.

V. Cantare melodias quasuis usitatas: et qui fuerint aptiores, figuralis quoque musicae initia.

Vi. Psalmodias hymnosque sacros, qui ecclesiae cujusuis loci sunt in usu, plerosque omnes memoria tenere: ut innutriti laudibus dei, sciant (quemadmodum apostolus loquitur) docere et commonere semetipsos, psalmis, hymnis, et canticis spiritualibus, cum gratia cantantes in cordibus suis deo.

Vii. Praeter catechesin, historias et dicta praecipuatotius sacrae scripturae ad unguem sciant ut recitare possint.

Viii. Doctrinam morum, regulis comprehensam, exemplisque ad captum aetatis illustratam, teneant, intelligant, praxi exercere incipiant.

Ix. De oeconomico piliticoque statu tantum cognoscant, quantum ad intelligendum ea quae domi et in civitate fieri vident quotidie, sufficiat.

X. Historiam generalissimam mundi conditi, corrupti, restituti, sapientiaque dei hactenus administrati, non ignorabunt.

Xi. Cosmographiae praecipua, de coeli rotunditate, terre in medio pendentis globositate, oceani ambitu, marium et fluminum varia insinuatione, terrarum partibus majoribus, regnis europae praecipuis; inprimis autem patriae suae vrbes, montes, flumina, et si quid memorabile, addiscant.

[note: n. B.] Xii. Tandem, de artificiis mechanicis cognoscant pleraque omnia generaliora: vel eo solum fine, ut ne quid adeo crasse, quid in rebus humanis fiat, ignorent, vel etiam ut se postea. Facilius naturae inclinatio, quo quisque potissimum feratur, prodat.

[note: cur tam ampli hic ponantur fines.] 7. Atque haec omnia si dextre fuerint in hac vernacula schola expedita, fiet ut adolescentibus non solum latinam ingressis, sed et per agriculturam, mercaturam, opificia, dilapsis, nihil usquam adeo novum occurrere possit, cujus illi non hic jam hauserint gustum: ideoque omnia illa quae post in sua quisque arte tractaturus, vel in sacris concionibus, aut alibi, auditurus, vel denique in libris quibusuis lccturus est, nihil sutura sunt nisi rerum jam ante praecognitarum vel uberior dilucidatio, vel particularior diductio: illique ad omnia illa rectius intelligendum, agendum, dijudicandum, reipsa se idoneos experientur.

[note: media ad hos fines deducere idonea.] 8. Ad hunc obtinendum scopum media sunto ista.

[note: i. Classes] i. Vernaculae scholae coetus, sexennio in his operis detinendus, sex in classes (quantum potest loco etiam separatas, ne se mutuo impediant) dispescitor.

[note: ii. Libri.] Ii. Classibus singulis proprii sui destimantor libelli; qui omnia illi classi debita (quantum ad literaturae, morum, pietatisque materiam) exhauriant: ut nullis praeterea libris, dum intra hos deducuntur cancellos, opus sit, horum autem ope ad metas deducantur infallibiliter. [note: n. B.] Nam et linguam totam vernaculam ut exhauriant libelli isti, necesse erit: omnes puta rerum, quarum pueri per aetatem capaces sunt, appellationes, praecipuosque et usitatissimos loquendi modos.

[note: librorum classicorum materia eadem, forma tantum different.] 9. Pro numero igitur classium libelli isti erunt sex: non tam materiis quam forma inter se differentes. Omnes enim omnia tractabunt: sed prior quisque proponet generaliora, notiora, faciliora: posterior ad specialiora, ignotiora, difficiliora, intellectum promovebit: aut inferet novum quendam res eas dem considerandi modum, ad novas faciendum ingeniis delicias. Ut mox patebit.

[note: omniaque illis ad aetatulae indolem accommodata.] 10. Accurandum enim est, ut omnia hic puerilibus ingeniis sint accommodata, quae natura sua ad jucunda, jocosa, ludicra, feruntur, a seriis et severis fere abhorrent. Ut ergo seria, olim scrio profutura, et disci, et facile atque jucunde disci possint, miscendum ubique est utile dulci, quo per illecebras quasi perpetuas trahantur, et quo volumus pertrahantur, ingenia.

Page 175/176, image: s113

[note: titulis ornentur pulchris, ad alliciendum.] 11. Insigniantur etiam libelli hi titulis, qui suavitate juventutem alliciant, simulque omnia contenta eleganter exprimant. Quales futuros spero ab hortorum, amoenissimae illius possessionis, generibus desumptos. Quia enim schola horto comparatur, quidni libellus primae classis
dicatur violarium, secundae rosarium, tertiae viridariumetc.

[note: omnes artium termini vernacule hic exprimendi: cur?] 12. Verum de his libris, eorumque materia et forma, specialius alibi. Hoc addo: quia vernacule scribuntur, vernacule terminos etiam artium exprimendos esse, non latinis aut graecis utendum. [note: 1.] Ratio: i. Consultum volumus juventuti, ut omnia sine mora capiant. Jam autem peregrina necesse habent prius explicari quam intelligantur: nec tamen explicata etiam intelliguntur, sed significare solum id quod significant creduntur: aegreque memoria retinentur. Cum in domesticis nihil nisi rem voce significatam explicari sit opus: mox intelliguntur, et memoriae imprimuntur. Remoras igitur et cruces abesse volumus a prima [note: 2.] Hac informatione, ut fluant omnia. 2 praeterea, excoli volumus linguas vernaculas: non more gallorum, terminos graecos et latinos, plebi non intellectos, retinentium (quos eo nomine taxat stevinus): sed omnia exprimendo vocibus vulgo perceptibilibus. Qualiter idem stevinus belgis suis suasit, (geog. L. I.) Et pulchre in mathem. Praestitit.

[note: objectio trina.] 13. Potest quidem, et solet, opponi, non tam opulentas esse linguas omnes, ut aeque feliciter graeca et latina reddi queant. Item quamvis reddantur, eruditos tamen suis terminis adsuetos non recessuros ab illis. Denique praestare ut pueri latinis

initiandi jam hic ad suescant eruditorum lingua, ne denuo post disci necesse sit terminos technicos.

[note: resp. Ad object. Primam] 14. Verum resp. Non linguarum sed hominum esse culpam, siquae lingua obscura, mutila, imperfecta deprehenditur, ad res necessarias eloquendum. Aeque lat. Et graecis singenda prius fuerunt vocabula, quam usu receptasunt: fueruntque primum visa aspera, obscura, ut dubitarent ipsimet emolliri posse; quibus tamen postquam receptae sunt, nihil significantius. Ut de vocibus ens, essentia, substantia, accidens, qualitas, quidditas etc. Constat. Non ergo linguae ulli deerit quidquam si hominibus non desit industria.

[note: ad 2.] 15. Quantum ad secundum, retineant sane sua sibi eruditi: nos nunc idiotis consultum imus, quomodo ad intelligendum quoque liberales artes et scientias promoveri possint: videlicet, ne peregrino ore, et lingua exotica, illis loquamur.

[note: ad 3.] 16. Qui denique puerorum linguas postea discent, tam parum incommodi inde sentient, quod technicos terminos lingua patria tenent, atque inde, quod prius deum patrem appellarint lingua sua, quam latina.

[note: iii. Tertium requisitum methodus bona cujus leges quatuor.] 17. Requisitum tertium erit methodus hos libros juventuti proponendi facilis: quam hypomnematibus includimus sequentibus.

I. Non nisi quaternae horae studiis publicis tribuantur quotidie: binae ante, totidem post meridiem, reliquae domesticis servitiis (praesertim apud pauperiores) vel recreationibus quibusuis honestis, utiliter impendi poterunt.

Ii. Matutinae horae ingenio et memoriae excolendis, pomeridiane manui et voci exercendis, consecrentur.

Iii. Matutinis ergo horis praeceptor pensum illus bor ae omnibus auscultantibus praelet et releget, et si quid explicatione egebit popularissime explicabit, ut non possint non capere. Tum jubebit ipsos relegere exordine: ut dum unus clare et distincte legit, caeteri suos inspectando libellos tacite subsequantur: quod ubi per mediam horam, vel ultra, continuabitur, fiet ut ingeniosiores sine libro idem recitare tentent, tandemque tardiores etiam. Pensa enim illa breviuscula erunt, horariis spatiis et puerilium ingeniorum capacitati proportionata.

Iv. Quae pomeridianis horis magis etiam firmabuntur, quibus nihil novum tractari volumus, sed eadem repeti: et id quidem partim transcriptione eorundem libellorum impressorum, partim concertatione, quis alio promptius omnia ante acta teneat, et reddat, aut certius elegantiusue scribat, cantet, numeret etc.

[note: omnes classicos libellos manu discipulorum describi cur suadeatur. 1.] 18. Libellos suos impressos ut manu propria, describant pueri omnes, quam mundissime, non frustra suademus.nam (1) serviet id ad omnia rectius memoriae imprimendum, sensu diutius circa easdem materias occupato. (2) comparabunt sibi quotidiano hoc scribendi [note: 2.] Exercitio calligraphiae, tachygraphiae, orthographiaeque habitum, ad ulteriora studia [note: 3.] Vitaeque negotia valde necessarium. (3) liberorum parentibus evidentissimo id erit argumento, agi in schola quae agenda sunt: poteruntque de profectu illorum, quam feliciter seipsos superent, facilius judicare.

[note: consilium de linguarum exoticarum interponendo studio] 19. Particulariora quaeque in aliud tempus reservamus. Hoc interim monentes, ut si qui pueri edicendis vicinarum gentium linguis operam dare debebunt, id hic fiat, circa aetatis annum decimum, undecimum, duodecimum: nempe inter scholam vernaculam et latinam. Id quod commodisme fiet si eo mittantur, ubi non vernaculae suae, sed ejus quam discere debent, usus sit quotidianus. Et si libellos scholae vernaculae (sibi jam ante, quantum ad materiam, notos) eadem nova lingua legant, scribant, memoriae mandent, et exercitiis inde sumptis, manu et lingua, excolant.

Cap. Xxx. Scholae latinae delineatio.

[note: metae hujus linguae quatuor, totaque artium encyclopaedia.] Metas huic figimus, ut cum linguis quatuor tota artium encyclopaedia exhauriatur.

Page 177/178, image: s114

Nempe ut deductos legitime per has classes adolescentes sistamus.

I. Grammaticos, omnium in sermone rationes latine et vernacule perfecte, graece et hebraice ad necessitatem, reddere valentes.

Ii. Dialecticos, definire, distinguere, argumentari et argumenta soluere, pulchre peritos.

Iii. Rhetoricos seu oratores, de quavis data materia eleganter sermocinari gnaros.

Iv. Arithmeticos, et v. Geometras: tum ob varias vitae necessitates, tum quia hae scientiae inprimis ad alia ingenium excitant et acuunt.

Vi. Musicos, practicos et theoricos.

Vii. Astronomos, saltem in fundamentalibus, nempe doctrina sphaerica et computo, versatos: quandoquidem sine his et physica, et geographia, et magnam partem historia, caeca est.

2. Atque haec erunt decantatae illae septem liberales artes; quarum cognitionem philosophiae magistrum absoluere vulgus opinatur. Sed nostri ut altius assurgant, placet insuper esse,

Viii. Physicos, qui mundi compagem, elementorum vim, animalium differentias, plantarum et metallorum vires, corporis humani structuram etc. Intelligant: tam in genere, ut in se sunt, quam in applicatione creaturarum ad usus vitae nostrae: quod medicinae, agriculturae, caeterarumque mechanicarum artium partem, exhauriet.

Ix. Geographos: qui mente depictum circumferant orbem terrarum, et maria cum insulis, et flumina, et regna gentium etc.

X. Chronologos, qui seculorum revolutionem a temporis exordio per suos articulos teneant.

Xi. Historicos, qui notabiliores generis humani et regnorum praecipuorum, ecclesiaeque mutationes, gentiumque et hominum varios ritus et casus etc. Enumerare bona ex parte sciant.

Xii. Ethicos, qui virtutum et vitiorum genera et differentias exacte observare, haec fugere illas sequi, norint: tam in generali idea, quam in speciali applicatione, quantum ad vitam oeconomicam, politicam, ecclesiasticam etc.

Xiii. Denique theologos fieri volumus: qui non solum fidei suae fundamenta teneant, sed eadem e scripturis tueri quoque possint.

3. In his omnibus, studiorum sexennii hujus cursu peracto, adolescentes sisti cupimus, si non perfectos (perfectionem enim nec juvenilis aetas admittit, cum experientia longiore sit opus ad theorian praxi sirmandam, nec uno sexennio eruditionis oceanum exhauriri possibile est) certe tamen futurae cujusdam perfectae eruditionis fundamenta solida habentes.

[note: ad metas illas via, classis sextuplex.] 4. Obusque erit pro distincta sexennali cultura distinctis classibus sex: quarum, ab infima numerando, appellationes esse queant istae classis i. Grammatica.

Classis ii. Physica.

Classis iii. Mathematica.

Classis iv. Ethica.

Classis v. Dialectica.

Classis vi. Rhetorica.

[note: cur grammaticae classi non immediate submittenda rhetorica et dialectica.] 5. Quod grammaticam, veluti clavigeram, praemittamus, nemo litem movebit, spero: hoc autem possit illis qui consuetudinem pro lege sequuntur mirum videri, quod dialecticam et rhetoricam realibus scientus usque adeo postponamus. Sed ita convenit. Evicimus enin jam, res ante modum rerum, materiam sc. Ante formam, tradi debere: et hanc unam methodum ad solidos celeresque progressus faciendum aptam esse, ut prius instruamur rerum cognitione, quam eas jubeamur vel dijudicare acute, vel verbis enuntiare floride. Alioquin, habeas in parato omnes disserendi eloquendique modos, sis tamen a rebus quas examines aut persuadeas egenus, quid examinabis aut persuadebis? Ut virginem non impraegnatam parere impossibile est, ita res rationabiliter eloqui impossibile eum, qui rerum cognitione praeimbutus non est. Res per se sunt, id quod sunt, qua~vis se illis nulla ratio aut lingua applicet: ratio vero et lingua tantum circa res versantur, et ab illis pendent: sine rebus aut evanescunt, aut fiunt sine mente sonus, conatu vel stupido vel ridiculo cum ergo ratiocinatio et sermo in rebus fundentur, fundamentum praemitti ipsa necessitas flagitat.

[note: cur moralis postponatur naturali.] 6. Naturalium vero scientiam praemitti debere doctrinae mor alium, quanquam a multis contrarium fiat, evicerunt argumentis viri docti. Lipsius physiologiae l. I. C. I. Ita scribit. Nobis magnorum auctorum sententia placeat: et consentiam sciscamque physica primo loco tradi. Voluptas in hac (philosophiae) parte major, idonea ad alliciendum et tenendum; dignitas etiam major, et splendor admirationi excitandae: denique animi praeparatio et cultus ad ethicam cum fructu audiendam.

[note: mathesis cur non praemittatur physicae, antiquorum exemplo?] 7. De classe mathematica dubitari possit, secuine physicam debeat, anpraeire? Antiqui sane a studiis mathematicis rerum contemplationem ordiebantur: unde et nomen illis disciplinarum [gap:

greek word(s)] indidêre: et plato academiam suam neminem [gap: greek word(s)] ingredi voluit. Causa in promptu est, quia scientiae illae circa numeros et quantitatem versantes magis constant sensu, ideoque faciliores et certiores sunt, vimque imaginativam colligunt et figunt: tandemque ad alia etiam, magis a sensu remota, disponunt et excitant.

8. Haec omnino vera sunt: nobis tamen alia quaedam consideranda hic fuêre. [note: resp. 1.] Nempe 1 suasimus nos in schola vernacula sensus exercitari, et ingenia excitari, sensualibus, etiam numerorum doctrina

---

Page 179/180, image: s115

Diligenter culta: jam ergo nostri non omnino [note: 2.] [gap: greek word(s)] hic erunt. 2 methodus nostra gradatim semper procedit. Antequam ergo ad sublimiores quantitatum speculationes veniatur, commode interseritur concretorum doctrina de corporibus, ad abstracta illa subtilius prensanda gradum [note: 3.] Factura. 3 adjungimus nos mathematicae classis penso artificialia pleraque: quorum cognitio facilis et vera sine naturalium doctrina haberi vix potest: praemittimus ergo. Verumenim vero si aliorum rationes, aut praxis ipsa aliud nihilominus evicerint, contra pugnare animus non est. Nunc ut rationes nostrae sunt, ita statuimus.

[note: physicae praemittenda metaphysica sed qualis?] 9. Post adeptum sic mediocrem (ope vestibuli et januae, quibus classem primam tribuimus) latinae linguae usum: proponi discipulis suademus scientiam generalissimam, quam sapientiam primam, vulgo autem metaphysicam vocant, (rectius autem nostro judicio [gap: greek word(s)] seu [gap: greek word(s)] (antenaturalis,seu subnaturalis doctrina) diceretur.) Nimirum ut haec prima et ima naturae fundamenta detegat: necessaria puta rerum omnium requisita, et attributa, et differentias: cum generalissimis rerum omnium normis, tum definitionibus, tum axiomatibus, tum ideis atque structuris. Quibus cognitis (id autem facile admodum fiet methodo noltra) particularia post omnia ita speculari liceat, ut potiori ex parte quasi praenota jam videantur, nihilque adeo novum videatur, praeter generalium ad specialia quaeque applicatio. Immediate igitur ab his generalibus, vel trimestre illis impendendo (influent enim facillime, quia veluti mera principia erunt, quae omnis humanus sensus insito lumine ultro agnoscat et admittat) in mundi visibilis speculationem veniatur, ut naturae artificia (in prophysicis monstrata) naturae primum exemplis particularibus parescant magis magisque. Hoc studium dabit classim physicam.

[note: physicam classem sequitur mathematica: hanc ethica] 10. Tum ab essentia rerum, venietur in accidentia rerum accuratius speculanda: quod vocamus classim mathematicam.

11. Mox discentibus homo ipse cum actionibus liberae voluntatis suae, tanquam rerum dominus, speculandus veniet: ut observare discant, quid potestati et arbitrio nostro subjaceat, quid non? Et quomodo ad leges universi administrari conveniat universa etc. Haec docebuntur anno pvarto in classi ethica. At illa omnia non amplius historice solum, per [gap: greek word(s)]quemadmodum in vernaculis rudimentis fiebat: sed per [gap: greek word(s)] ut jam in rerum [note: n. B.] Causas et effecta attendere adsuescant. Cavendo tamen in his quatuor classibus primis admiscere quidquam controversi: quia haec integre volumus reservari classi quintae, [note: classis dialectica] uti sequitur.

12. In classi igitur dialectica, post praemissa et interserta brevissima ratiocinationis praecepta, percurri volumus materias physicas, mathematicas, ethicas; et quidquid majoris momenti

occurret, quod inter eruditos in controversias venit, hic demum ventilari. Ubi doceatur: quae controversiae origo? Quis status? Quae thesis et antithesis? Quibus argumentis veris, aut verisimlibus, haec aut illa propugnetur? Tum detegatur alierius assertionis error, et erroris occasio, et argumentorum fallacia, proque thesi vera argumentorum robur etc. Aut rursum, si utraque assertio veri aliquid habet, reconciliatio. Ita eadem opera fiet, tum praemissorum repetitio jucundissima, tum non intellectorum prius illustratio utilissima; et ars ipsa ratiocinandi, ignota vestigandi, obscura declarandi, ambigua distinguendi, generalia limitandi, vera veritatis ipsius armis propugnandi, falsaque convellendi, et denqive confusa ordinandi, perpetuis exemplis, h. e. via brevi et efficaci, compendiose docebitur.

[note: classis rhetorica.] 13. Postrema classis rhetorica erit, in qua volumus exerceri praxin veram, facilem, jucundam, omnium bucusque tradiorum: e qua constet, didicisse aliquid nostros, nec hic fuisse frustra. Nempe juxta socraticum illud, loquere, ut te videam, quorum hactenus formavimus mentem potissimum ad sapientiam, eorum jam formari volemus linguam ad sapientem eloquentiam.

14 praemissis ergo iterum brevissimis et dilucidissimis eloquentiae praeceptis, ad exercitia veniatur: imitationem sc. Optimorum quorumvis dicendi magistrorum. Non tamen circa easdem materias haerendo, sed excursando iterum in omnes veritatis et varietatis rerum campos, et honestaris humanae vireta, sapientiaeque divinae paradisos: ut quidquid verum et bonum, utile scil. Jucundum, honestum, esse sciunt, id etiam pulchre eloqui, potenterque ubi opus urgere, sciant. Cui rei hoc loco jam constituti habebuut supellectilem non contemnendam: cognitionem nempe rerum omnigenarum pulchram, verborum autem, phrasium, adagiorum, sententiarum, historiarum etc. Apparatum fere sufficientem.

[note: studium historicum per omnes classes spargendum.] 15. Verum de his particularius alias, si opus: nam praxis ipsa caetera ultro dabit. Hoc solum addere libet. Quia constat historiarum cognitionem pulcherrimam eruditionis partem esse, vitaeque totius veluti oculum, placet hanc per omnes hujus sexennii classes spargi: ut quidquid admodum memorabile ab omni antiquitate factum aut dictum esse constat, id nostri ne ignorent. Ea tamen prudentia studium hoc dispensari posse optandum est, ut discipulis laborem non tam augeat, quam emolliat, severiorumque studiorum condimentum fiat.

[note: et quomo do.] 16. Nos ita cogitavimus: posse pro quavis classe peculiarem libellum, certo historiarum genere refertum, concinnari: nempe ut proponatur

---

Page 181/182, image: s116

In classe i. Historiarum biblicarum epitome.

In classe ii. Historia naturalium.

In classe iii. Artificialium, de inventionibus rerum.

In classe iv. Moralium, exellentiora virturum exempla etc.

In classe v. Ritualis, de variis gentium ritibus etc.

In classe vi. Universalis, totius mundi, et praecipuarum gentium, inprimis vero patriae: omnia compendiose, necessariis nullibi omissis.

[note: monitum de methodo hic uniformi perpetuo.] 17. De methodo speciali in his scholis usurpanda nihil nunc dicam, nisi hoc: publicas ordinarias quatuor horas ita nos optare dispensari, ut matutina utraque (post sacrum pietatis exercitium) cedat scientiae seu arti illi, a qua classis denominatio est: pomeridianam vero primam occupet historia; secundam exercitatio, styli, vocis, manus, prouti materia cujusuis classis requirit.

Cap. Xxxi. De academia.

[note: de academia cur hic agatur.] Non quidem eo usque se extendit methodus nostra: attingere tamen quo hic etiam vota eant, quid vetat? Diximus ante, academiis scientiarum omnium fastigia et complementa, superioresque facultates omnes, jure suo relinqui.

2. Optamus igitur ibi,

[note: vota pro iis tria.] I. Studia tractari vere universalia: ut nihil sit in literis et sapientia humana, cujus non ibi exerceatur mercatura.

Ii. Modos adhiberi faciliores et certiores: ad imbuendum omnes qui huc veniunt eruditione solida.

Iii. Publicis honoribus mactari non nisi solos qui feliciter attigerunt metas suas: dignique et idonei sunt, quibus rerum humanarum gubernacula tuto committantur. Quae singula quid requirere videantur, innuemus modeste.

[note: i. Ut sint vere studiorum universitates.] 3. Ut academica studia universalia sint, opus est 1 professoribus omnium scientiarum, artium, facultatum, linguarum, eruditis et gnavis, qui de se veluti viva repertoria, expromant et communicent omnibus omnia. 2 bibliotheca selecta variorum auctorum, communis omnino usus.

[note: ii. Ut methodum habeant vere universalem.] 4. Operae ipsae, academicae procedent facilius et felicius, si, primum, sola selectiora ingernia, flos hominum, huc mittantur; reliquis ad stivam, et opisicia, et mercaturam, qui eo nati, ablegatis.

[note: vbi observanda. I. Ii.] 5. Secundo, si unusquisque studio illi, cui eum naturam destinasse certis indiciis colligi potest, se applicet. Ut enim naturae instinctu alius alio melior fit musicus, poeta, orator, physicus etc. Ita alius alio aptior est theologiae, medicinae, jurisprudentiae. Sed hic nimis crebro peccatur, dum ex quovis ligno mercurios fingere volumus pro arbitrio, non observantes naturae iuclinationem. Hinc fit, ut invita minerva hoc illudve studium involantes, nihil laude dignum praestemus: saepeque plus valeamus in quovis [gap: greek word(s)], quam in [note: n. B.] Vocatione propria. Consultum ergo esset sub exitum scholae classicae publicum ingeniorum examen institui a scholarchis: illorumque arbitrio determinari, quosnam adolescentum ad academiam mitti; et quos ad alia vitae genera destinari, conveniat. Persequuturi item studia, quinam theologiae, aut politiae, aut medicinae etc. Tradere sese debeant? Prouti vel naturae inclinatio se prodit, vel etiam necessitas ecclesiae et reipublicae flagitat.

[note: iii.] 6. Tertio, heroica ingenia exstimulari conveniet ad omnia, ut ne desint [gap: greek word(s)], aut [gap: greek word(s)], et [gap: greek word(s)].

[note: iv.] 7. Providendum tamen, ut academiae solos diligentes, honestos, solertesque alant; pseudostudiosos, qui otio et luxu patrimonium et annos, noxio in caeteros exemplo, profundunt, ne tolerent. Ita ubi pestis nulla, contagio erit nulla: omnibus in id quod agendum est intentis.

[note: v. Consilium de auctoribus omne genus epitomandis. N. B.] 8. Pervoluendum in academia esse omne auctorum genus, diximus. Hoc ut ne sit operosum nimis, et tamen utile, optandum est exorari posse viros doctos, philologos, philosophos, theologos, medicos etc. Ut eandem velint studiosae juventuti gratiam praestare, quam geographiae studiosis praestant geographi: integras provincias, et regna, et mundos, tabulis includendo, et longissimos terrarum, mariumque tractus uno obtutu oculis subjiciendo. Quidni enim quo pictores modo terras, urbes, domos, homines, secundum omnia majora ad vivum repraesentant, eodem modo cicero, livius, plato, aristoteles, plutarchus, tacitus, gellius, hippocrates, galenus, celsus, augustinus, hieronymus etc. Repraesententur? Non per excerptas sententias et flosculos solum (uti factum in nonnullis) sed per integra, in summas tamen contracta, systemata.

Page 183/184, image: s117

[note: vsus illius rei pulcher, quadruplex.] 9. Ejusmodi auctorum epitomae usum haberent elegantem. Primo, pro illis quibus [note: 1.] Prolixa legere non vacat, ut nihilominus auctorum quorumvis cognitionem sibi [note: 2.] Comparent generalem. Secundo, pro illis, qui (ex consilio senecae) unius alicujus ingenio familiariter se applicare cupiunt (nec enim omnia omnibus aeque conveniunt) ut facilius, et cum judicio, delectum faciant, postquam pluribus gustatis hoc aut illud in primis palato arridere senserint. [note: 3.] Tertio, quibus ipsi auctores evoluendi sunt integre, compendia haec praeparabunt insigniter ad legendum cum fructu: prorsus ut peregrinaturo chorographiam regionis e charta praecognovisse prodest, ad facilius, certius, jucundius, omnia particularia quae se oculis post
ingerent, [note: 4.] Spectandum. Denique omnibus inservient breviaria illa, ad repetitiones auctorum cursim instituendas: ubi semper aliquid quod haereat, et in succum eat, occurret.

[note: de illarum epitomarum editione consilium.] 10. Possent autem ejusmodi auctorum summaria et seorsim (pro usu pauperiorum, aut quibus ipsa grandia volumina evoluere non est integrum) edi; et praejungi auctoribus suis, ut qui se lectioni ejus accingit, complexum totius primo apprehendat.

[note: vi. Consilium de collegiis gellianis in academia urgendis.] 11. Quanium ad exercitia academica: nescio an [gap: greek word(s)] publicas, forma collegii gelliani temperatas, introduci valde e re sit. Nempe ut quidquid professor publice tractat, scriptores eandem materiam tractantes, optimi quique distribuantur studiosis legendi privatim. Et quidquid ejus antepomeridiana hora professor publice enarravit, de eodem hora pomeridiana in toto iterum caetu disceptatio fiat. Nempe, studiosis quaestiones proponentibus; sive quid non satis aliquis assequutus, sive scrupulum nactus, sive discrepantem in auctore suo sententiam, argumentis suis subnixam, reperit, et quidquid simile. Ubi liceat cuivis e turba (ordine tamen aliquo

servato) respondere: et aliis rursum, num quaesito satis fiat, judicare et pronuntiare: tandemque professori, ut praesidi, controversiam terminare incumbet. Ita videtur quidquid multi legerint, in unum colligi posse: non solum ut communi omnium usui cedant omnia, sed et valide se mentibus imprimant, ad faciendum vere solidos in scientiarum theoria et praxi progressus.

[note: iii. Tertiut vonim, de non coronando absque victoria quoquam.] 12. Ab hac collegiata exercitatione videtur haud difficulter impetrari posse, quod ultimo optavimus loco, et optant pridem omnes boni: ut ad honores publicos nonnisi digni admittantur. Obtinebitur inquam id, si res haec non a privato unius et alterius arbitrio, sed a publica omnium conscientia et testimonio, pendeat. Semel itaque anno, ut inferiorum scholarum a scholarchis suis, ita academiarum a legatis regiis, aut reipublicae, visitatio fiat: atque hic quam sedulo acta sint omnia cognoscatur, ratione docenrium et discentium: quorumque ex his diligentia eminuerit maxime, referant virtutis suae testimonium publicum, doctoralem aut mangistralem corollam.

13. Ubi ne fucus fiat, loco disputationum [note: victoriae modus.] Pro gradu convenientissimum erit candidatum (aut plures simul) in medio sisti, sinc praeside. Atque tum doctissimi quique, et in praxi jam versati, opponant quidquid facere putant ad explorandum profectus, in theoria et praxi. Ex: gr: quaestiones varias e textu (sacri codicis, hippocratis, juris etc) ubi hoc, ubi illud et istud, scriptum? Quomodo cum hoc et illo consentiat? Sciatne aliquem auctorem dissentientem? Et quem? Et quid argumentorum opponat; et quomodo soluendum sit? Et similia. Practice autem; proponantur illi casus varii, conscientiae, morborum, causarum: quomodo hic et illic procedere vellet? Et cur ita? Urgeaturque instantiis, et casuum varietate, donec appareat eum sapiemer, et ex vero fundamento, de rebus judicare posse etc quis non speret diligentiam adhibituros, qui tam publicum, tam serium, tam severum examen sibi fore sustinendum sciant?

[note: de peregrinando.] 14. [note: de peregrinationibus] (quibus in hoc ultimo sexennio, aut exacto illo, locum dedimus) nihil monere opus est: nisi forsan, placere nobis, et cum rationibus nostris coincidere, platonis judicium, qui juventutem peregrinari ante vetuit, quam omnem aetatis igneae impotentiam despumasset, eique prudentia et solertia ad peregrinandum necessaria adesset.

[note: de schola scholarum: quis ejus finis, et usus.] 15. Nec jam attingendum, quam necessaria foret schola scholarum, sive collegium did acticum, ubi ubi gentium fundandum: aut certe, si illius nulla sit spes, inter eruditos, gloriae dei hac etiam ratione promovendae devotos, relictis corporibus ubicunque sunt, sancta fide colendum. Quorum sociatae operae eo tendant, ut scientiarum fundamenta magis magisque eruantur, ad depurandum, et per genus humanum feliciore successu spargendum sapientiae lumen, novisque inventis ultilissimis in melius promovendum res mortalium. Nisi enim semper iisdem haerere vestigiis, aut regredi etiam. Volumus, de progressu bene coeptorum cogitandum est. Cui rei quia nec unus homo, nec aetas una sufficit, plures omnino, et junctim, et successive, continuare coepta necesse est. Collegium hoc universale id prorsus esset scholis reliquis,

---

Page 185/186, image: s118

Quod venter est membris corporis; officina scilicet vitalis, succum, vitam, robur, omnibus suppeditans.

17. Verum nos ad ea, quae de scholis nostris dicenda supersunt regrediamur.

Cap. Xxxii. De scholarum ordine universali plane accurato.

[note: anacephalaeosis superiorum] de scholarum reformandarum necessitate, modoque prolixius disseruimus. Non abs re fuerit, si in aliquam summam conferamus nostra tum vota, tum consilia. Ita habendum est.

[note: summa votorum, ut ars didactica ad certitudmem et elegantiam artis typographicae deducatur.] 2. Cupimus docendi methodum ad eam deduci perfectionem, ut inter consuetam et usurpatam hactenus, novamque hanc, instituendi formam, id appareat discriminis, quod inter usitatam olim libros multiplicandi artem, calamo, et repertam post, usitatamque nunc jam, typis, esse videmus. Nempe, ut quemadmodum typographiae ars, quanquam difficilior, sumptuosior, operosior, longe tamen ad celerius, certius, elegantius, libros exscribendum accomodatior: ita methodus haec nova, quamvis initio difficultatibus terret, recepta tamen serviat erudiendis longe pluribus, certiorique cum profectu, et majore voluptate, quam vulgari [gap: greek word(s)].

[note: ars impressoria quid obtineat prae scriptoria.] 3. Facile cogitatu est, quam parum utilis videri potuerit primi typorum graphicorum inventoris conatus, prae recepto jam tum illo tam libero et expedito calami usu: at res docuit quantas inventio haec efferat commoditates. Primum enim, [note: 1.] Possunt libri alicujus exemplaria typis describere adolescentes duo plura, quam calamis ducenti forsan, intra idem temporis [note: 2.] Spatium. Deinde, manuscripta illa variabunt admodum, foliorum, paginarum, linearum, numero, forma, situ: impressa examussim sibi respondebunt, ut ovum ovo non tam simile sit, atque haec exemplaria inter se omnia: quae res elegantiae [note: 3.] Et nitoris plena est. Tertio, correctene scripta sint, quae scripta sunt calamo, incertum est, nisi revideantur, conferantur, corrigantur, accurate omnia et singula; quod fine labore taedioque multiplici non fit. In exeusis, emendato exemplari unico, reliqua omnia, quamvis millena futura sint, eadem opera emendantur: quod artis ignaro incredibile videatur, [note: 4.] Verissimum tamen est. Quarto, scriptioni (quae calamo fit) recipiendae non quaevis charta idonea est, sed firmior tantum, quae non perfluat: at vero typis quidquid subjicis depingitur, etiam debilis et perfluens papyrus, et linteum etc. [note: 5.] Tandem, typis eleganter libros exscribere possunt, etiam qui eleganter scribere nesciunt, quia nimirum non manu propria, sed paratis ad id affabre characteribus, aberrare nesciis, rem expediunt.

[note: et quid methodus perfecta (quam venamur) prae usitata hucusque.] 4. Non absimile quiddam futurum videtur, si omnia quae ad novam hanc et universalem instituendi formam attinent, recte constituta habuerimus (nostra enim talia esse nondum assevero, [gap: greek word(s)], tantum laudo) ut: (1) minore docentium [note: 1.] Turba multo plures erudiantur, quam modis [note:2.] Nunc usitatis. (2) et sistantur verius eruditi [note: 3.] (3) eruditioneque polita, venustatis [note: 4.] Plena (4) et admittet cultura haec vel eos etiam, qui ineptioribus quodammodo ingeniis, sensuque tardiore, praediti sunt. [note: 5] (5) denique felices in docendo erunt, etiam quos ad docendum natura felices non finxit: quia non tam de proprio ingenio depromet quisquam, quae et quomodo docenda sint, quam potius eruditionem paratam, paratis quoque et in manus datis mediis, juventuti jam instillabit jam infundet. Nempe quemadmodum organicen quivis symphonias quasuis de tabulatura cantat expedite, quas forsan neque componere ipsemet, neque voce assa, aut organo, memoriter cantare posset: ita scholasticus doctor omnia docere quidni queat, si omnia docenda cum omnibus docendi modis, velut in tabellaturas redacta habeat?

[note: particularior hujus rei vestigatio.] 5. Verum retieamus assumptam de arte typographica similitudinem, comparationeque explicatius etiam, quae sit novae hujus methodi concinna

machinatio, edisseram us: ut pateat iisdem fere modis scientias inscribi mentibus quibus externe illinuntur chartis. Quae causa est, cur non inepte fingi possit, et didacticae huic novae adaptari nomen, ad nomen typographae alludens [gap: greek word(s)]. Sed exponamus rem ipsam membratim.

[note: artis typographicae analysis, in res et operas.] 6. Ars typographica habet suas res, et operas. Res praecipuae sunt, charta: typi, atramentum, praelum. Operae, cariae praeparatio; typorum ad exemplar prototypi compositio; atramenti illitio; correctionum exploratio; impressio: desiccatio etc. Quae omnia suos certos habent modos, quibus observatis expedite procedit negotium.

[note: similiterque artis didacticae.] 7. In didachographia (libeat hoc retinere) ita haec se habent. Charta, sunt discipuli, quorum mentes scientiarum characteribus signandae veniunt. Typi, sunt libri didactici, caeteraque ad haec parata instrumenta, ut eorum ope facili nego tio discenda imprimantur mentibus. Atramennium,

---

Page 187/188, image: s119

Est viva praeceptoris vox, sensum rerum transferens de libris in auditorum mentes. Prelum disciplina scholastica est, omnes ad imbibendum doctrinas disponens et adigens.

[note: charta qualis requiratur.] 8. Charta valet cujuscunque fuerit modi, quo tamen mundior, eo recipit et repraesentat impressa nitidius. Ita ingenia methodus haec admittit quidem omnia, at felicius tamen promovebit nitidiora.

[note: typorum ratio ad didacticos libellos. (1.] 9. Tyorum aeneorum ratio pulchram habet ad libellos nostros didacticos (quales requirimus) analogiam. Etenim, primo, sicuti typos necesse est prius fundi, poliri, ad usum accommodari, quam librorum incipiat impressio: ita instrumenta novae methodi necesse prius apparari, quam methodi hujus ordiamur usum.

[note: 2)] 10. Typorum requiritur copia, ut operibus sufficiant: sic et libellorum ac instrumentorum didacticorum, quia molestum, taediosum, damnosum, inchoare opus, et requisitorum defectu a progressu prohiberi.

[note: 3)] 11. Perfectum typograheum omnis generis typos habet, ut ne quid, cujus usus venire posset, desideretur. Ita libros nostros omnia quae ad plenam ingeniorum culturam pertinent exhaurire necessum est; ut quidquid est sciendum, his adminiculis nemo non didicisse queat.

[note: 4)] 12. Typi, ut ad omnem usum in promptu sint, non hinc inde disjecti relinquuntur, sed eleganter per thecas et loculamenta digeruntur. Ita libelli nostri quaecunque discenda offerunt, non offerent confusim, sed dispertitis omnibus quam distinctissime, in annua, menstrua, diurna, horariaque pensa.

[note: 5)] 13. Typi depromuntur e loculamentis ii solum, quibus ad praesens negotium opus est, alii relinquuntur intacti. Ita libelli didactici ii solum pueris dandi in manus, quibus in sua classe opus habent, ne aliis distrahantur, et se confundant.

[note: 6)] 14. Tandem, ut typothetis sua est norma linearis, qua characteres in verba, verba in lineas, lineas in columnas coaptant, ne extra proportionem aliquid eat: ita juventutis

formatoribus dandae in manus normae ad quas exigant operas suas, hoc est, conscribendi illorum in usum libelli informatorii quid quoque loco, et quomodo agendum sit, ne aberretur, commonefacientes.

[note: didactici libri duum generum.] 15. Duplices igitur erunt libri didactici: reales, pro discentibus; et informatorii, pro docentibus, ut istorum sciant urgere usum.

[note: atramentum didacticum quid.] 16. Atramentum didacticum diximus esse praeceptoris vocem. Nam quemadmodum characteres, ut in se sunt, sicci, chartae quidem se (prelo adacti) imprimunt, nihil tamen in ea praeter caeca vestigia, quae post evanescunt, relinquunt: atramento vero tincti evidentissimas expingunt, et quasi indelebiles, imagines. Ita quae pueris muti eorum magistri, labelli, offerunt, revera muta, obscura, imperfecta sunt: sed cum accedit praeceptoris (omnia rationabiliter pro discentium captu explicantis et ad usum applicantis) vox, vivida fiunt, et se alte animis imprimunt, ut demum vere et intelligant quod disciunt, et intelligere se sciant quod sciunt. Quemadmodum autem atramentum impressorium diversi generis est a scriptorio, nempe non ex aqua, sed oleo (et qui arte typographica maxime se commendatos cupiunt, adhibent oleum quam purissimum, cum puluere carbonum e juglandibus) ita vox praeceptoris per suavem et planam docendi rationem, mollissimi olei instar animis discentium insinuare se, secumque res, debet.

[note: prelum didacticum, disciplina.] 17. Tandem, quod typographiis est prelum, hoc scholis disciplina sola efficere valens, ut nemo non culturam recipiat. Quemadmodum ergo ibi quaecunque papyrus fieri debet liber, prelum effugere non potest (quanquam duriores chartae durius, molliores mollius premantur:) ita qui se erudiendum dat scholis, communi disciplinae subjaceat. Cujus gradus sunt. Primo quidem attentio perpetua. Quia enim nunquam puerili diligentiae aut innocentiae satis tuto (progenies adami sunt) fiditur, oculis comitandi sunt quoquo se vertunt. Secundo, increpatio; qua qui exorbitant, in rationis et obsequii viam illico revocentur. Tandem castigatio, si nutu aut monitu regi recusent. Sed omnia prudenter: nullo alio fine, quam ut excitati alacres fiant ad agendum solerter omnia omnes.

[note: operarum porportionata collatio.] 18. Dixi etiam operas requiri certas, certumque eorum modum. Perstringam id quoque breviter.

[note: 1)] 19. Quot futura sunt libri alicujus exemplaria, tot simul assumuntur schedae, implendae eodem textu, iisdem characteribus: retineturque idem ille schedarum numerus a principio libri ad finem, nec auctus nec imminutus; alias defectiva quaedam exemplaria sierent. Ad eundem modum methodus didacticae nostrae necessario requirit, ut totus scholae coetus, eidem praeceptori iisdem praeceptis instituendus, simul tradatur, gradatim formandus a principio ad finem, nemine post factum scholae initium admisso, nemine ante finem dimisso ita obtinebitur, ut unus praeceptor numerosiori etiam discentium turbae sufficiat, et omnes nihilominus omnia addiscant, [note: n. B. Consilium utile.] Sine defectu ac hiatu. Opus itaque fueri

---

Page 189/190, image: s120

Scholas publicas omnes semel anno aperiri et claudi (rationes nostrae suadent id autumno potius fieri, quam vere, aut alias) ut pensum cujusque classis quotannis decurrat, omnesque simul (nisi quorundam hebetudo obstet) ad metam dedudi simul ad sequentem classem promoveantur: qualiter in typographeis post excusam pro omnibus exemplaribus philuram primam, a, transitur ad b,tum ad c, d, e, etc.

[note: (2.] 20. Libri elegantius excusi clare distincta habent capita, columnas, paragraphos: cum certis spatiis (sive necessitatis, sive evidentiae causa) tam marginalibus quam interlinearibus. Ita methodus didactica suas habeat necesse est laborum et requiei periodos, cum certis temporum spatiis, ad recreationes honestas. Pensa nempe habet annua, menstrua, diurna, horaria: quibus recte observatis, non potest non cuivis classi suus orbis decurri atque ita sua attingi meta quotannis. Horas quotidie non nisi quatuor studiis publicis impendi, bonis rationibus suaderi potest: duas ante, totidem post meridiem. De quibus si feria septima pomeridianae remittantur, et dies dominica tota divino cultui consecretur: confient hebdomadatim horae 26, annuatim (concesso etiam solennioribus feriis necessario spatio) horae circiter mille: quibus hem quam multa doceri et disci possunt, si methodice procedatur semper! Etc.

[note: (3.] 21. Post constructam e compositis characteribus imprimendorum formam, sumuntur papyri volumina, et explicantur per plagulas, tu patulae sint, et prompte ad manum omnes, nequid sit, quod operas retardet. Pariter praeceptor discipulos sibi in oculos constituat, ut videat omnes et videatur ab omnibus semper. Qualiter fieri oportere docuimus cap. Xix. Quaestione 1.

[note: (4.] 22. Sed ut charta recipiendae scripturae aptior fiat, commadefieri solet, et emolliri. In schola itidem discipuli semper ad attentionem excitandi sunt, modis quos ibidem innuimus.

[note: (5.] 23. Eo facto, typi aenei atramento imbuuntur, ut eorum ectypi clare exprimantur: ita praeceptor praesentis horae pensum semper voce sua illustret, praelegendo, relegendo, explicando, ut omnia clare percipi possint.

[note: (6.] 24. Mox schedae submittuntur, alia post aliam, prelo: ut forma illa realis aenea imaginem sui omnibus et singulis imprimat. Sic praeceptor, post satis enucleatum sensum, ostensamque exemplis aliquot imitandi facilitatem, reposcat mox idem a singulis ut quacunque praeivit, eadem subsequi, et ex discentibus scientes fieri, allaborent.

[note: (7.] 25. Tum chartae jam descriptae aeri et ventulo exponuntur, ut desiccentur. In schola ingeniorum ventilatio fiat per repetitiones, examina, concertationes, donec altum sedisse certum sit.

[note: (8.] 26. Tandem post decursum preli, reassumuntur descriptae chartae omnes, et colliguntur in ordinem, ut exemplaria plena et integra esse appareat, sine defectibus: apta jam divendi, aut dimitti, compingi, et ad usum adhiberi. Hoc idem facient examina publica sub anni decursum, cum discipulorum profectus, quam solidi et sibi undique cohaerentes sint, a scholarum visitatoribus explorabuntur; eo fine, ut omnino didicisse constet quidquid discendum fuit.

[note: clausula.] 27. Haec ita nunc generatim dicta sunto: particulariora particularibus occasionibus reservantur. Nunc satis est ostendisse, quemadmodum reperta typographia multiplicati sunt libri, eruditionis vehicula, ita reperta [gap: greek word(s)], seu [gap: greek word(s)] multiplicari posse ipsos eruditos, multo cum rerum humanarum in melius profectu: juxta illud, multitudo sapientum salus est orbis terrarum (sap 6. 26). Et quia eruditionem christianam multiplicari molimur, ad pietatem ipsam, post literas et mores honestos, omnibus christo sacratis animabus implantandam, posse sperari, quod sperare jubent oracula divina, fore ut cognitione domini repleatur terra, sicut mare operitur aquis, (jes. 11. 9.)

Cap. Xxxiii. De requisitis, ad inchoandam universariae hujus methodi praxin, necessariis.

[note: bene eogitata non semper venire in effectum, querelae.] Nemo jam erit, opinor, qui non, pensitatis undique causae hujus momentis, animadvertat, quam beatus foret christianorum regnorum, rerumque publicarum status, si talibus quales optamus instruerentur scholis. Addendum insuper videtur, quid facto sit opus, ne speculationes istae speculationes maneant, sed in effectum aliquem tandem aliquando disponi possint? Non immerito enim johannes caecilius frey miratur, et indignatur, tot seculorum decursu neminem ausum fuisse tam barbaris collegiorum academiarumque consuetudinibus mederi.

[note: etiam ratione scholarum.] 2. Multum sane querelarum ab annis supra centum de scholarum et methodi ataxia effusum est: inprimis autem intra hos triginta de remediis anxie consultatum. At quo profectu? Scholae utique, manserunt, quales erant. Si quis privatim aut in aliqua parti culari schola, occepit aliquid, parum id processit: vel cachinnis

---

Page 191/192, image: s121

Imperitorum fuit exceptus, vel invidia malevolorum obrutus, vel tandem ipse laborum oneri, auxiliis destitutus, succubuit: atque sic omnia hucusque in cassum iêre.

[note: machinae ad motum paratae indendus motus.] 3. Quaerenda igitur est, et invenienda, ratio, qua machinae ad motum sic satis apte construtae, aut certe ex bonis fundamentis construendae, indatur cum deo motus, prudenter et fortiter illis quae hacienus motum impediêre, et post hac impedire possunt, ni amoveantur, amotis.

[note: impedimenta scholarum catholice reformandarum quinque 1)] 4. Impedimenta haec varia possunt observari. Ex: gr: primo, hominum methodicorum, qui apertis ubique scholis, cum solido illo quem intendimus fructu praesse possint, defectus. (nam et de janua nostra, jam in scholas recepta, querelam ad nos perscripsit vir magni judicii, unum quiddam insigne illi deesse plerisque in locis, homines idoneos, qui eam juventuti inculcare sciant.)

[note: 2)] 5. Si tamen essent ejus modi praeceptores, aut fieret, ut secundum constructas tabulaturas omnes munia sua obire facile scirent: unde tamen sustentandi, si per omnia oppida et vicos, et ubicunque homines christo nascuntur et educantur, alendi?

[note: 3)] 6. Tum quomodo provideri possit, ut pauperiorum liberi vacare queant scholis?

[note: 4)] 7. Inprimis autem metuendum videtur vulgariter eruditorum, antiqua chorda cum voluptate oberrantium, novaque omnia fastidientium, supercilium, et in reluctando pertinacia: et si quid simile, momenti levioris. Nam talibus remedia facile possunt reperiri.

[note: 5) n. B. Caput rei quidnam hic.] 8. Unum est praegrande, quod totam machinam potest aut reddere inutilem, si abfuerit, aut promovere omnino in motum, si adfuerit: librorum pammetho dicorum apparatus sufficiens. Etenim quam facile est data typographica supellectile invenire homines, qui uti possint, sciant, velint. Et qui ad procudendos bonos et utiles libellos sumptum aliquem offerant: et qui libellos ejusmodi, parvi pretii et magni usus, nummulis aliquot redimant: tam facile esset paratis pantodidacticae subsidiis fautores, promotores, administros, reperire.

[note: collegio doctorum, in perficiendum propositum conspirantium, opus est:] 9. Ergo cardo totius rei unice a librorum pammethodicorum paratura pendet. Haec autem a conspiratione in tam sanctum propositum, consociationeque operarum, aliquammultorum ingeniosorum, et labores non defugientium, eruditorum virorum. Hoc enim opus non unius est hominis, praesertim alias occupati, nec a cognitione omnium quae in [gap: greek word(s)] redigi necesse est, instructi: nec forsan aetatis unius, si ad absolutam usque perfectionem deduci debebunt omnia. Ergo societate collegiali est opus.

[note: his autem publico favore, auxiliis, auctoritate.] 10. Ad hanc autem convocandam, opus regis aut principis, vel reipublicae alicujus, auctoritate et liberalitate: loco item a turbis tranquillo, bibliotheca, et quae alia requirantur. Opus proinde, ut tam sanctis in augmenta gloriae dei et salutis genrium pie directis consiliis, nemo adversus tendere animum inducat: omnes potius benignitatis divinae novis ita modis liberalius se communicare nobis paratae, administri esse cupiant.

[note: obtestatio 1) ad parentes.] 11. Vos igitur carissimi liberorum parentes, quorum fidei deus pretiosissima cimelia, vivas imagunculas suas, credidit, dum salutaria haec consilia agitari auditis, exardescite! Ut pro felici successu deum deorum exorare, apud magnates vero, et eruditos, precibus, votis, suffragiis, solicitationibus vestris, instare ne intermittatis: liberos interim vestros, pie in timore dei educantes, eaque ratione universaliori illi culturae viam digne praeparantes.

[note: 2) ad juventutis formatores.] 12. Vos item juventutis formatores,

Quicunque plantandis et rigandis paradisi plantulis fidelem locatis operam, ut haec laborum vestrorum sublevamenta quantocyus adornari inque solemnem usum promoveri queant, seriis exoptate votis. Ad hoc enim vocatis vobis, ut plantetis coelos, et fundetis terram (jes. 51. 16.) Ecquid gratius accidere potest, quam ut laboris vestri quam uberrimum conspiciatis fructum? Haec igitur caelestis vocatio vestra, ut et parentum, vobis pignora sua credentium, in vos fiducia, ignis esto in ossibus vestris, quietem vobis, et per vos aliis, non relinquens, donec igne lucis hujus flammet, feliciterque collustretur, universa patria.

[note: 3) ad eruditos.] 13. Vos reliqui eruditi, quos deus sapientia et judicio acri in struxit, ut de talibus his judicare, beneque cogitata prudenti consilio in melius disponere, valeatis: videte ut vestras quoque scintillas, imo faces, et flabella, ad exsuscitandem sanctum hunc ignem afferre ne cunctemini. Cogitet quisque illam christi nostri vocem: [note: (ignis deiluci scintillas addere tenentur filii lucis:] ignem veni missurus in terram, et quid volo nisi ut ardeat? (luc. 12. 49.) Si ille andere vult ignem suum, vae illi qui cum afferre possit ad incitandum has flammas aliquid, non affert, nisi forsan invidiae et obtrectationis reluctationisque fumos. Mementote quam remunerationem promittat servis bonis et fidelibus, qui commissa negotiationi suae talenta sic impendunt, ut lucrentur alia! Quamque minentur ignavis talenta sua defodientibus! (matth. 25.)

Page 193/194, image: s122

Metuite itaque soli esse eruditi: etiam alios pro vestra virili eodem promovete. Vel senecae exemplum vobis sit stimulo, qui: cupio inquit, omnia quae scio in alios transfundere. Item: si cum hac conditione detur sapientia, ut illam inclusam teneam, nec enuntiem, rejiciam. (ep. 27.) Ne itaque invidete universae christianae plebi literas et sapientiam; potius cum mose dicite, quis tribuat, ut omnis populus dei prophetet! (num. 11. 29.) Nempe quia recte

adolescentiam curare, est efformare quoque et reformare ecclesiam atque rempublicam, nos quibus hoc ignotum non est, otiosine dum alii manum admovent stabimus?

[note: nemo hic excipitur.] 14. Unus nos agat, obsecro, spiritus, ut quidquid ad tam communem tamque salutarem scopum adferre potest quisque consulendo, monendo, hortando, emendando, stimulando, ne dedignetur deo et posteritati navare operam: neque id a se alienum putet quisquam. Quamvis enim non ad scholam se natum aliquis credat, aut etiam functionibus vocationis, ecclesiasticae, politicae, medicae, distineatur, male tamen ideo a communi hoc scholas rectificandi studio exemtum se opinabitur. Nam si fidem vocationi tuae, et ei qui vocavit, et illis ad quos missus es, probare animus est, teneris utique non solum per te deo, ecclesiae, patriae servire, sed etiam ut sint qui post te faciant idem, provide curare. Socrati fuit datum laudi, quod cum posset magistratum gerendo patriae utilem praestare operam, maluerit juventuti instituendae vacare: utiliorem esse reipublicae dictitans eum, qui multos gubernandae reipublicae idoneos efficeret, quam qui ipse gubernaret.

[note: ad sublime doctos praejudicii detestatio.)] 15. Hoc etiam per nomen dei oro, obtestor, ne quis sublime doctus eo haec spernat, quod ab homine minus literato veniant: nam aliquando ipse etiam est olitor satis opportuna loquutus. Quod tu non nosti fortassis novit asellus, chrysippi dictum est. Christi autem nostri: ventus quo vuli spirat, et vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat. Nos protestamur in conspectu dei, nos nulla ingenii fiducia aut fame famae, aut intentione privati alicujus commodi, ad haec movenda adigi: sed amor dei, et res hominum, publicas et privatas, in melius promovendi desiderium, stimulat nos, ut quae occultus perpetuo suggerit instinctus, silentio ivoluere non valeamus. Si quis igitur desideriis, votis monitis, conatibusque nostris, quum eos provehere possit, obsistere potius et repugnare mavolet; ille sciat, se non nobis, sed deo, sed conscientiae suae, sed communi naturae, quae bona publica communis esse vult juris et usus, indicturum bellum.

[note: 4) ad theologos.] 16. Ad vos etiam me converto, theologi, in quibus multum fore situm, ad propositum hoc auctoritate vestra vel promovendum vel sistendum, facile praevideo. Si posterius maletis, implebitur quod bernhardus dicere solitus fuit, christum non habere nocentiores hostes quam quos circa se habet, et qui in his primatum tenent. Sed meliora speramus et convenientiora dignitati vestrae. Cogitare certe debebitis, dominum petro non oves solum suas, sed etiam agnellos commisisse pascendos, et quidem primo agnellos (joh. 21. 15.) Nempe quia pastores facilius pascunt oves agnellis jam ad pascua vitae gregis ordini, et disciplinae pedo, adsuetis. Quod si quis rudes malit auditores, nae ille inscitiam prodit! Quis enim aurifabrorum non sibi gratulatur, si ei quam depuratissimum a metallurgis subministretur aurum? Quis non sutorum sibi quam elaboratissima coria et alutas ad manus venire optat? Simus ergo nos quoque filii lucis, prudentes in re nostra: utque nobis scholae quam maxime elimatos reddant auditores, optemus.

[note: (deprecatie invidiae)] 17. Invidia vero ne quidem in corullius vestrum, o servi dei vivi, ascendat! Duces enim aliis ad caritatem estis: quae non aemulatur, non est ambitiosa, non sua quaerit, non cogitat malum etc. Nolite inquam invidere, si alii agant, quae vobis non venêre in mentem: potius alii ab aliis capiamus exemplum, ut (quemadmodum gregorii verba habent) omnes fide pleni nitamur aliquid sonare deo, ut organa reperiamur veritatis.

[note: 5) ad magistratus politicos.] 18. Ad vos venio, qui dei nomine rebus humanis praesidetis, dominatores populorum, et magistratus politici: ad vos inprimis sunt sermones nostri. Quia vos estis noae illi, quibus pro conservatione in tam horrendo mundanarum confusionum diluvio seminis sancti arcae constructio divinitus demandata est (genes. 6.) Vos principes illi, qui ad structuram sanctuarii prae aliis offerre debetis, ut ne artifices, quos

implevit dominus spiritusuo ad excogitandum ingeniosa, retardentur in opere suo (exod. 36.) Vos davides et salomones illi,quorum est aedificando templo domini convocare architectos, illisque necessaria subministrare abunde (1 reg. 6. Et 1 chron. 29.) Vos centuriones illi, quos diliget christus,

---

Page 195/196, image: s123

Si vos dilexeritis parvulos ejus, eisque aedificaveritis synagogas (lucae. 7. Vers. 5.)

[note: (deprecatio ad eosdem.] 19. Per christum oro, per salutem nostrae, si qua futura est, posteritatis obtestor, advertite animum! Res seria, ah nimis seria est, gloriam dei, communemque populorum salutem concernens. Persuasus sum de pietate vestra, patres patrae, si quis jam adsit, qui consilia promittat, quomodo levi sumptu omnes civitates nostrae communiri, juventus omnis ad militarem scientiam instrui, fluvii nostri omnes navigabiles fieri, mercimoniisque et divitiis impleri, aut quibuscunque tandem rationibus publicus et privatus status ad florem et securitatem majorem provehi, possit: fore ut consultori non solum aures pateant vestrae, sed et insuper gratiae habeantur, tam pie de vestris vestrorumque commodis solicito. Atqui hic plus quiddam est. Via nempe commonstratur, vera, certa, secura, comparandi talium virorum copiam, qui ejusmodi inventis, similibusque, patriae serviant sine fine, alii post alios. Si ergo sanctae memoriae lutherus, urbes germaniae ad scholas erigendas cohortans, recte scripsit: vbi ad aedificandas vrbes, arces, monumenta, armamentaria, nummus aureus impenditur unus, centum esse impendendos in unicum adolescentem recte erudiendum, qui vir factus ad honesta quaeque aliis dux esse possit. Vir enim bonus et sapiens (pergit idem) pretiosissimum est totius reipublicae cimelion, in quo plusquam in splendidis palatiis, plusquam in auri et argenti acervis, plus quam in aeneis portis et ferreis repagulis, situm est etc. (quibus consonantia salomon habet eccles 9. 13.) Si hoc inquam sapienter dictum putamus, quod nulli sumptui parcendum sit vel unius adolescentuli recte educandi causa: quid non dicendum erit, cum ad tam universalem omnium omnino, tamque certam ingeniorum culturam, porta panditur? Cum deus dona sua non guttatim stillare, sed in nos torrentis instar convertere, promittit? Cum usque adeo appropinquare videtur salutare ejus, ut nobiscum in terra nostra habitet gloria ejus?

[note: exhortatione.)] 20. Attollite principes portas vestras, et elevate ostia seculi, ut ingrediatur rex gloriae! (psal: 24.). Afferte domino filii fortium, afferte domino, gloriam et honorem! Sit quisque vestrum david ille, jurans domino, votum vovens deo jacob: non introiturum in tabernaculum domus suae, non ascensurum in lectum strati sui, non daturum somno oculos suos, et dormitationi palpebras suas, donec inveniat locum domino, pro requie tabernaculi ejus. (ps 132.) Nolite respectare impendium aliquod: date domino et rependet vobis millies. Quanquam enim jure suo exigit, qui dicit, meum est argentum, et meum est aurum (hagg. 2. 9) benignitatis tamen est quod addit (ad aedificationem templi sui populum cohortans:) probate me super hoc: si non aperuero vobis cataractas coeli, et effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam. (mal. 3. 10.)

[note: 6) ad deum suspicia.] 21. Tuigitur domine deus noster da nobis cor hilare ad inserviendum gloriae tutae, qua quisque parte potest. Tua enim est magnificentia, et potentia, et gloria, atque victoria. Cuncta quoe in coelo sunt, et in terra, tua sunt: tuum domine est regnum et tues super omnes principes. Tuae divitae, et tua est gloria, vis, et potentia: inmanu tua est magnisicandi et confirmandi rem quamlibet. Quid enim nos sumus, quide manu tantum tua accipimus omnia? Peregrini et advenae sumus coram te, sicut omnes patres nostri: velut umbra sunt dies nostri super terram, cui non est mora. Domine deus noster, quidquid paramus

in honorem nominis sancti tui, id omne de manu tua est. Da salomonibus tuis cor perfectum, ad faciendum universa quae parantur gloriae tuae (1. Chron. 29.) Confirma hoc deus, quod operatus es in nobis (psal. 68. 29.) Perspicuum sit erga servos tuos opus tuum, et decor tuus in filios eorum. Denique adsit amoenitas iehovae dei nostri nobis et opus manuum nostrarum ipse dirigat. (ps. 90. 16.) In te speravimus domine, non confundemur in aeternum.

Amen.

Page 197, image: s124

Haec ita tum primo concepta, paucis domi communicata, futurumque in usum tacite servanda, ut ne frustra essent, coepi repertorum hic canonum ductu particulares ibi delineatos concinnare libellos: ut omnia essent in parato, si meliora patriae reduceret fata deus.

Coepi inquam conscribillare,

I primum maternae scholae praecepta: pro meliore juventutis domi a parentibus educatione, et ad scholas publicas praeparatione.

Ii. Deinde scholis vernaculis servituros libellos: pro omni pube, plebeia etiam, salutaribus doctrinis, pietate vera, honestisque moribus, imbuenda.

Iii. Tandem quae latinis scholis servirent, pro lingua illa, nobis europaeis adeo necessaria, facilius et melius docenda et discenda.

Infantiae schola (continens destinata parentibus monita) in germanicum translata fuit idioma e bohemico anno 1633: cum illustriss. D. Raphael comes in lesno, palatinus belzensis, scholam suam provincialem reformari vellet in melius. Exscripta etiam ibidem typis, dedicantaque eidem illustri patrono, cujus auspiciis ac voluntate didactica haec edi coeperant: recusa vero mox lipsiae, et thorunii polonice: hungarorum vero in usum latinitate donata anno 1653. Quae modo relegens, tametsi multa plenius moneri posse videam (nam adhuc dies diem docet) quia tamen sic etiam usum habitura spero, prodireilla sic uti sunt patior. Etiam aliis, quae post nos agant, suppleant, emendent, relinquenda sunt.

Page 198, image: s125

Schola infantiae, sive de provida juventutis primo sexennio educatione.

Praecipua generis humani custodia in cunis est, teste deo, jesaiae 28. Vers. 8, 9.

Quia praevenire corruptionem facilius est, quam corrupta emendare: quinimo penitus corrupta emendare impossibile. Hinc illud a primis omnia pendent.

Et: ut se dant prima, sic omnia.

Hinc et christus: sinite parvulos venire ad me, et ne prohibete illos: talium enim est regnum dei. Marc 10. 14.

Et salomo: adolescens imbutus juxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea.

[gap: content list]

Piis christianis parentibus, tutoribus, curatoribus, omnibus denique quibus aliqua liberorum curae pars incumbit, salutem.

Postquam vos omnes, dilecti, officii vestri commonefacere proposui, necessarium videtur tria haec praemitti.

I. Quam pretiosos deus largiatur thesauros iis, quibus vitae pignora concredit?

Ii. Quos in fines ea det? Et ad quos scopos educationis prora dirigenda sit?

Iii. Juventutem bona educatione adeo egere, ut hac dempta pereundum sit illis.

Tribus his demonstratis, propositum aggrediar, solertiaeque circa primam aetatulam vestrae partes ordine exponam

Tua sub directione o pater, a quo omnis generatio in caelo et terra nominatur!

Page 200/201, image: s127

Cap. I. Liberos, cum sint pretiosissimum dei donum, et incomparabile cimelion, summa observantia, habendos.

Liberos esse inaestimabile cimelion, spiritus, dei per os davidis testatur, psal. 127. Sic inquiens: ecce hereditas domini, filii! Merces fructus veniris: sicut sagittae in manu, ita filii adolescentes. Beatus vir qui implevit pharetram suam ex ipsis: non confundetur. Audis, quam felices praedicet eos, quibus liberos largitur deus?

2. Quod et inde clarescit, quia summum suum erga nos amorem testificaturus deus, filios nos appellat: tanquam excellentioris nominis nescius.

3. Sicuti contra id vehementissime zelat, quod liberos suos offerant molocho. (levit. 20. V. 2. Jer. 32. V. 35.) Imo summa consideratione dignum est, quod de idololatricorum etiam parentum liberis deus dicat; liberos illorum sibi esse progenitos (ezech. 23. V. 37.) Innuens, non nobis illos, sed ipsi deo, nasci, et tanquam progeniem dei summa reverentia habendos.

4. Unde apud malachiam liberi semen dei dicuntur (mal. 2. 17.) Unde progenies dei exsurgit (actor. 17. Vers 29.)

5. Quam ob causam aeternus dei in carne manifestatus filius, non tantum naturae puerorum particeps fieri voluit, sed et summae voluptati ac deliciis habuit pueros, tanquam dilectos fraterculos, et sororculas, ulnis excipere, circumgestare, osculari, ac illis benedicere (marci 10. Vers 16.)

6. Neque hoc solum, interminari etiam severe, si quis vel minimo illis esse non vereatur scandalo! Jubens eos tanquam seipsum observare: et vae denuntians illi, qui vel minimum eorum offendat (matth. 18. V. 5, 6.)

7. Cur ita cum parvulis delicietur, nobisque illorum tam severe mandet observantiam deus, si quis excutere velit penitus, multas inveniet causas. Et primo quidem, si tibi contemptibiles nunc pueri videntur, ne respice eos ut jam sunt, sed ut ex intentione dei esse debent. Videbis eos non tantum ut futuros, nobis hinc egressis, mundi incolas, orbisque terrarum possessores, et inter creaturas vicarios dei: sed et nobiscum pariter christi consortes, regale sacerdotium, populum acquisitum, socios angelorum, judices diabolorum, solatium coelorum, terrorem inferorum, heredes excelsorum, per omnia seculorum secula. Quid excellentius cogitari potest?

8. Philippus melanchton, sanctae memoriae, trivialem aliquando ingressus scholam, discipulorumque gregem intuitus, ita eos alloqui coepit: saluete reverendi domini pastores, doctores, licentiati, superintendentes! Saluete amplissimi, consultissimi, celeberrimi, doctissimi, domini consules, praetores, judices, praefecti, cancellarii, secretarii, magistri, prosessores etc. Quod cum nonnulli adstantium risu exciperent, respondit: non jocor, serius mihi sermo est. Hos enim puerulos non sic uti jam sunt intueor: sed scopum cur nobis formandi traduntur considero, certus ex hoc numero tales aliquos prodituros, tametsi forte aliquid palearum intermistum sit. Animose haec prudentissimus vir: sed cur nos de omnibus christianorum liberis gloriosa illa, quae modo praecesserunt, non aeque confidenter proferamus? Cum aeternorum dei arcanorum promulgator, christus, talium esse regnum dei pronuntiavit (marc. 10. V. 14).

9. Sed etiamsi praesentem statum consideremus, in promptu est, cur liberi deo sint, parentibus autem esse debeant, inaestimabili pretio. Deo primum ideo, quia imago dei sunt nondum contaminata, utpote innocens (jon. 4. Ii) excepto enim solo originali peccato, nullo adhuc actuali scelere sese polluerunt, ignari discernere inter bonum et malum, interque dextram et sinistram: quod respectare deum ex illis ad jonam verbis, et aliunde, satis patet.

10. Secundo, sunt purissima, care empta christi possessio; quandoquidem christus qui quaesitum venit quod perierat, omnium saluator dicitur, praeterquam qui incredulitate ac impoenitentia ejus meriti consortio sese excludunt. Pueris itaque christum sic nondum repellentibus, jus partae salutis manet, illorumque est regnum coelorum. Hi sunt illi ex hominibus empti, ut primitiae sint deo, et agno, cum mulieribus non inquinati (id est, concupiscentiis peccati non polluti): sed sequuntur agnum, quocunque iverit (apoc. 14. Vers 4.): et ut sequantur constanter, educatione sancta manuducendi sunt.

11. Tandem, ideo deus effuso amore pueros complectitur, quia sunt peculiare instrumentum gloriae divinae, teste scriptura (psal. 8. Vers 3.) Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem, propter inimicos tuos, ut destruas inimicum et ultorem. Quomodo

Page 202/203, image: s128

Id fiat, ut per pueros gloria dei capiat incrementa, nostro sane intellectu non satis assequimur: deus, omnium scrutator, novit et intelligit.

12. Parentibus liberos, auro et argento, margaritis et gemmis, cariores et cariores esse debere, ex collatione ad invicem utrorumque dei donorum deprehendi potest. Nam, primo,

Aurum, argentum, et id genus alia inanima sunt, nec aliud quam lutum, illo quod pedibus calcamus paulum excoctius et depuratius: insantes vero sunt vivae viventis dei imagines.

13. Secundo, aurum et argentum sunt res superficiariae, solo verbo mandati dei productae: liberi autem illa creatura, de qua producenda sacrosancta trinitas peculiare instituit consilium, et quam digitis suis offormavit

14. Tertio, aurum et argentum sunt res fluxae ac evanidae: liberi hereditas immortalis. Quamvis enim fatis succumbant, non in nihilum tamen redeunt, aut pereunt, transeunt tantummodo e mortali tabernaculo ad immortalia regna. Quapropter deus jobo restitutis omnibus divitiis, et quaecunque possederat, in duplo quantum prius abstulerat, liberos ipsi nonnisi tot dedit quot ante habuit (septem nimirum filios, et tres filias): quod tamen et ipsum duplum erat, quia illi priores non interierant, sed ad deum praemissi erant.

15. Quarto, aurum et argentum e terrae luto veniunt: infantes ex ipsa substantia nostra. Sunt proinde pars substantiae nostrae, non minus nobis, atque ipsi nos, amandi: ideo deus omnium animantium naturae, tantam erga suos pullos storgen inserit, ut illorum incolumitate propriam salutem quandoque posthabeant. Cujusmodi affectum si quis in aurum et argentum transferat, ipsius dei judicio idololatriae damnatur.

16. Quinto, aurum et argentum transeunt ab alio ad alium, nullius quasi propria, omnibus communia: liberi vero sunt parentibus suis sic divinitus attributum peculium ut nemo sit in mundo qui hoc jure exuere, hac possessione privare, quenquam possit. Quia haec est de coclo veniens portio, et immutabilis hereditas.

17. Sexio, tametsi aurum quoque et argentum dei dona sint, talia tamen dona, quibus deus angelicam de coelo custodiam non promisit: quinimo satanas hic se plerumque admiscet, ut rebus istis tanquam laqueis et pedicis, ad irretiendos incautos, abutatur, ad avaritiam eos, superbiam, prodigalitatem, veluti loris trahens. Parvulorum vero cura semper angelicae committitur custodiae, teste domino ipso (matth. 18. Vers. 10.) Ut cuicui domi suae infantes sunt, de angelorum domi suae praesentia certus esse queat: quisquis puerulos ulnis excipit, angelos se excipere ne dubitet. Quisquis cum infante nocturnis circumfusus tenebris quiescit, ab angelis se cum illis protegi, ne spiritus tenebrarum aditum habeat, solatio certo frui potest. Quanta haec!

18. Septimo, argentum, aurum, et alia externa, amorem dei nobis non conciliant, nec ab ira dei nos defendunt, quemadmodum infantes. Deus enim quia infantes diligit, propter ipsos quandoque parentibus ignoscit, ut exemplum ninivitarum ostendit. Ubi quia infantes multi erant, deus parentibus ipsis, ne hiatu terrae absorberentur, pepercit (jon. 4. V. 11.)

19. Octavo, vita humana non in abundantia opum consistit, inquiente domino (luc. 12. V. 15.) Cum cibus non nutriat, emplastrum non sanet, amictus non calefaciat, suam deo

benedictionem subtrabente (deut. V. 21. Sap. 16. V. 12 et 26.) At cum infantibus, et propter illos, semper adest benedictio, ut ne desit unde sustententur. Nam si deus pullis corvorum, invocantibus eum, escam largitur: quomodo infantes, imaginem suam, non curae habeat? Prudenter itaque d. Lutherus dixit: non nos infantes nostros nutrimus, sed illi nos; nam propter innocentes illos deus necessaria subministrat, nos autem vetuli peccatores cum illis participamus.

20. Ad extremum, argentum, aurum, gemniae, nihil nos aliud, quam caeterae creaturae docere possunt: dei nimirum sapientiam, potentiam, bonitatem. At infantes nobis in speculum modestiae, affabilitatis, benignitatis, concordiae, et aliarum christianarum virtutum, dantur; ipso domino edicente: nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum(matth. 18. V. 3.) Quandoquidem igitur praeceptorum loco pusiones istos a nobis haberi vult deus, merito iis observantiam nos debere arbitrabimur.

Cap. Ii. Quos in fines deus liberos det, et quorsum educatio ipsorum collimare debeat.

Si cui in mentem veniat, eccur divinae majestati coelestes hasce gemmulas,

---

Page 204/205, image: s129

Non pleno simul numero, quotquot illarum in aeternum habere voluit, sicut angelos producere placuerit? Non aliam reperiet causam, quam quod homines sic honoret, ut in multiplicandis creaturis ejus quasi adjutores sint. Non tamen ut voluptatem tantum inde hauriant, sed ut studium in iis recte educandis, hoc est ad aeternitatis scopum dirigendis, ponant.

2. Bovem ad arandum, canem ad venandum, equum ad equitandum, et aurigandum, homines assuefaciunt, eo quod ad tales usus creata sunt ista, nec ad alia applicari possint. Homo igitur omnibus istis creatura sublimior, ad altissima ducendus est; ut quam proxime virtutibus deo, cujus imaginem refert, respondeat. Corpus quidem utpote de terra sumptum, terra est, terramque versat, in terram iterum convertendum; anima vero a deo inspirata, ex deo est, in deo manere, ad deum sese elevare, debet.

3. Non itaque officio suo parentes satis facient, si prolem suam edere, bibere, ambulare, fari vestibus ornari, docuerint. Haec enim corpori solum serviunt, quod non homo est, sed hominis tabernaculum: hospes (anima rationalis) intus habitat, quem prae externo hoc tuguriolo curari aequum est. Scite igitur plutarchus ejusmodi parentes, qui liberis suis formam, divitias, honores, optant, eoque illos promovent: de anima virtutibus et pietate ornanda ne tantillum quidem soliciti, irrisit: istos pluris facere calceum quam pedem dictitans. Et crates thebanus, philosophus gentilis, super amentia talium parentum nimium questus, ita cecinit, ut poeta refert:

Si mihi (dicebat) passim clamare liceret.
Vos omnes fatuos vellem appellare probrosos.
Quos agitat nimio funesta pecunia ludo.
Divitias legitis natis! Et dogmate nullo
pectora lactatis, nec dexteritate fovetis.

4. Animae ergo, tanquam hominis primariae partis, praecipua cura habenda est, ut quam pulcherrime decorata evadat. Demum corporis, ut aptum et dignum immortalis animae fiat

habitaculum. Illam autem mentem recte expolitam puta, quae fulgore sapientiae dei vere collustrata est, ut homo praestantiam imaginis divinae in seipso agnoscens, excellentiam illam custodiat et observet.

5. Verae autem coelestis sapientiae (quam homo appetere, et ad quam excoli debet) duae sunt partes. Prior, clara et vera dei, omniumque mirabilium ejus operum agnitio. Posterior, caute et sapienter seipsum, omnesque externas et internas actiones suas, hanc et futuram concernentes vitam moderandi prudentia.

6. Primario quidem quoad vitam futuram. Quia illa est proprie vita, a qua et mors et mortalitas exulant: cum praesens non tam vita sit quam via ad vitam. Pro. Inde qui hac in vita tantum obtinuit, ut fide ac pietate ad futuram sese praeparaverit, satis hic peregisse putandus est.

7. Nihilominus tamen quia deus plurimos longaevitate donans ad munia admovet, variisque casibus objicit, et occasiones prudenter agendi subministrat, providendum omnino parentibus est, ut post fidei et pietatis exercitia, etiam in politiori morum cultura, artibus liberalibus, aliisque necessariis, exercitari liberos suos faciant. Quo tandem adulti, in viros evadere, rerum suarum prudenter satagere, et quibuscunque vitae muniis, sive ecclesiasticis, sive politicis deus adhibendos voluerit, adhiberi, eoque vita praesenti honeste ac prudenter transacta, majori cum voluptate ad coelos migrare possint.

8. Verbo, scopus ad quem juventus educari debet, trinus figendus est. 1 fides et pietas. 2 morum honestas. 3 linguarum et artium scientia. Haec autem eo ipso, quo hic proponuntur ordine, non inversim. Primo exercendi sunt in pietate. Deinde in moribus, sive virtutibus. Tandem in mansuetioribus literis. Quo plus tamen in hoc postremo possunt proficere, eo melius.

9. Tribus hisce quisquis domi suae pubem sese exercentem habet, paradisum possidet, in quo coelestes plantulae seruntur, rigantur virescunt et florescunt: sanctique spiritus officinam, in qua ille vasa misericordiae, instrumenta gloriae, elaborat et expolit: ut in iis, tanquam viva dei imagine, aeternae et infinitae illius potentiae, sapientiae, ac bonitatis radii, magis magisque coruscent: beatos tali paradiso parentes!

Cap. Iii. Juventutem educatione, et recta informatione, inevitabiliter egere.

Nemini interim cogitandum est, juventutem sponte sua, et sine enixa

---

Page 206/207, image: s130

Opera, taliter exercitatos reddi posse. Si enim surculus in arborem evasurus, inseri, plantari, rigari, sepimentis muniri, ac fulciri, opus habet: si ligneam statuam asciari, scindi, laevigari, sculpi, poliri, et diversis coloribus tingi necesse est: si equus, bos, asinus, mulus, ad ministeria homini praestanda assuefaciendi sunt: imo si ipsemet homo ad operas corporeas (ut edendi, bibendi, currendi, fandi, manu prehendendi, laborandi peritus sit) exercitio indiget: ecquomodo quaeso altiora haec, et a sensibus remotiora, fides puta, virtutes, sapientia et scientia, ultro cuipiam obvenire possint? Impossibile prorsus: prout in didacticis cap. 6. Etc. Ostensum est.

2. Ea propter deus id officii parentibus injunxit, ut omnia ad notitiam et timorem dei spectantia tenellae infantum menti, quam diligentissime instillarent, et acute ingererent, deque iis loquerentur sive domi sedeant, sive per viam ambulent, sive cubent, sive surgant (deut. 6. V. 7.

3. Salomon itidem cum jesu syracide, ubique in libris suis eo collimant, ut iuventus in sapientia instruatur, nec facile ferulis subtrahatur. David ejusdem rei perspecta necessitate, quamvis rex esset, praeceptorem se juventuti ac paedagogum dare non erubuit. Accedite filii, inquit, audite me, timorem domini vos docebo (psal. 34. V. 2): paulus vero apostolus, parentes admonet, ut liberos suos in disciplina et correptione domini educent (ephes 6. V, 4.)

4. Quandoquidem autem saepenumero parentes liberis informandis, aut minus apti sunt, aut ob officiorum et rei familiaris administrationem non sufficiunt, alii etiam id susque deque habent, prudenti et salutari consilio antiquitus institutum est, ut in quavis republica, personis sapientibus, piis, honestis, juventus informanda, cum castigandi jure, tradatur.

5. Quos paedagogos, magistros, praeceptores, et doctores nuncupant: loca vero talibus exercitiis destinata, collegia, gymnasia, scholas (id est otia seu ludos literarios): quo nomine actus docendi et discendi, per se et natura sua jucundus et suavis, merus lusus, et animi oblectatio, esse innuitur.

6. A qua tamen suavitate sequentibus temporibus toto coelo deviatum est: ut scholae, non quod nomine prae se ferebant, lusus et deliciae; sed pistrina et torturae juventutis exstiterint, potissimum apud quosdam, ubi hominibus ineptis, pietate et sapientia dei minime instructis, otio marcescentibus, spurcis, pessimi exempli, magistros se ac praeceptores venditantibus, juventus committebatur; quam illi, non fide, pietate et bonis moribus, sed superstitionibus, impietate, et malis moribus, imbuebant: methodi vero genuinae ignari, et per vim quaevis intundere volentes, misere excarnificabant. Cujus rei memoriam refricant, trita illa diverbia: apparet hunc uberrimam in scapulis virgidemiam sensisse. Item: saepe flagro admotus est: quia alia informatio, sine virgarum saevitia, et verberum atrocitate, ignorabatur.

7. Tametsi autem antecessores nostri, cum reformatione ecclesiastica nonnihil istorum emendarint: aliqua tamen nostrae aetati reservavit deus, faciliori, compendiosiori, solidiori institutione, ad gloriam suam, nostrumque solatium, emendanda: de quibus videatur didacticae nostrae cap. Xii.

8. Jam vero ad formam seu ideam educationis hujus, inprimis materna in schola primo aetatis sexennio adhibendae, cum deo progredimur.

Cap. Iv. Quibus in rebus juventus ab ipsa nativitate sensim exercenda sit, ut sexto aetatis suae anno in iis exercitata repertatur.

Quis ignorat arboris annosae ramos, quam adinvicem dispositionem obtinent, ad eam ab ipsa prima pullulatione formari oportuisse? Nec enim potuerunt aliter. Animal item, nisi in prima sui formatione membrorum omnium fundamenta acceperit, adepturum illa unquam postea quis speret? Quod enim claudum, coecum, mutilum aut mancum, in lucem editur, quis illud emendaverit? Et homo igitur, qualis aetate tota esse debet, talis a prima corporis et animae formatura fingendus est.

2. Quamvis enim facile sit deo nebulonem inveteratum ad frugem reducere, ac in alium transmutare; vix tamen aliter per naturam contingit, quam ut quomodo res in primordiis

formari coepta est, ita perfiat et maneat: eosdemque fructus in senectute carpet, quorum quis in juvenntute semina jecerat, juxta illud: studia juventutis, sunt oblectamenta senect utis.

3. Non itaque parentes liberorum suorum informationem ad praeceptores scholarum, et ecclesiae ministros, differant (quum arborem curve procretam rectificare, ac ex sylua undique vepretis obsita pomarium producere, impossibile sit): sed ipsimet cimelia sua pro dignitate

---

Page 208/209, image: s131

Tractandi modos nosse debent: ut sub ipsorummet manibus sapientiae et gratiae apud deum et homines incrementa sumant.

4. Et quia quisquis deo et hominibus esse debet usui, eum pietate, moribus, literisque bonis instruendum diximus: horum igitur trium parentes in prima liberorum aetatula fundamenta ponent. Quae primo hoc sexennio quousque se extendere debeant, sigillatim ostendendum est.

5. Pietas vera et salutaris in hisce tribus consistit:

I. Ut cor nostrum semper et ubique deum respectando, eundem in omnibus negotiis quaerat.

Ii. Deprehensos providentiae divinae vestigits, deum semper et ubique timore, amore, et obsequio prosequatur.

Iii. Eoque semper et ubique dei memor, deo conversans, deoque se jungens, pace, gaudio, et solatiis perfruatur.

6. Haec vera est pietas, paradisum divinae voluptatis homini adferens: cujus fundamenta, puero intra sexennium eousque inprimi possunt, ut sciat (1) esse deum (2) et ubique praesentem spectare nos omnes (3) sibi obsequentibus cibum, potum, vestem et omnia, largiri (4) contumaces vero et immorigeros morte multare. (5) ideo timendum, semperque invocandum, amandumque ut patrem (6) et facienda quaecunque praecipit. (7) illum vero nos, si boni et probi fuerimus, assumpturum in coelos etc. Eousque, inquam, infans ad sextum aetatis annum, exercitiis pietatis deduci potest.

7. Moribvs autem et virtutibus expoliendi sunt parvuli hisce inprimis.

(1) temperantia: ut discant pro naturae indigentia edere et bibere, non tuburcinari, ciboque et potu ultra necessitatem sese effercire.

(2) munditie: ut circa victum et amictum, corporisque curam, decorum observare consuescant.

(3) superiorum observantia: quorum actiones, sermones et intuitum, revereri discant.

(4) officiositate: ut ad nutum et vocem superiorum, omnia e vestigio expedire prompti sint.

(5) summe necessarium est ad vera loquendum eos assuefieri: ut omnes ipsorum sermones sint juxta christi doctrinam est quod est; quod non est, non est. Mentiri autem, et secus ac res est loqui, sive serio, sive joco, neutiquam assuescant.

(6) exercendi itidem ad justitiam: ne quid alieni attingant, moveant, furtim surripiant, abscondant, aut cuiquam aegre faciant.

(7) instillanda quoque ipsis benignitas, et aliis gratificandi studium: ut liberales sint, non tenaces, non invidi.

(8) laboribus adsuefieri eos perquam utile est: ut ignava otia declinare consuescant.

(9) non loqui tantum, sed et tacere, ubi usus postulat, docendi sunt: ut inter precandum, aut dum alii loquuntur.

(10) exercendi sunt in patientia: ne omnia ad nutum sibi fluere debere putent, a prima aetate sensim cupiditates frenare discant.

(11) humanitas et promptitudo majoribus serviendi: cum praecipuum juventutis ornamentum sit, ad hanc etiam ab infantia eos duci conveniet.

(12) unde emerget morum civilitas, qua cuivis humanitatem exhibere, salutem impertire, dextras jungere, poplitem submittere, pro manusculis gratias agere etc. Condiscant.

(13.) Ne vero hic quidquam levitatis aut barbariei appareat, gravitati gestuum simul adsuescent, ad verecunde et modeste agendum omnia. Talibus initiatus virtutibus puer, facili negotio ad exemplum christi, dei hominumque gratiam sibi comparabit

8. Quantum artes liberales attinet, eae tripartito dividuntur. Discimus enim
aliqua sapere, aliqua agere, aliqua loqui: vel potius omnia (sapere, agere, loqui) praeterquam mala.

9. Sapere incipiet puer primo sexennio,

(1.) Circa natur alia in physicis, si nomina elementorum, ignis, aeris, aquae, terrae cognoscat; et nominare discat pluviam, nivem, glaciem, plumbum, ferrum etc. Adhaec arbores, et nonnullas notiores frequentioresque herbas, violas, caryophyllos, rosas. Differentias itidem animalium, quid sit avis. Quid pecus, equus, vacca etc. Denique exteriora corporis sui membra; quomodo appellanda, cui usui destinata, aures ad audiendum, pedes ad currendum etc.

(2.) Ex opticis sufficiet eos nosse, quid tenebrae, quid lux, et quae differentiae usitatiorum quorundam colorum, eorumque appellationes.

(3.) In astronomicis discernere inter solem, lunam, et stellam.

(4.) In geographicis, utrum locus sibi natalis, et in quo degit, sit vicus, urbs, oppidum, vel arx. Quid ager, quid mons, pratum, sylua, amnis etc.

Page 210/211, image: s132

(5) chronologiae primas ducet lineas, cum quid sit hora, dies, septimana, mensis, annus, quid ver, aestas etc sciverit.

(6) historiae principium erit, quid heri, nuper, anno ab hinc, biennio, aut triennio actum sit, recordari posse: tametsi puerile illud sit, et recordatio eorum infirma, ac tanquam per nebulam.

(7) ex oeconomicis, dignoscere quis ad coetum familiae pertineat, vel non.

(8) ex politicis, quendam in civitate consulem, senatoren, vel praetorem esse. Item, cives nonnunquam in curiam convenire etc.

10. Actiones rerum quaedam mentem et linguam spectant: ut dialectica, arithmetica, geometria, musica. Quaedam mentem et manum; ut sunt labores et negotia corporea.

(1) dialectices principia eousque primo sexennio imbibi possunt, ut puer, quid interrogatio, quid responsio sit, intelligat, et ad propositam quaestionem directe respondere sciat: non de cepis narrans, de allio quaesitus.

(2) arithmetices fundamenta erunt, si quid multum aut parum sit, noverit: sciatque ad 20 vel ad 60 usque numerare, et intelligat quid sit numerus par vel impar. Item quod 3 plus sint quam 2: 3 et 1. 4 etc.

(3) in geometria, cognoscet quid parvum aut magnum, breve aut longum, angustum vel latum, tenue vel crassum, sit. Item quid palmus, cubitus, passus dicatur etc.

(4) musica illorum erit, scire aliquem versiculum ex psalmis, vel hymnis, memoriter canere.

(5) artisicu vel operis alicujus initium erit, si scindere, findere, sculpere, struere, disponere, ligare, religare, convoluere, revoluere, utpote pueris familiaria, sciverint.

11 linguam quod attinet, ea expolitur grammatica, rhetorica, et poetica.

(1) grammatica hujus sexennii erit, ut infans quantum rerum intelligit, tantum lingua efferre sciat: licet imperfecte modo commode et articulate, ut intelligi possit, eloquatur.

(2) rhetorica ipsorum erit, gestibus naturalibus uti, et si quid tropicum et figuratum audiunt, illud imitari.

(3) poetices rudimenta erunt, versiculos aut rhytmos aliquot memoria callere.

12 videndum porro quo pacto in singulis hisce cum infantibus procedendum sit. Non ita accurate in annos vel menses dimetiendo (quemadmodum caeteris in scholis postea fiet) sed generaliter tantum. Id vero ob has rationes.

(1) quia non omnes parentes ordinem ejusmodi domi suae observare possunt, quemadmodum publicis in scholis: ubi nulla extraordinaria negotia actionum ordinem turbabunt.

(2) quia prima ista infantili aetate, non omnes aequali ingenio pollent: quidam infantes anno primo, quidam vero secundo demum vel tertio, fari incipiunt.

13 generaliter itaque ostendam, quomodo primo sexennio infantes informandi sint in rerum (1) intelligentia: (2) in laboribus et solertia: (3) in facundia: (4) in moribus et virtutibus: (5) in piatate: (6) quia horum omnium fundamentum est vita et prospera valetudo, docebitur ante omnia, quomodo diligenti parentum cura infantes salui et incolumes conservari possint.

Cap. V. Quomodo juventus ad valetudinem et robur exerceri debeat.

Orandum esse, ut sit mens sana in corpore sano, monuit quidam. At non orandum duntaxat, sed et laborandum: cum non otiosis, sed laboriosis benedictionem promittit deus. Quia tamen infantes laborare nondum possunt, neque preces ad deum fundere norunt: parentibus convenit eorum defungi partibus: ut quod procrearunt enutrire, et ad gloriam dei educare, studeant.

2. Ante omnia vero, quia erudire eos non possunt, nisi et vivos et vegetos habuerint (cum aegris enim et morbidis quid proficias?) Valetudinem infantum fovere prima parentibus cura sit. Quae res quia potissimum matribus incumbit, eas hic commonefieri necessum est.

3. Ut primum mater animad verterit, deum omnium rerum creatorem in utero suo prolem formare coepisse, magis pietati ab eo momento, quam ante, operam navabit, cum ardentissimis et quotidianis ad deum precibus: ut id quod sub corde gestat, perfecte formatum et sanum in lucem produci faciat. Huic vero usui gravidis matronis sequens oratio servire potest.

Precationis formula matronarum gravidarum.

Omnipotens deus creator omnium visibilium et invisibilium, ex quo omnis paternitas in coelo et in terra nominatur; ad te dilectissimum patrem nos creaturae

---

Page 212/213, image: s133

Tuae rationales confugimus, quia singulari consilio et deliberatione genus nostrum condidisti, admiranda sapientia formando corpus e gleba terrae; animam autem ex teipso inspirando, ut imago tua essemus. Et tametsi potueris nos omnes pleno numero, adinstar angelorum, producere, sapientiae tamen tuae aliter visum fuit, ut per marem et foeminam, ordine sancti matrimonii a te instituto, multiplicaretur genus humanum: quapropter iisdem benedicere dignatus es, ut crescerent ac multiplicarentur, nec tantum terram, sed et choros angelorum implerent. Ab aeterne deus ac pater, sit nomini tuo laus et gloria, de omnibus admirandis operibus tuis in nobis! Gratias ego pariter tuae clementiae ago, quod non tantum me ex hac celebri creatura tua prognatam volueris (ut ipsa quoque numerum electorum adimplerem): sed insuper in matrimonii statu collocatam benedicere, fructuque ventris donare, dignatus fueris. Tuum est donum, tua gratia paterna, o domine, pater spirituum et omnis carnis. Quamobrem ego ad te solum, humili corde consilium et auxilium petens, confugio: ut quod in visceribus meis formasti, virtute tua custodiri, et ad felicem partum conservari, possit. Scio enim, domine, non esse in potestate hominis gressus ejus, neque in cujuspiam facultate viam suam dirigere: siquidem debiles atque infirmi sumus, ad omnes, quos permissu tuo, sinister ille genius nobis tendit, laqueos praecavendum, vel casus in quos inconsider antia nostra praecipitamur, praeveniendum. Apud te vero sapientia infinita est, tu cui bene vis, per angelos tuos tutum ab omni infortunio, et integrum, praestas. Quapropter ego quoque, ad te, plenum misericordiae patrem, hac in necessitate mea me recipiens, rogo ut misericordiae tuae oculo me intueri, et ab omni funesto casu tutam conservare, velis. Adsis solatio mihi et dilecto

marito meo, hac in re, o deus omnis consolationis! Ut conspecta nos benedictione tua, hilari animo tuum paternum amorem exosculemur, tibique cum omni lubentia serviamus. Non me excipio castigatione, quam nostro sexui imposuisti, ut conceptus et partus nostri cum dolore fiant. Humiliter duntaxat oro, ut castigationem tuam portare me juves, atque felicem largiaris exitum. Qua in re si nos exauditos senserimus, sanamque et integris membris prolem nobis dederis, tibi illam nos reddituros, et consecraturos, promittimus: ut tu noster et seminis nostri clementissimus dominus et pater maneas, sicut et nos cum posteritate nostra fidelis progenies tua manere proponimus. Exaudi clementissime pater humillimae ancillae tuae preces, et cordis nostri desideria adimple, propter iesum christum saluatorem nostrum, qui nostri causa infans factus, in utero beatae virginis carnem assumere dignatus est: jam autem tecum et cum spiritu sancto vivit et regnat deus benedictus in secula, amen. Pater noster etc.

4. Deinde curam sui matronae habeant, ne aliquomodo proli suae noceant: propterea, (1) temperantiam ac diaetam observent, ne ingurgitatione, et inebriatione, vel intempestivo jejunio, purgationibus, venae sectionibus, infrigidationibus etc. Se adobruant et suffocent, vel exarefaciant aut debilitent foetum suum: ab omni igitur excessu quamdiu uterum gestabunt cavendum illis erit. (2) ne noxiose labascant, cespitent, neve alicubi allidant, vel offendant, vel etiam gressum incaute faciant: quandoquidem his omnibus, imbecillum adhuc et infirmum foetum, laedi haud difficile est. (3) gravidam mulierem affectus suos strictis cohibere habenis necessum est, ne inopinato percellatur timore, ne nimium stomachetur, vel cor mordeat, aut se animi discruciet etc. Nam hoc nisi caverit, infantem quoque timidum, iracundum, anxium, melancholicum, habitura est. Et quod pejus, ex subito terrore, nimiaque iracundia, exanimem et abortivum contingit foetum nasci, vel ad minimum valetudinis imbecillae. (4) ratione externarum actionum, videat mater ne nimio somno, torpore, ac otio, langueat: sed agilem se circa labores obeundos quanta animi prompritudine et hilaritate potest, praebeat: qualis enim tum ipsa est, talium quoque morum foetum est paritura etc. De reliquis medici experti, obstetrices, honestae matronae, consilia illis suppeditabunt.

5. Edito jam in lucem infante, quam convenientissime abluto, et emundato, calidis insuper ac mollibus fomentis tenello et debili pusione circumvoluto; parentes de commodo illi alimento illico prospiciant. Ubi hoc maxime observandum, ut mater ipsa nutricem agat, nec propriam carnem a se repellat: neque alimentum, quo prolem suam intra viscera sua nutricari coepit, amplius invideat. Sed proh dolor!

Page 214/215, image: s134

Quam damnosus et reprehendendus contra invaluit mos, quod matres quaedam (ex generosarum potissimum ordine) sobolem propriam fovere pertaesae, extraneis foeminis alendam permittant. Cujus facti turpitudinem hoc loco detegere, et quomodo cautius ea in re procedendum sit evincere, res ipsa necessitatem imponit. Quo enim altiores consuetudo haec radices egit, latiusque se diffudit, eo minus silentio praetereunda est. Nominatim hic, ubi boni ordinis eutaxiam ab ipsis fundamentis commonstare proposuimus.

6. Dico itaque, hanc infantum immisericordem a matribus abalienationem, extraneique lactis a nutricibus praebitionem (nisi inevitabili aliquo casu, aut matrum impotentia intercedente) primumdeo et naturae, adversari: secundo, liberis esse noxiam: tertio, matribus ipsis perniciosam: quarto, minime honestam, summoque vituperio dignam.

7. Cum natura ejusmodi nutricationem adversis pugnare frontibus, hinc palam evadit:
quod simile nullum in natura, ne quidem inter feras bestias exemplum reperiatur. Lupa, ursa,

leaena, panthera, et id genus caetera efferata animalia, foetum suum propriis alunt uberibus. Anne ergo genitrices humani generis, omnium harum bestiarum diriores erunt? (quaeso nonne idipsum intelligit deus in threnis jerem. Cap. 4. V. 3. Inquiens: dracones nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos: filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto:) quomodo, quaeso, cum natura congruet, proprium sanguinem, propriam carnem, a se retrudere? Genuino foetui tuo, quem intra tot mensium decursum sub corde gestasti, naturali sanguine nutrivisti, tandem lac subtrahere? Et quidem tale, quod non in matrum, sed liberorum usum, deus dedit. Nunquam enim alias, nisi novo foetu in lucem prodeunte, fontes illi scaturiunt: in cujus ergo nisi novi hospitis, gratiam? Divinam itaque ordinationem invertunt, quicunque rem quamcunque alio, quam destinata est, transferunt.

8. Secundo, multo conducibilius est infantili valetudini genuinae matris, quam nutricis, mammam sugere: quoniam in utero jam materni sanguinis adsueverunt nutrimento. Propiusque indoli et virtutibus parentum accederent liberi, quam ut vulgo fieri quotidiana testis est experientia perhibet philosophorum non postremus favorinus: sicut semen genitale occulta vi pollet corpus, animamque, ad formam originis suae plasmandi, simili virtute lac etiam praedittim esse. Quod exemplo agnorum et haedorum demonstrat, dicens: agnos caprino lacte nutritos, multo hispidiorem lanam alere, prae materno lacte potatis: sicut contraria ex parte, hoedi ovium uberibus admoti, mulio molliorem proferunt. Quis hinc nisi caecus non animadvertat, infantes cum lacte alieno alienos quoque, non parentum suorum, mores imbibere? Si conjuges hortum suum alieno semine conseri non patiuntur, cur plantationem suam peregrina pluvia irrigari sinunt? Si pater proli suae naturam suam communicavit, cur mater suam ei neget? Cur tertium perficiendae illi admittunt? Atqui deus duas tantum personas, tanquam ad sobolem producendam sufficientes, conjunxit: cur nos voluntati dei non acquiescimus?

9. Si cui tamen hoc concedendum sit, bino potissimum casu concedi poterit. Primo, si mater infantis contagiosum aliquem morbum patiatur: ad conservandam infantilis valetudinis firmitatem, ne contagiosae aliquid labis trahat, aliae nutrici concredi poterit. Tum, si mater corruptis moribus fuerit, qui obices infanti ad virtutem ponerent, nutricis autem piae, probis moribus, copia foret, haud negaverim ad consequendas pulchriores animi dotes ei committendum esse. Quia vero his temporibus etiam honestissimae, nobilissimae, piissimaeque matronae, defunctoriis, inhonestis, impiis, interdum multo imbecillioris quam ipsae sunt valetudinis mulierculis, recens nata viscera sua tradunt, hoc nulla ratione excusari potest. Sic enim carissima soboles certissimae corporis et animae contagioni objicitur. Et sane non habent eo in casu quod mirentur parentes, si liberi eorum sibi quam dissimillimi moribus, et vitae actionibus, evadant, nec vestigiis eorum insistant. Siquidem juxta usitatum latinis veriverbium, cum lacte imbibitur nequitia.

9. Tertio, cum delicatae id genus matres, ne si ipsae curam liberorum haberent, aliquid de commoditatibus suis, vel formae elegantia amittant, metuunt: fit saepenumero ut non tantum quietis, pulchritudinis, sed cum valetudine vitae etiam, jacturam faciant: cum lactentes suos infantes, tanquam medicos suos non adhibent, qui eas quam plurimis occultis etiam morbis, atque superfluis humoribus, liberare solent: quod supradictus philosophus satis prolixe ostendit. Unde plutarchus peculiarem libellum conscribere, et matres officii, ad quod a deo et natura destinantur, adhortari necesse habuit. Aulus vero gellius scriptum reliquit, indignas matrum nomine esse, quae quod deus et natura

---

Page 216/217, image: s135

Jubent, facere detrectant: quibus eapropter omne infortunii genus etiam denuntiat.

10. Tandem, non convenit maternae honestati propriis mammam denegare liberis. Didacus apolephtes, tales non matres sed novercas vocat. Plurimae, inquit, vel catellum complexari, quam foetum suum sinu gestare, malunt: multaeque magis genuinam prolem, quam canem aut sciurum ulnis gestare erubescunt. Quodnam quaeso animal tam ferum est, ut pullos suos alienis concredat? Imo datur genus animalium, ubi masculus cum femella de foetu fovendo decertant. Aves item, quamvis sex vel plures interdum pullos excludant, nec ubera iis deus ad sustentandam prolem largitus sit, non tamen eos deserunt, sed qua possunt cura alunt ac nutriunt.

11. Quid autem exinde boni oriatur, si non mater sed vilis nutricula infantes enutriat, tribus id trium romanorum imperatorum exemplis reddam manifestum.

(1) titus, quod morbida usus fuit nutrice, per totum vitae suae tempus aegritudinibus obnoxius fuit, teste lampridio. Caligula, specie humana bestia ferox fuit: cujus rei culpa non iu parentes, sed nutricem, cujus ubera suxerat, transferebatur: quae praeterquam, quod ipsa malitiosa et impia fuit, papillas sanguine conspergere solita, eidem sugendas porrigebat. Unde tam efferatis factus fuit moribus, ut non tantum lubens sanguinem humanum profunderet, sed gladio etiam adhaerentem lingua lamberet, satiem ejus nullam sentiens unquam. Aususque fuit optare omnibus hominibus unam tantum esse cervicem, quo uno ictu decuti possent. Tiberius caesar, nimius erat vini: nutrix enim ejus, non tantum ipsa merobiba et temulenta mulier erat, sed eum a pueritia ad juscula vini condocefecerat.

12. Hinc jam videre est, haud parum in eo situm esse non tantum ratione corporis et sanitatis, sed etiam ratione animi ac morum, qualem quis nutricem habuerit. Nam si nutrix aliquo, manifesto vel occulto, affecta fuerit morbo, ad eum infans quoque pronus erit. Si fuerit prostitutae pudicitiae, expers veritatis, picatarum manuum, bibula, irae impotens, non alios ab infante quoque mores exspectaveris: omnium horum vitiorum semina cum lacte imbibet. Didacus apolephtes parte 3. Pag. 72. Etc.

13. Sed satis de his impraesentiarum. Pii, prudentes, prolisque suae salutis avidi parentes scient, quomodo admonitione hac utendum sit.

14. Cum lacte deinde sensim infantes aliis alimentis adsuefieri possunt: prudenter tamen, a talibus nutrimentis inchoando, quae naturali alimento propiora sunt, mollibus, dulcibus, facilis concoctionis. Pharmacis adsuefacere infantes (ut quibusdam in more positum est) maxime detrimentosum. Siquidem eo pacto primo naturali in ventriculo digestioni, et consequenter incremento, obex ponitur. (remedium enim et cibus contraria sunt: hic sanguinem et vitales humores corpori subministrat, illosque auget; illud vero se istis opponit, eos abstergit, forasque pellit.) Praeterea, medicina citra necessitatem assumpta, abit in naturae consuetudinem, vimque suam amittit: ut necessitatis tempore nihil operetur, quippe naturae adsueta. Imo hinc sequitur (quod capitalius) infantes medicamentis a teneris adsuetos, ad virium perfectionem, et valetudinis integritatem, nunquam pervenire: defectos viribus, aegros, infirmos, pallidos, imbecilles, fistulosos, reddi. Fata denique antevertere sua, et praemature mori.

15. Quapropter o dilecti parentes, si in sapientum numero censeri vultis, medicamentis, non postulante necessitate, tanquam veneno, liberos vestros prohibete: sicut et potu ac cibis natura calidis, et acribus: ut sunt multo pipere, vel sale nimio, condita fercula etc. Qui ejusmodi cibis liberos nutrit, potu potat, simile quid facit imprudenti hortulano, qui cupiens plantam

celeriter crescere, florescere, ut radicem incalfaciat calce conspergit. Verum quidem est, ocyus illam augmenta sumpturam, gemmas protrusuram: sed citius arescere et marcescere incoepturam, et in medio incrementi sui radicitus perituram. Dubitas? Fac experimentum, et quam salubria pueris ista sint, comperies. Lac deus pueris, reliquisque tenellis creaturis in cibum assignavit et ordinavit: eo itaque alendi. Quamprimum autem a lacte abduci poterunt, similibus cibis, modice tamen temperatis, pane, butyro, pultibus, olere aliquo, aqua et tenui cerevisiola utantur, ita crescent velut herbula ad fluentem aquam: tantum illis temperatum somnum, frequentes lusiones, commotiunculas sui, indulgendo, salutemque et valetudinem eorum piis precibus deo (quod maxime observandum) commendando.

16. Hinc sapientissimi quondam mortalium spartani, prae caeteris quos terra tulit nationibus, potissimam recte educandae juventutis curam gerentes: ne ulli juvenum ante vigesimum annum vinum gustare liceret, publicis statutis

---

Page 218/129, image: s136

Severe caverunt. Si vini usus adeo juventuti negatus fuit, quid, quaeso, hodie de furioso illo nuper in perniciem generis humani reperto potu, videlicet vino igni eliquato, quo nunc aeque juvenilis atque senilis aetas torretur, dicturos censemus? Tempus profecto est, ut cautius mercari discamus, neve nostros liberos, adminimum infantulos, corrumpamus et occidamus.

17. Alias quoque valetudo infantum summa cum diligentia curanda est: quandoquidem corpusculum illorum debile est, ossicula mollicula, venulae imbecilles, nullum membrum adhuc maturum, vel perfectum. Prudenti ergo circumspectione opus, quomodo infans manibus excipiendus, attollendus, gestandus, deponendus, fasciis involuendus, in cunis agitandus sit: ne per imprudentiam laedatur, ne manibus excidat, allidat: inde vero visu vel auditu privetur, claudus vel mancus evadat. Auro pretiosius cimelium est infans: sed fragilius vitro, facile concuti et confringi potest, damnum vero inde veniens irreparabile.

18. Ubi sedere, stare, cursitare occoeperint hic ne impingant, sellulis, serperastris, vehiculis opus: semper a minimis incipiendo. Alicubi regionum usus est, in modum farciminis gossipio iufulto pileolo caput infantum circumdare, ut prolapsi non tam facile caput laedant: quae cautio circa alia quoque membra adhiberi posset. A frigore et aeris injuria decens amictus. Calidumque hibernaculum, eos defendet. Ut rem in compendium conferam, ne vel con tusione, vel nimio aestu, frigore, neve nimio cibo vel potu, aut etiam fame vel siti, imbecillis valetudo eorum jacturam patiatur, sed ut omnia mediocriter fiant, providendum.

19. Utile quoque fuerit diaetam observare: quoties videlicet de die ad quietem reponendi, rursumque attollendi, et cibandi, aut lusu recreandi, sint: quoniam et sanitati id plurimum conducit, et subsequentis ordinis fimdamentum est. Quod tametsi alicui ridiculum videri queat, verissimum tamen est, infantes in satis decentem et suavem ordinem redigi posse: quod exempla probant.

20. Et quia vita nostra ignis est, ignis autem nisi liberam transpirationem, perpetuamque agitationem, habuerit, actutum exstinguitur: infames quotidiana sua exercitia et commotiones habere necesse est. Atque hunc in usum puerorum cunis agitatio, circumgestatio, de loco in locum translatio, in vehiculis vectatio (antequam ipsi discursitando sese agitare valeant) inventa sunt. Ubi vero paulo adultior factus infans, pedibus valere incipit, currendi, et hoc illudve negotium expediendi, facultas illi permitti potest. Quo magis puer aliquid facit, cursitat, lusitat, eo jucundiori sopitur somno, eo facilius stomachus digerit, eo celerius ille crescit, eo

plus corpore et animo viget: praecavendo tantum, ne alicubi offendat. Proinde locus quoque iis ad discursitandum, et sese exercendum, tutus circumspiciendus, modusque hujus exercitii, qui sine noxa fiat ostendendus, custodesque valetudinis, nutrices et gerariae, adhibendae.

21. Denique, quoniam juxta vulgare adagium, animus hilaris dimidia sanitas: imo juxta siracidem, laetitia cordis, est ipsa vita hominis (cap. 30. V. 23): in eo quoque toti parentes esse debent, ne liberis suis oblectationem deesse patiantur. Verbi causa: primo anno spiritus in eis concitantur cunarum agitatione, manuum subagitatione, cantillatione, crepitaculis pulsatione, per aream vel hortum circumgestatione; vel etiam osculis, amplexibus, modo haec omnia circumspecte fiant. Secundo, tertio, quarto etc. Anno jucunda cum ipsis, aut ipsorummet inter se, collusione, discursitatione, consectatione, musices auscultatione, et qualicunque amoeno spectaculo, pictura etc. Et ut compendio utar: quicquid infanti acceptum ac gratum esse deprehenditur, nullatenus ei negandum est: imo si de convenienti oculis, auribus, aliis sensibus, occupatiuncula prospicietur, corporis et animae ipsorum vigor erit. Ea sola quae pietati ac honestis moribus adversentur. Permitti non debent. De quo plura suo loco.

Cap. Vi. Quomodo infantes circa rerum intelligentiam exercendi.

Cum essem tenellus filius patris mei (inquit salomon, mortalium sapientissimus prov. 4. V. 4.) Et unicus maris meae: ille me docuit, indicans initium omnium esse sapientiam; conquirendamque, et tota possessione comparandam, prudeniam. Parentum igitur prudentiae fuerit, non tanrum providere, ut liberi ipsorum vivant, aut ut quam plurimum fortunarum coacervatum habeant: sed et quomodo mens illorum sapientia imbuenda sit, totis allaborare viribus. Sapientia siquidem pretiosior est gemnis et margaritis: et omnia quae desiderantur, huic non valent comparari. Longitudo dierum in dexira ejus, et in sinistra ejus divitiae et gloria. Viae ejus viae pulchrae,

---

Page 220/221, image: s137

Et omnes semitae ejus pacificae. Lignum vitae est his qui apprehenderint eam, et qui tenuerint eam beati. Verba sunt ipsius spiritus s. Prov. 3. V. 15.

2. Perpendite vero parentes, quando haec sapientiae exercitia cum liberis inchoanda sint? Salomon dicit, se a patre suo statim ab infantia institutum fuisse: et quamvis unigenitum mater haberet, non tamen institui eum prohibuisse. Aeque igitur infantes nostri circa rerum naturalium, aliarumque, intelligentiam informari possunt. Id vero quomodo? Sic nimirum quomodo tenera aetas patitur, id est ad ipsorum captum. Quod per exempla ostendam.

3. Physica recens natorum infantum est, edere, bibere, dormire, digerere, crescere. Sed haec illorum non feriunt intellectum. Altero demum vel tertio anno capere incipiunt, quid pappa, quid mamma, cibus aut potus. Sit etc. Et mox, quid vocemus aquam, quid ignem, quid ventum, quid frigus, quid calorem, quid vaccam, quid catellum, et generales quasdam naturalium rerum differentias. Quod gerariae ulnis eos fovendo, aut circumgestando, instillabunt, dicendo: ecce equus, ecce avis, felis etc. Quarto, quinto, sexto aetatis anno, in earundem rerum cognitione progredi magis magisque possunt: ut quid sit lapis, arena, lutum, quid arbor, quid ramus, quid folium, quid flos etc. Dicatur, sciant. Nosse etiam fructus nonnullos, pyrum, pomum, cerasum; botrum etc. Item appellare suo nomine membra externa corporis, eorumque officia utcunque nosse. Qua in re pater, mater, vel geraria, frequentius cum eis occupari, et hoc aut illud monstrando nominare, possunt: jubentes idipsum efferre, exquirendo: quid hoc

est? Auris. Quid eo operaris? Audio. Hoc vero quid? Ocellus. Cui usui? Ut videam. Quomodo id vocatur? Pes. Ad quid est? Ut ambulem etc.

4. Optices principium erit, lucem intueri, quod pueris naturale est: quia lux primum visibile, oculos ad se convertens. Custodiendi tamen, nec permittendi sunt, nimiam lucem et fulgorem aciem oculorum praestringentem irretortis oculis intueri, praesertim initio, ne visus demum sese explicans debilitetur, aut exstinguatur. Mediocrem lucem, et quicquid paulatim micat, potissimum vero viridem colorem, spectandi facultas eis fiat. Altero et tertio anno optices exercitium erit, picta et colorata ad contemplandum iis offerre. Pulchritudinem firmamenti, arborum, flosculorum, aquae fluentis, ostendere. Alligare eorum manibus, et collo, corallia, vestes subministrare pulchellas etc. Quia haec lubentes circumspectant. Imo intuitu speculi et oculorum et mentis acies acuitur. Quarto anno, et sequentibus, addenda ex opticis erunt plura, eductis iis. Interdum foras, in pomarium, campum etc. Vel ad fluvium: ut contemplantes animalia, arbores, herbas, flores, fluenrem aquam, molarum rotationem, et id genus similia, oculos pascant. Imo picturae in libris, in parietibus etc. Gratae sunt iis. Non invidendae igitur, potius de industria eo deducendi sunt infantes.

5. Astronomiae secundo, vel tertio ad summum anno, principia habere possunt, intuentes. Coelum et discernentes inter solem, lunam et stellas. Anno quarto et quinto considerare poterunt, solem et lunam oriri et occidere; lunam interdum totam splendere, interdum dimidiatam vel falcatam: quod monstrari etiam potest, et debet. Sexto anno doceri forte possunt, hieme dies esse brevissimos, noctem vero longissimam: aesate contra diem longum, noctem vero brevem etc.

6. Geographiae circa decursum primi anni, et dehinc, primordia erunt, quando cunas suas, et sinum maternum, dignoscere incipient. Secundo et tertio anno geographia illorum erit, nosse hypocaustum quod incolunt etc. Ubi circumspicere debent, quando edendum, cubitum aut foras eundum, ubi lux aut ubi calor quaerendus sit. Tertio anno incrementa in geographia capient, si non tantum hypocausti, sed et atrii, culinae, cubiculi, eorum quae in area, stabulo, pomario, in aedibus, et circa eas sunt, distinctiones et nomina tenebunt. Quarto anno, per plateam, forum, ad vicinum, ad patruum, ad aviam, ad amitam, ad susceptorem suum, exspatiando viam discere. Quinto vero et sexto omnia illa memoriae penitus infigere, intelligereque quid sit urbs, pagus, ager, hortus, sylua, fluvius etc.

7. Docendi quoque sunt differentias temporum nosse: aliud nempe esse diem, aliud noctem. Quid item mane, quid vespera, quid meridies, quid media nox sit. Tum quoties de die edendum, dormiendum, orandum. Haec prima erunt chronologiae rudimenta. Deinceps porro cognoscent, septimanam habere septem dies, et qui cui illorum succedat: sex esse profestos, septimum vero festum: diebus autem sacris a laboribus externis vacari: sed templum frequentari, rebus divinis operam dari. Ter vero in anno solemnia recoli festa. Natalitia christi, hieme; pascha vere; pentecoste

---

Page 222/223, image: s138

Aestate; autumno colligi vina etc. Quae omnia, quamvis ipsi per se capere et meminisse addiscent, tamen cum illis pueriliter de his confabulari nihil pronibet, secundum occasionum formas.

8. In historia et rerum gestarum recordatione, exercendi sunt: quamprimum fari coeperint. Et quidem primo per pueriles quaestiunculas, quis tibi hoc dedit? Vbi heri fuisti? Ubi die

mecurii?Respondeat, apud avum, aviam, amitam etc. Quid munusculi inde reportasti? Quid se daturum dominus. Propater (susceptor) tuus pollicitus est? Etc. Alia ipsa se memoriae figent: circumspectione solummodo opus est, quoniam memoria puerilis thesauros sibi congerere incipit, ut nihil nisi bona, et ad consequendas virtutes, deique timorem, utilia congerat: contraria his nec oculis, nec auribus illis obvenire permittantur.

9. Oeconomices (id est circa administrationem rei familiaris intelligentiae) primo et sequenti anno principium erit, cum incipiunt agnoscere materculam, paterculum, gerariam: postea dignoscere alios etiam in domo. Tertio cognoscent, patrem et matrem imperare, coeteros parere. Quarto et quinto discere incipiant frugalitatem: vestimenta sua quae festis diebus, et quae profestis destinantur, agnoscant; illa observare, non maculare, non lacerare, non terram iis verrere. Unde facile animadvertent, cui usui sint cistae, armaria, camerae, fornices, serae et claves: nempe, ne cuivis ad quodvis aditus pateat. Aliam vero necessariam domesticam supellectilem, vel ipsi per se contemplantes eam, quid sit deprehendent, vel a parentibus, gerariis, a fratribus vel sororibus majorennibus, ex familiari colloquio cognoscent. Cui maximopere servit, ut pueris ad lusum lignei vel plumbei equi, vaccae, oviculae, vehicula, bipalia, mensae, sellulae, canthari, patinulae dentur: non propter solum lusum tamen, sed ad promovendum rerum intellectum. Hoc etenim est, tenellos juxta viam suam docere (prov. 22. Vers. 6.) Nempe in haec minima sensim oculos illis aperire, ne in majoribus caecutiant.

10. Politica eorum primis annis admodum exigua esse potest. Nam tametsi audiant, dominum, praefectum, consulem, praetorem seu judicem etc. Nominari, quia tamen non frequentant negotia quae ibi obeuntur; et quia licet interessent, ista captum eorum superant, non comprehenderent: nec ergo eo adigendi. Enim vero vicem istorum praestare poterit, si rudimentis politicae conversationis adsuescant: paulatim mente comprehendentes (cujus rei infra, mores informando, mentionem facimus) cui ipsi obsequi, quem venerari, et quem respectare debeant: ut domestica eorum cum patre, matre, familia conversatio rationalis sit. V. G. Si aliquis eos vocat, quod teneantur respicere, consistere, et quid velit auscultare. Ad interrogata item pulchre respondere, quamvis jocosa sint. (prout lubentes in hac aetatula blande vexanda occupamur, hoc vel illud jlocaliter cum illis, propter acuendum eorum intellectum sermocinantes.) Docendi itaque et perdocendi sunt, ut quid joco vel serio. Dicatur intelligant: et simul quando jocus joco reddendus sit, sciant; rursumque quando serius est sermo, ut serio agant. Quod ex vultu et gestibus, joco vel serio aliquid mandantis, vel significantis, absque ulla difficultate cognoscere addiscent. Si tantum institutores eorum indole uti sciverint; ne quovis tempore cum pueris, etiam opportunitate non observata, et inter seria (velut inter orandum, vel adhortandum, aut dehortandum) jocentur: neve dum jocis vacant, adducant supercilium, irascantur iis, aut verberibus saeviant. Hoc enim modo pueri animus distrahitur, ut nesciat quomodo hoc vel illud intelligendum sit. Qui puerum prudentem evadere cupit, prudenter cum eo agat necesse est: non vero illum prius fatuum, aut truncum, quid agatur non intelligentem, faciat.

11. Graviter etiam infantum ingenia, et intellectus, apologis de animalibus, aliisque ingeniose confictis fabellis, acuuntur. Ejusmodi enim narratiunculis auscultant libenter, eorumque meminerunt facile. Et quia his ingeniose confictis parabolis plerumque aliqua moralis doctrina includitur, duplici usu pueris illae concedendae sunt. Puta, ut et mens eorum habeat quo occupetur, et sensim illis, quod olim profuturum est, haereat.

12. Tantum de rationali infantum circa rerum intellectum formatione. Unum addam: quamvis gerariae et parentes in his omnibus non parum infantibus operae pretii locare possint, plus tamen eorum coaetanei, aeque pueri: sive unus alteri narret aliquid, sive colludant. Aequalis enim puerilis aetas, aequales progressus, mores, ac consuetudines acuunt se melius, dum

Page 224/225, image: s139

Alter alterum inventionum profunditate non superat. Nulla inter eos, alterius super alterum, dominii affectatio, nulla coactio, nullus timor, aut formido, sed amor, candor, liberae de quavis re interrogationes et responsiones. Quod nobis majoribus, pueris conversari volentibus, omne deficit, defectus autem impedimento est.

13. Nemo itaque dubitabit, plus puerum puero ingenium acuere, quam quemvis alium, posse. Et propterea pueros puerorum coetus vel quotidie frequentare, simulque in plateis colludere, vel discursare, non tantum permittendum, sed etiam ut ita fiat providendum est. Hoc unum praecavendo, ne se prava sodalitia admisceant, plus damni quam lucri datura. Cui periculo circumspecti parentes, si tale sodalitium apud vicinos animad verterint, facile occurrent, neque suos ea pice inquinari permittent.

Cap. Vii. Quomodo infantes ad vitam actuosam, perpetuasque occupationes, adsuefaciendi sint.

Pueri circa aliquid semper occupari gaudent, quia novellus in ipsis sanguis quiescere nequit: quod cum sit valde utile, inhibendum non est, sed ut semper quod agant habeant, providendum. Sunto illi formicae, semper aliquid versando, portando, trahendo, componendo, transponendo occupatae: tantummodo ut prudenter fiat, quicquid fit, juvandi sunt, praemonstrando eis omnium formas etiam ludicrorum (seriis enim adhiberi nondum possunt) colludendo ipsis. Themistoclem atheniensium principem legimus aliquando cum filio equitantem in arundine longa, conspectum fuisse a superveniente cive juvene, coelibe adhuc. Quem ut mirari animadverteret, tantum virum tam pueriliter se gerere, rogavit parceret id cuiquam narrare ante quam ipse filium haberet: innuens ipsum patrem factum, melius parentum erga liberos affectum intellecturum, eaque re quam nunc puerilem reputat, offendi desiturum.

2. Quia vero infantes quicquid in aliis vident, imitari tentant, permittendum est eis: iis solis exceptis per quae sibi, aut rebus, damnum inferre queant, ut cultros, secures, vitra etc. Tractare. Ubi non inconveniens fuerit, loco veri instrumenti eorum in usum crepundia habere parata: cultros plumbeos, gladios ligneos, aratra, vehicula, trahas, molas, aedificia etc. Cum quibus illi vel semper ludant, corpusque ad sanitatem, mentem ad vigorem, membra corporis ad agilitatem exerceant. Gaudent et domunculas struere, parietesque e luto, assulis, lignis, lapidibus, formare: ubi se architectonicum prodit ingenium. Verbo, quicquid infantes (modo non sit noxium) ludere volunt, juvandi magis quam impediendi sunt. Non enim aliud quo occupentur habent, otium vero animae et corpori detrimentosum est.

3. Jam gradatim secundum annos procedendo, primo anno mechanicae satis erit, cum os ad cibum aperire, caput erectum tenere, oculos flectere, manu aliquid capere, sedere, stare etc. Addidicerint: quae omnia natura magis quam industria constabunt.

4. Secundo et tertio anno mechanicae usus erit uberior. Hic enim intelligere incipiunt, quid sit currere, saltare, varie sese agitare, lusitare, accendere, rursum exstinguere, transfundere aquam, transportare aliquid e loco in locum, ponere, tollere, prosternere, statuere, convertere, convoluere, revoluere, inflectere, rectificare, frangere, scindere etc. Quae omnia concedenda, imo data occasione praemonstranda illis sunt.

5. Annus quartus, quintus, sextus laborum et architectationum pleni erunt, et esse debent. Non bonum enim est indicium, nimis tranquilla pueri sessitatio, aut obambulatio: semper currere, aut semper aliquid agere, sani corporis et vegeti ingenii argumentum certum. Quapropter, ut dictum, quicquid attentaverit, non solum prohibendus non est, sed juvandus potius, ut quod agitur, ratione agatur, ulterioribusque seriis laboribus paret viam.

6. Etiam in pingendo et scribendo exercendi sunt pueri, statim hac materna in schola, quarto aut quinto aetatis anno, prout inclinatio animadverti aut excitari poterit: porrecta iis creta (pauperiores carbone) qua illi puncta, lineas, uncos, cruces, orbes, pro lubitu scribant. Cujus paulatim modus quoque monstrari poterit, vel per lusum, ad oblectationem animi. Hac certe ratione manum tenendae in posterum cretae, et ducendis literis, conformabunt, et quid punctum aut lineola sit percipient: quod postea praeceptori egregio cedet compendio.

7. Dialectica hic alia praeter naturalem,

Page 226/227, image: s140

Et usu comparatam, esse nequit: qualiter se gerunt, qui pueris cohabirant, sive rationaliter sive irrationaliter, ita et pueri consuescunt.

8. Arithmetices vix tertio anno rudimenta poni possunt: cum primo ad quinarium, postea ad denarium, numerare incipient: aut ad minimum ista recte eloqui, quamvis principio quid ista sint non intelligant. Per seipsos enim deinde, cui usui haec numerario sit, animadvertent. Quarto, quinto, sexto anno, si ad viginri usque ordine numerare: septem vero esse plus quam quinque, quindecim plus quam tredecim etc. Celeriter distinguere didicerint, sufficiet: quis numerus par, et quis impar, ex lusu quem par impar vocamus, nulla difficultate intelligent. Ulterius eos in arithmeticis informare inutile, imo damnosum fuerit. Nihil siquidem tam difficulter mente nostra haeret atque numerus.

9. Geometriae. Circa annum secundum percipere poterunt principia, quid magnum et quid parvum nominemus: facile post quid breve, longum, latum, angustum sit, cognituri: quarto anno, si nonnullarum figurarum differentias, v. G. Quid circulum, quid lineam, quid crucem apellemus, cognoverint. Denique nomina usitatiorum mensurarum: ut sunt digitus, palmus, spithama, ulna, passus, libra, quadrans, congius etc. Et si quid amplius sponte in eorum notitiam venerit, illi vero ipsi metiri, ponderare, aliud cum alio conferre tentabunt.

10. Musica maxime: nobis naturalis est. Nam quamprimum in lucem edimur, continuo cantilenam paradisi, lapsum nostrum in memoriam nobis revocantem, cantillamus, a, a! E, e! Quiritatio inquam, et ploratus prima est nostra musica; qua prohibere infantes impossibile est: nec (tametsi esset pussibile) expediret, quia valetudini conducit. Quamdiu enim caetera exercitia et commotiones absunt, hoc ipso pectora, et reliqua interiora superfluitatibus suis sese exonerant. Bimulos externa etiam musica oblectare incipit: cantatio scilicet, crepitatio, instrumentorum musicalium pulsatio. Mediocriter itaque infantibus in eo obsecundandum est, ut concentu et harmonia illorum aures et animi demulceantur.

11. Tertio anno musica sacra incipiat usu quotidiano: nempe ubi usu receptum est, ante vel post prandium, inchoatis vel finitis precibus, cantari, id in praesentia eorum fiat, illique attendere, et se composite gerere consuescant: sicut et in coetum sacrum, ubi tota ecclesia concinit, eos assumi expediet. Quarto anno cantillari ipsosmet, quibusdam non est impossibile: tardiores cogendi non sunt, sed permittenda fistula, tympanum, fides pueriles: ut fistulando,

tinniendo, stridendo, auditum ad varios percipiendos sonos adsuefiant, aut etiam imitentur. Anno quinto ut ora in hymnos et laudes dei resoluere, voceque sua in gloriam creatoris sui uti incipiant, tempus erit. [hic quarundam cantionum faciliores versiculi, mane et vesperi, ante et post cibum, ante et post preces, nobis usitati; assignati sunt: quos imitari poterit quaeque gens, sua in lingua.]

12. Haec enim talia parentes et gerariae, cum liberis cantillando et velut colludendo, sine ulla prorsus difficultate menti eorum instillare possunt: quia memoria illorum multo capacior et celerior est, quam ante, propterque rhythmos ac melodiam facilius ac jucundius plura imbibit. Quo plures autem cantiones tenuerint, eo magis sibi placebunt, dei vero gloria ex ore infantum augebitur. Benedicta domus, ubi davidicae hujusmodi musicae voces resonant!

Cap. Viii. Quomodo infantes in linguae usu scito exercendi sunt.

Duo hominem a brutis distinguunt notabiliter, ratio et oratio; illa homo propter seipsum, hac propter proximum eget. Utriusque igitur aequalis cura habenda: ut homo sicut mentem ita et linguam, habeat quam exercitatissimam ac politissimam. Jam itaque aliquid de formatione linguae adjungamus: qualia nempe, quando, et quomodo grammatices, rhetorices, et poerices principia sint ponenda.

2. Grammaticae initia quibusdam infantibus ante semestre jam porumpunt, consuete tamen circa decursum anni: cum videlicet in lingua eorum literae quaedam formari incipiunt, vel etiam syllabae a, e, i, ba, ma, ta etc. Sed anno sequenti completiora esse solent, cum integra vocabula proferre adnituntur. Ubi consuetum est, faciliota quaedam ad eloquendum verba iis proponere, tata, mama, pappa, bumba, etc atque sic facto opus est. Nam. Ipsa natura a facilioribus incipere jubet: cum quomodo nos adulti proferimus, pater, mater, cibus, potus etc. Primum resoluenti se infantili linguae prolatu difficile sit.

3. Quam primum tamen illis lingua

Page 228/229, image: s141

Melius flecti incipit, noxium est indulgere illis, ut blaese loqui consuescant, alias cum ad majora discenda ventum est, fari demum, et quod prius corrupte didicerant dediscere, coguntur. Eccur mater, soror, geraria, cum infantibus libere jam os aperientibus non oblectationis causa ludendo occupentur? Ut literas et syllabas bene, distincte, articulate, efferre discant, sive integra verba (breviora tamen primo) sive seorsim literas, aut syllabas? Haec illorum hoc anno grammatica erit: quae exercitatio ad tertium usque annum durare poterit, interdum quoque necesse est, propter nonnullorum tarditatem.

4. Quarto, quinto, sexto anno, sermo eorum cum rerum intellectu augebitur: modo ne exercitium praetermittatur, ut quicquid domi vident, circa quod occupantur, nominare consuescant. Ideoque saepe interrogandi; quid hoc est? Quid agis? Quomodo id vocatur? Semper eo respectando. Ut distincte enuncient. Plus hic formationis haud opus est: nisi ut vel jocos intermiscendo juventur. V. G. Quis melius et citius longiorem aliquam vocem efferet? Ut taratantara, nabuchodonosor, constantinopolitam, etc.

5. Rhetorica etiam primo anno principia sumit, et quidem ab ultima sui parte, gestibus: quamdiu enim hujus aetatulae intellectus et loquela in profundis radicibus haeret, gestibus certis, et externis actionibus, in nostrimet et rerum cognitionem eos deducere consuevimus;

dum nimirum eos tollimus, cubitnm reponimus, monstramus eis aliquid, vel arridemus: omnibus his eo collimantes, ut nos vicissim intueantur, rideant, manus porrigant, quod damus ad se recipiant; et sic nos invicem prius gestibus quam sermone intelligere discimus: quemadmodum et cum surdis procedendum est. Potest, inquam, iufans statim primo et secundo anno addiscere, ut intelligat quid caperata, quid exporrecta frons sit, quid digito facta comminatio, quid nutus, quid renutus sit etc. Quod fundamentum est actionis rhetoricae.

6. Tertio circiter anno incipent secundum gestus figuras intelligere et imitari: interdum interrogantes, interdum admirantes, interdum obticescentes cum aliquid narrant. Ex doctrina de tropis non multum percipere possunt, quamdiu propriae verborum significationi intelligendae student. Attamen si anno quinto vel sexto aliquid tale a coaetaneis suis, vel gerariis, audierunt, arripient etiam. Quod ut vel intelligant, vel sciant, nulla opus solicitudine: quia ad ista altiora (phalerata verba) satis adhuc temporis habituri sunt. Eo tantum collimo ut demonstrem, omnium scientiarum et artium radices in quovis infante (etiamsi id non attendamus vulgo) tenera statim aetate surgere: hisque fundamentis omnia superstrui nec impossibile, nec difficile esse, modo cum rationali creatura rationabiliter agamus.

7. Idem fere de poesi (quae sermonem rhythmis et metris ligat, et quasi plicat) dici potest, illius principia ex sermonis initiis fluere: quia quamprimum infans verba intelligere incipit, simul etiam concentum et rhythmos amare incipit. Ideo gerariae, cum infans prolapsus aut alicubi allisus plorat, his aut similibus rhythmis eum solantur: mi puelle, o pulchelle, ubinam discursasti? Quid inde reportasti? Si infans quiete sedisset, non hoc tuber retulisset. Quod adeo infantibus placet, ut non tantum facile contisescant, sed etiam rideant. Solent etiam manibus eorum complodentes haec aut his similia decantare.

O mi pulle, mi puelle, dormi belle:
claude bellos, tu ocellos, curas pelle.

8. Tertio et quarto anno bonum foret ejusmodi rythmos augeri; quos nutrices ludentes infantibus cantillent: non tantum ad eos a fletu cohibendos, sed etiam ut illorum memoriae haerere, et successu temporis prodesse, possint. V. G. Anno quarto, quinto, sexto, poeseos incrementa capient, memoriae pios versiculos mandantes. De quo infra, inter exercitia pietatis (capite x.) Innuo. Etiamsi ergo nunc, quid rhythmus aut versus sit, non intelligant, discrimen tamen quoddam inter ligatam et prosam orationem usu animadvertere discunt, imo cum suo tempore idipsum in scholis explicabitur, gratum id ipsis futurum est, quia prius jam quidpiam tale didicerunt, quod nunc melius intelligunt. In eo itaque puerilis poesis consistat, ut rhythmorum aut versiculorum aliquot gnari, quid rhythmus aut poema, et quid sermo simplex sit, intelligere queant. Et tantum de facundiae studio, quousque in ea, sexennis infans, et per quos gradus, exercendus sit.

Cap. Ix. Quomodo in moribus ac virtutibus exercitanda sit fuventus.

Quae sint virtutes externae, quibus juventus a primis annis exercitanda veniat, capite quarto enumeravi. Nunc quomodo prudenter et commode id fieri oporteat, monebo. Si quis quaerat, quomodo tam tenera aetas ad haec seria adsuesieri possit?

Page 230/231, image: s142

Respondeo, quemadmodum arbuscula tenella, ut hoc vel alio modo crescat, multo facilius quam arbor adulta inflecti potest: ita multo celerius juventus primis aetatis suae annis ad omne bonum, quam deinceps, exerceri potest, legitimis tantum mediis utendo. Quae sunt:

1. Exemplar virtutum perpetuum.

2. Tempestiva et prudens informatio et exercitatio.

3. Moderata disciplina.

2. Exemplo bono et perpetuo praeiri pueris necesse est, quia (ut in didactica magna sufficienter ostensum) deus infantibus simininam quandam ingeneravit indolem: nempe cupiditatem omne id quod alios facere vident, imitandi. Ut quamvis puero nunquam faciendum quid quam praecipias, modo in conspectu ejus aliquid dicas, vel facias, idem eum imitando tentaturum videbis: quod perpetua experientia confirmatum est. Quam obrem in domo ea, ubi infantes sunt, summa circumspectione opus est, ne quidpiam virtutibus contrarium fiat; sed temperantiam, munditiem, observantiam, mutuum obsequium, veriloquium etc. Omnes observent. Quod si diligenter fieret, certum est non multis, seu verbis ad docendum, seu verberibus ad compellendum, opus fore. Sed quia ipsi adulti crebro exorbitant, non mirum est pueros quoque quod in aliis vident imitari: cum alias quoque discipulorum sit ab errore ordiri; et natura nostra per se ad malum inclinet.

3. Informatio tamen, et ea quidem tempestiva et prudens, adjungenda erit. Opportunum autem tum temporis pueros fuerit verbis docere, cum exempla in eis non satis proficere videmus: vel, dum cupientes ad exemplar aliorum se componere, non satis scite id agunt. Hic commodum fuerit eos monere, ut hoc vel illo pacto se gerant. Ecce vide, quomodo ego facio! Quomodo pater aut matercula facit. Omitte ista, pudeat te! Non egregius adolescens eris, si te taliter gesseris. Ita vero mendici, rustici, subulci, agunt etc. Vel similiter; prolixis uti admonitionibus, vel super hac aut illa re concionibus, nondum expedit, nequidem hilum his profeceris.

4. Castigatione interdum quoque opus, ut ad specimina virtutum, et admonitiones, magis attendant. Disciplinae vero duo sunt gradus: primus, ut inclametur puer, si quid indecori agit. Prudenter tamen: non ut attonitus reddatur, sed ad timorem, et habendam sui rationem, commoveatur. Interdum acrior increpatio et pudefactio, ac mox insequens dehortatio, ne id amplius admittat, cum interminatione, accedere possunt. Quod si emendationem videris, bonum erit, vel statim vel paulo post, eum rursum collaudare. Laude enim prudenti, et vituperio, non in pueris tantum, sed et in grandibus multum proficitur. Primus hic disciplinae gradus si inefficax fuerit, alter erit virgis caedere, vel palma ferire: eum in finem, ut se puer colligat, et sibi magis attendat.

5. Ubi continere me nequeo, quin nonnullorum parentum simininum et asininum in liberos affectum acrius reprehendam: qui ad omnia conniventes crescere eos sine omni disciplina, et correptione, sinunt. Committant quamlibet nequitiam, discurrant, clament, vociferentur, sine causa plorent, responsent majoribus, irascantur, linguam exserant in alios, quovis modo licentiose agant, omnia tales tolerant, et excusant. Insans est, inquiunt, non irritandus, nondum ista capit! Sed o teipsum stupidum infantem! Si defectum intelligentiae in puero advertis, cur ad intelligentiam non promoves? Non eo enim ut vitulus, aut asellus maneat natus est, sed ut rationalis creatura evadat. Ignorasne quid scriptura dicat, stultitiam alligatam cordi juvenis esse, sed eam virga castigationis ab eo prosligari? (prov. 25. V. 15.) Cur eum in naturali stultitia detentum, quam ex ea ope tempestivae, sanctae et salutaris disciplinae

ereptum mavis? Ne tibi persuadeas, infantem non intelligere. Si etenim quid sit petulantiam exercere, stomacari, debaccari, ringi, buccas inflare, opprobrium alteri facere etc. Intelligit, certo etiam quid sit virga, et cui bono serviat, intelliget. Non infantem recta ratio destituit, sed te imprudens homo: qui quid tibi et infanti tuo saluti et solatio serviturum sit, nec intelligis, nec intelligere vis. Nam unde promanat, quod major liberorum pars postea parentibus refractarii fiunt, multisque modis eos contristant? Nisi quia revereri eos non consueverunt?

6. Verissime profecto dictum est, qui sine disciplina adolescet, sine virtute consenescet. Impleri enim scripturam oportet, quae asserit, virgam et castigationem conferre sapientiam: puerum vero petulantem rubore afficere matrem suam (prov. 29. V. 15.) Ideo ibidem loci sapientia dei suadet (vers. 17.) Castiga filium tuum, et comparabit tibi requiem, ac conciliabit voluptatem animae tuae.cui consilio dum parentes non obediunt, non voluptatem et requiem ex liberis suis, sed dedecus, opprobrium,

---

Page 232/233, image: s143

Afflictionem et inquietudinem, capiunt. Ita saepe: parentum querelas audire est: sunt mihi mali et immorigeri liberi: hic a fide descivit, alter est decoctor, heluo, temerarius etc. Et quid mirum, amice, si metas quod seminasti? Insevisti animis eorum licentiam, et vis disciplinae fructum legere? Id monstri simile foret: arbor enim non plantata, plantatae fructus ferre nequit. Opera ponenda erat, dum tenera arbuscula fuit, ut plantaretur, flecteretur, ad rectum revocaretur, et non succrevisset tam distorte etc. Cum vero plerique disciplinam negligant, non est mirum, petulantem, efferam, impiam, ubique juventutem succrescere, deum irritari, pios contristari. Prudenter sane quidam sapientum dixit: infantem, quamvis angelus esse videatur, virga tamen egere. Nonne eli ipse piam egit vitam? Nonne piam filiorum adhortationem instituit? (1 sam. 2 vers 2) at quia disciplinae efficaci parcebat, male illi cessit: mollitie enim sua, et moeroris sibi plurimum, et iram dei domui suae, totiusque stirpis. Eradicationem attraxit (1 sam. 2 vers 29. Etc. Et 3 vers. 13, 14.) Non abs re doctor geylerus (celebris argentinensis ante duo secula ecclesiae pastor) parentibus ejus modi emblema posuit: pueros capillos proprios vellentes, cultris se pungentes, patrem autem obvelatis assidentem oculis.

7. Hucusque generaliter: jam de suprapositis virtutibus sigillatim monebo, quomodo in eis decore, prudenter et faciliter exerceri possint.

8. Primum sibi temperantia et frugalitas vendicat locum: quia fundamentum sanitatis et vitae, nec non mater omnium aliarum virtutum est. Huic adsuescent, si eis tantum cibi, potus, et somni indulseris, quantum natura poscit. Sic etenim caetera animalia, solius naturae ductum sequentia, nobis frugaliora sunt. Ideo infantibus eo duntaxat tempore edendum, bibendum, dormiendum est, cum natura excitat: nempe dum eos fame, siti, somno urgeri apparet. Antequam id conspexeris cibare eos, potare, soporare, imo praeter eorum voluntatem infarcire, obruere, aut ad dormiendum compellere, dementiae est: sufficit illis talia secundum naturam praeberi. Sed et observandum, ne gula subministratis inutiliter lautitiis, et quibusuis cupediis irritetur. Haec enim sunt uncta vehicula, quibus plusquam necesse est introvehitur, et ad plus comedendum venter inescatur: suntque vera luxuriae irritamenta. Nam tametsi interdum aliquid sapidius pueris porrigere nihil impediat, cibum tamen ex bellariis facere, ut sanitati (de quo capite quinto) ita et bonis moribus maxime noxium est.

9. Munditiei primo statim anno principia poni poterunt, infantulum quam mundissime fovendo. Quod gerariae, si ratione non destituuntur, quomodo fieri debeat, norunt. Secundo, tertio, et sequentibus annis docere eos expedit, ut decore cibum sumant, ne digitos

pinguedine inficiant, ne sparsis cibis se maculent, ne sonum inter edendum (complosis suille labiis) edant, neve linguulam exserant etc. Ut sine liguritione, lambitione, et indecora sui conspersione, bibant. In vestitu qualisqualis mundities exigi potest. Ne terram vestimentis verrant, ne de industria maculent et contaminent. Quod pueris ex defectu adhuc prudentiae solenne est, parentes autem supinitate itidem quadam ad omnia ejusmodi connivent.

10. Revereri superiores facile consuescent, si majores sedulam sui curam habere, et sibi attendere, cognoverint. Si itaque puerum saepe admonebis, frequenter redargues, et castigabis, solicitus ne esto, habebit tui reverentiam. Sin vero omnia infantibus permittes, quemadmodum efflictim pueros amantes sactitant, nihil certius quam eos in petulantia et pertinacia victuros. Diligere liberos, naturae est; dissimulare dilectionem, prudentiae. Non absque sano judicio siracides scriptum reliquit: equum indomitum evasurum durum; filium remissum, evasurum praecipitem. Lacta filium, et paventem te faciet: lude cum eo, et contristabit te. Non corrideae illi, ne condoleas, et in novissimo obstupescent dentes tui (sir. 30. V. 8, 9, 10.) In disciplina itaque et timore liberos continere, quam viscera amoris eis revelare, et ad petulantiam ac inobedientiam eo ipso fenestram patefacere, satins est. Bonum quoque est aliis etiam facultatem arguendorum liberorum concedere, ut ubiubi sunt (non tantummodo in conspectu parentum) rationem sui habere adsuescant: ad radicandam eo modo in cordibus eorum verecundiam, et erga omnes homines observantiam. Quapropter minus circumspecte imo prorsus imprudenter faciunt, qui ne limis quidem oculis liberos suos quenquam intueri sinunt. Si quis vero aliquid dicat, aut moneat, in praesentia etiam liberorum suonim patronos agunt. Qua ratione fervens sanguis, tanquam caballum conscendisset, licentiae et superbiae laxat habenas. Praecavendum hoc igitur.

11. Ad actualem obedientiam juventutem summo cum labore informari oportet: cum hoc in posterum maximarum virtutum fundamentum futurum sit, si propriam voluntatem coercere, alienam observare, didicerint. Teneram plantulam non sinimus

---

Page 234/235, image: s144

Sua sponte crescere, sed alligamus pedamento: ut alligata facilius verticem tollat, roburque acquirat. Unde verissime a terentio dictum; omnes licentia sumus deteriores. Quoties itaque pater vel mater alloquentur infantem: ne id attingas! Sede! Cedo culirum! Cedo hoc vel illud etc. Assuefaciendi sunt, ut quod jubentur statim agant. Quod si pertinacia se prodere volet in iis, inclamatione, aut prudenti castigatione, facile pelli poterit.

12. Persas circa exercitationem infantum summo studio id observasse legimus, ut temperantiae et veracitati consuescerent. Nec sine causa: quum falsitas et hypocrisis hominem deo hominibusque reddant detestabilem. Mendacium servile est vitium, et a cunctis mortalibus insectandum, inquit plutarchus. De deo scriptura testatur, abominationi illi esse labia falsa (proverb. 12. Vers 22.) Cogendi itaque sunt pueri, ut, si quid labis admiserint, non factum pernegent, sed humiliter fatcantur; rursumque quod non fuit, id ne loquantur. Ea de causa plato coram pueris fabulas et ficta commenta recitari prohibet, vultque eos statim ad seria duci. Haud itaque scio, qua ratione probari possit, quod quibusdam factitare moris est, qui pueros docent culpam admissi criminis in alios transferre: atque si id sciant, jocos et delicias inde hauriunt. Sed in quem nisi in puerum noxa redundat? Qui si mendacium jocis permutare consuescet, mentiri consuescet.

13. Fustitiae labes, alienarum rerum cupido, nondum adeo hanc teneram aetatem infecit: nisi ipsae gerariae, aut qui curam liberorum gerunt, eam corrumpant. Quod contigit, si in

praesentia infantum alter alterius res auferat, et occultet, vel cibos etiam clanculum sibi confervet, alienumve attrectet. Id sive joco sive serio fiat, infantes tamen dum vident imitari adsuescunt: eo ipso simioli verissimi: quidquid enim vident, hoc ipsis inhaeret, idemque faciunt. Nutrices itaque aut circa infantes occupatos, in praesentia illorum quam cautissime agere necessum est.

14. Benignitatem et beneficentiam erga alios observare, sensim primis his annis pueri addiscere poterunt, si a parentibus eleemosynas inter pauperes distribui viderint, aut etiam ipsi deferre jussi fuerint. Item si aliquando admoneantur, de his quae habent, caeteris quoque impertiendum esse: quod ubi fecerint, collaudandi erunt.

15. Otium puluinar satanae esse, patres dicere soliti sunt: et quidem verissime. Quem enim satanas laboribus occupatum non reperiet, eum ipse occupabit: prius cogitatione devia, postea etiam pudendis factis, prudentiae igitur est, hominem mox a teneris otiosum non sinere, sed omnino assiduis exercere laboribus: quia hoc modo pessimo tentatori via praecluditur. Intelligo autem labores quos puerorum humeri ferre non recusent, quamvis nihil aliud sint (uti nec esse possunt) nisi lusus. Ludere praestat, quam otiari: nam inter ludendum alicui tamen operi mens intenta haeret, saepeque ingemum etiam acuitur. Et eo pacto nulla difficultate infantes ad actuosam vitam praeexerceri poterunt, cum ipsa natura ad aliquid agendum eos stimulet. Qua de re supra (cap. Vii.) Dictum,

16. Quamdiu infantes fari discunt, tamdiu eis liberum sit, quidquid collibitum fuerit fabulari, et quam plurima possunt garrire. Sed postquam usum fandi hauserint, summae utilitatis est, ut tacere quoque doceantur. Non quasi statuas eos habere velimus, sed rationales imagunculas. Qui silentium rem exiguam esse putat, inquit plutarchus, is parum sanae, mentis est. Siquidem magnae sapientiae initium est, silentio prudenter uti. Nam certe nulli tacuisse nocuit, plurimis autem, fuisse loquutos obfuit. Et licet noxa abesse posset, quia tamen utrumque illud (loqui et tacere) totius nostrae: conversationis per omnem vitam, et fundamentum et ornamentum est, conjungi ista statim debent, ut utriusque simul habitum nobis comparemus. Taciturnitati itaque parentes liberos adsuefacient, primo, ut inter orandum, et rem divinam (sive domi sive in coetu) quiete sedeant: discursitationes, clamores, strepitus, nulli eo tempore illis permittuntor: ut et patri aut matri aliquid mandanti taciti attendere discant. Altera taciturnitatis pars erit, considerata loquela: ut priusquam loquantur, aut ad interrogata respondeant, quid, aut quam rationabiliter dicendum sit, considerent. Nam loqui quicquid in buccam venerit, stultum est: nec convenit iis quos intelligentes creaturas evadere volumus. Attamen, quod semper repeto, quantum aetas patitur: quod circumspecti parentes summa attendent cura.

17. Patientiae habitum qualiter qualiter infans, si nimia mollities, et immodica indulgentia abfuerit, contrahet. In quibusdam mox primo et secundo anno malae inclinationis vitium serpere incipit: quod in ipsa

---

Page 236/237, image: s145

Statim herba, ut carduos, eruncare optimum erit. V. Gr. Aliquis obstinatae cervicis, et pertinax, ad quicquid animum, obfirmaverit illud clamore ac ploratu impetrare satagit. Alius iracundiam, malitiam, vindictae cupiditatem, morsibus, calcibus, lancinatione aliisque modis prodit. Qui affectus quia praeternaturales sunt, et tantum succrescens lolium, parentes, gerariaeque majori utentur ratione, taliaque in ipsa radice suffocabunt. Facilius id hac prima aeta tula, et multo utilius quam postea, ubi malitia profundas egerit radices. Frustra est quod dicunt (uti

solemne est nonnullis) infans est, non intelligit. Tales enim ipsos ratione destitui, jam ante demonstratum. Verum quidem est, nos non statim inutiles herbas, ut primum de terra germinare incipiunt, eruncare posse: quia necdum eas recte ab herbis sativis dignoscere, nec manu prehendere, possumus. Attamen et hoc verum est, non esse exspectandum donec adolescent, propterea quia posthac urtica, pejus uret, carduus magis punget, frugesque aut aliae utiles herbae, suffocabun tur ac peribunt. Nam etiam cum sentes istae firmiter jam radicarae vi evelluntur, saepe et adstantis segetis radices subvelluntur ideo quam primum zizania, urticas, carduos, animadvertis, exstirpa protinus: et provenient verae segetes tanto laetius. Si infantem praeter neceisitatem ligurire, melle, sac charo, fructibus qualibuscumque, effercire se velle vides, tu sapientior illo esto, neque talia permittito: abductum inde quacunque alia re occupa, fletum contemne, postquam satis fleverit desinet, et desuescet in posterum, insigni cum fructu, similiter si procaciter ac proterve sese gerere voluerit, ne illi parcito: inclama, caede, id cujus gratia clamat sepone. Hac demum ratione intelliget tuam esse voluntatem, non vero quod illum titillat, sequendam. Tali exercitio bimulus infans satis maturus est. Hac tamen cautione, ne infantem lacessas, aut illi stomachum moveas. Nam eo pacto ad contemnendas exhortationes et castigationes tuas aditum ipsi patefaceres.

18. Ad ministeria et officiositatem assuefaciendis infantibus perexiguo labore opus est. Cum ferme per se ipsi omnia prensent; modo ne impediantur, et qua prudentia id agendum sit doceantur. Pater itaque aut mater, quod vel ipsi vel per famulum expedire possent, illis expediendum subinde demandanto: mi pusio, cedo mihi hoc: suffer illud: hoc in scamno colloca: abi accersuum foannulum dic annulae ut ad me veniat: en da huic mendicabulo teruncium! Excurre ad dominam aviam, precare et bonam diem meo nomine, et die me quaerere qui valeat; reditum autem quam ocyssime matura etc. Omnia pro aetatis viribus. Exercendi insuper in alacritate et agilitate sunt: ut cum quidpiam ipsis injungitur, lusu ac reliquis omnibus omissis, celerrime effectum dent haec superioribus obsequendi promptitu. Do a primis unguiculis addiscatur, maximo deinde illis ornamento futura.

19. De morum civilitate parentes infantibus propinare possunt, quantum ipsi sciunt: peculiari itaque hic instructione nihil opus. Amabilis est infans, qui tum erga parentes suos, tum erga alios reverenter, affabiliterque se gerit: quod quibusdam velut connatum est, alii exercitio egent, quare ne hoc quidem negligendum.

20. Tandem ne affabilitas et blandities irrationalis sit, temperanda erit verecundia et gravitate. Asinus ille, de quo circumfertur fabella, cum catellum cauda domino blandiri, gremiumque ejus insilere conspiciens tentaret idem (quia blandiciae asino ut asino congruebant) pro gratiis fustuarium reportavit. Quae fabella pueris narrari potest, ut ipsi quoque quid quemque deceat, meminerint.

21. Ut autem quid deceat vel dedeceat scire queant, in externis gestibus ac motibus exercendi sunt: quomodo recte sedendum, erecte standum, decore ambulandum sit? Non membra incurvando, non vacillando, non oscillando. Si quid indigent quomodo petere; cum datur, quomodo gratias agere; cum obvium aliquem, habent, quomodo salutare; cum salutant, quomodo genua flectere, aut porrigere dextram; cum superiores se alloquuntur, quomodo aperire caput, compositas tenere manus etc. Debeant. Et quae plura sunt bonos et honestos attinentia mores: de quibus alibi prolixius. Hic quaedam delibari necessum fuit.

Cap. X. In pietate liberi quomodo sint exercendi.

Ne jucunderis in filiis impiis, si multiplicentur: nec oblecteris super ipsos, si non est timor dei in illis. Nam satius est mori sine filiis, quam relinquere filios impios inquit sapiens siracides 16.

Vers. 1. Et 4. Ante omnia itaque parentibus cura esse debet, ut liberos suos vera et non fucata, interna et non superficiaria pietate imbuant: sine qua scientia, et quamcunque politi mores, plus obessent quam prodessent: plane ac culter, gladius, securis, in manu furiosi, quo acutiora eo perniciosiora sunt.

Page 238/239, image: s146

2. Licet autem primo et secundo anno circa infantes, propter tenellam aetatulam, et in profunda radice haerentem rationis usum parum hic agi possit, paeter id quod deus per naturam, et internam suam gratiam, efficit: omnino tamen nostri erga illos officii, atque etiam pietatis, initia ponenda sunt, ut ubique deo et naturae, quantum in nobis est, cooperemur. Quamvis enim infantes recens natos pietatem docere nequeamus, possumus tamen ipsimet illorum loco pietatem exercendo condiscere, in ipsis quoque pietatis fundamenta ponere, per preces et sanctum baptisma christo redemtori eos reddendo, internumque doctorem spiritum s. Iis exorando.

3. Ut primum ergo parentes sentient deum illos fructu ventris donare velle, ardentissimis precibus a deo benedictionem et sanctificationem illi suae propagini, optabunt: quia, teste scriptura, qui sanctus futurus est, jam ab utero materno separatur et sanctisicatur (jer. 1. Vers 5. Psal. 22. Vers 11. Jes. 49. Vers 1.) Cujusmodi preces gravida matrona cum patre, quotidie sine intermissione fundere, totumque gestationis tempus pie ac sancte transigere debet: ut proles sua, jam sub corde suo, timoris dei primordia sumat (huc spectans oratio gravidae matronae capite v. Posita est: omnipotens deus etc.)

4. Postquam vero deus donum suum ex tenebris in lucem productum, conspiciendum dederit, debent parentes (ut pius quidam theologorum docet) in honorem manus dei hic in recenti opere quasi deprehensae, novum hunc mundo hospitem osculo excipere. Sancta enim est sanctae illius machabeae matris confessio, nos ignorare quomodo in utero nostro concipiantur infantes, neque nos illis spiritum largiri, neque vitam aut membra corporis compingere: sed mundi condirorem fabricare genus humanum etc. (machab. 7. V. 22.)

5. Si autem fructum ventris vivum, sanum, membrisque integris conspicient, e vestigio munificentissimo datori humiles agent gratias: utque porro per sanctos suos angelos ab omni offensa eum protegat, et ad felicem educationem coelestem benedictionem largiatur, ferventer orabunt.

6. Providebunt deinde ut dei donum deo redonent per baptismum: flagrantissime orando ut clementissimus deus creaturam suam in christo saluare, eique donato salutis arrhabone, spiritu sancto, dilectionem suam obsignare dignetur. Sancte etiam promittendo, si deus infanti vitam ac valetudinem largitus fuerit, se illum ab omni vanitate mundana, carnalibusque corruptelis, abducturos, et pie in gloriam dei educaturos. Sic anna samuelem filium suum, ante conceptionem, post conceptionem, post nativitatem, ferventissimis precibus devovens deo, benedictionem illi exoravit. Non facile enim misericordia divina repellere a se potest id, quod sibi cum humilitate ac fervore consecratur. Contra si negotium hoc oscitanter agant pii etiam parentes, deus ipsis immorigeros dat liberos: ut gratis ista dari, merumque dei donum esse, ad oculum pateat.

7. Efficax eorum ad pietatem initiatio secundo anno inchoari poterit, cum sese ratio tanquam flosculus explicare, ac res discriminare, incipit. Tum enim mox et lingua eorum soluitur, verbaque articulata proferre tentant, pedes roborascunt et cursui se praeparant. Ibi ergo commodior jam non deerit opportunitas pietatis quoque inchoandi exercitia: paulatim tamen et gradatim. Quod qua ratione fiat monebo.

8. Primo, cum liberi natu majores ante et post cibum orant, vel canunt, providendum est ut infantes tacere, et tranquille sedere, aut stare, manus componere, compositasque tenere, consuescant. Quod assuescent facile: modo illis exemplo bono caeteri perpetuo praeeant et aliquousque manus illorum compositas teneant.

9. Secundo, ut ex illorum ore jam quoque laus dei prodeat, genua flectere, manus complicare, sursum tueri, et preculas recitare doceantur. Inprimis hanc brevissimam precaciunculam: deus pater miserere mei, propter filium tuum, dominum nostrum iesum christum, amen. Hac intra mensem aut duos memoriae infixa, discent orationem dominicam. Non statim integram, sed primum cum exordio petitionem primam, septimanae spatio: singulis diebus mane et vesperi, semel aut bis recitantes (quid enim aliud geraria quod agat habet? Expedit etiam ut augescens ratione infand, quoties cibum poscit prius oratiunculam suam proferre consuescat.) Ubi vero in hac prima petitione lingulam et memoriolam puer firmaverit, adjungenda est petitio secunda, et repetenda iterum per duas septimanas. Deinde tertia petitio conjungenda, et sic usque ad finem. Facilius sic orationem dominicam retinebit, quam si consueto more integra simul et semel cum puero recitetur: quam ille biennio aut triennio cogatur discere, nec adhuc recte teneat.

10. Teritio, potest interdum infanti coelum digito monstrari, ibi esse deum

---

Page 240/241, image: s147

Qui omnia condidit; a quo cibum, potum, et vestitum habemus. Tum ut intelligat cur orantes coelos suspicimus. Superaddi poterit oratiumcula haec: omi deusda mihi cor tui timens, patri ac matri obediens, tibique per omnia placens. Spiritum tuum sanctum imperti mihi, qui me doceat et illuminet, per jesum christum dilectum filium tuum, amen.

11. Postea confessio christianae fidei assumenda est, ut ante decursum tertii anni (in tardioribus quarti) eam percalleat. Quod haud difficile fuerit, quotidie mane et vesperi (imo ante et post esum) recitando: primo quidem mense primum duntaxat articulum; secundo secundum cum primo; tertium tertio, cum secundo et primo; et sic consequenter. Novus autem articulus quoties assumitur, potest etiam extra preces repeti, tam diu donec puer verba ejus probe perceperit. Concedique iis potest, ut oratione peracta poplite submisso, confessionem fidei stantes recitent: ut sic orationem ab eo quod oratio non est, discernere consuescant.

12. Hic jam quoque de deo quavis occasione loquendi tempus erit: ut audita ejis crebra mentione, deum identidem respectare, venerari, et amare suescant. Isthuc pro captu suo manuducendi sunt. Ex. Gratia: monstrato iis coelo dices, deus ibi habitat: monstrato sole, ecce nobis deus lucet: cum tonat, ecce impiis minatur etc. Promittendo item eis, si lubenter orabunt, patri et matri morem gerent, deum illis pulchram vestem daturum: sin, eos occisurum. Cum eis autem vestis aliqua nova, aut jentaculum, et simile quod eos afficiat, datur, dicendum est; deum illis ista dare. Si demortui cadaver visitant, aut funus deducunt,

ostendendo iis in sepulchro terra obrutum, aut morticinum animal, dicito: deum ista mactasse, quia mala fuerant etc. Omnia eo fine, ut assidua dei memoria menti eorum instilletur.

13. Si cui visa fuerunt, quae hic scribuntur puerilia, dicendum est: sunt sane, puerorum enim hic negotium agitur, cum quibus procedi aliter quam pueriliter non potest. Nec deus ipse cum adultis nobis aliter in verbo suo, et in hac vita, quam cum infantibus loquitur: revera enim infantes sumus, res divinas et coelestes non prout in seipsis sunt, sed secundum hebetudinem nostram intelligentes (1 cor. 13. V. 11.) Et tamen deus ad infirmitatem nostram se demittit: cur nos infantum nostrorum imbecillitati non condescendamus?

14. Cum fidei confessionem didicerint, sensim decalogus iis tradendus: eodem ordine quem circa orationem, et fidei confessionem, observandum esse innuimus. Puta ut non totus decalogus simul (hebetaretur sic ingenium, et infirmaretur memoria) sed per partes, ediscendus proponatur. V. Gr. Primum praeceptum per septimanam totam quotidie, mane, post cibum, et vesperi. Postea adjuncto secundo praecepto (quia paulo prolixius est) per duas aut tres septimanas: quintum per duas. Aut tres. Quintum per duas. Sextum, septimum, octavum, nonum, simul assumenda sunt, iterum ad duarum septimanarum spatium. Tandem assumpto decimo praecepto, totus decalogus quotidie rependus est, ad singulas preces clare. Jamque ipse puer recitet, praesente tamen patre, aut matre, vel geraria, aut persona ad hoc destinata; quae ut ne aberret attendat, haesitantem vero corrigat. Non minus tamen gestibus ejus attendendum, ne huc aut illuc circumspectare, varie sese jactare, manus agitare, permittatur: ut omnino devotioni adsuescat. Ad quam informandi, hortandi, castigatione vel inclamatione, ferula interdum, aut denegatione jentaculi, adigendi sunt. Praemonendi ergo ante preces, vel etiam inter orandum. Si nihilominus exorbitent, percutiendi; sive mox inter precandum, sive precibus peractis, ut quorsum id fiat animad vertant: prudenter tamen, ne sacra fastidire puer incipiat, magis potius adamat.

15. Quinto anno assumi debet exercitio pietatis precatio vespertina. V. Gr. Gratias ago tibi, mi pater coelestis, per jesum christum filium tuum dilectum, quod me hac die, gratuita tua misericordia, clementer custodivisti. Oro te ut velis mihi condonare omnia peccata mea, quae injuste perpetravi. Velis me hac nocte tua gratia benigne conservare: quia ego me meumque corpus et animam, ac omnia, in manus tuas committo. Tuus sanctus angelus sit mecum, ne diabolus ullum jus in me reperiat amen. Pater noster etc.

16. Hanc ubi didicerint, adjungatur matutina, quae potest esse haec: gratias ago tibi, mi pater coelestis, per jesum christum filium tuum dilectum, quod me hac nocte ab omnibus in commodis conservasti. Oro te ut velis me hac die quoque conservare a peccato, et omnibus malis: ut tibi omnia mea facta, ateque adeo tota vita mea, bene placeant: quia ego me, meumque corpus et animam, ac omnia, in manus tuas committo. Tuus sanctus angelus sit mecum, ne diabolus ullum jus in me reperiat, amen. Pater noster etc.

17. Benedictionem mensae, et gratiarum actionem, procul omni dubio ex quotidiana recitatione hic jam callebunt. Proinde quinto et sexto anno aliqui versiculi cum illis cantandi sunt, ut cap. Vii. Circa musicam dictum est.

Page 242/243, image: s148

18. Ne autem pietas in corde sese radicans impedimenta sentiat, bonum quoque et summe necessarium erit in ea aetate occasionibus malis obsistere: nempe omni conatu in hoc incumbendo, ne quid impium, spurcum, mentem contaminans, ad oculos vel aures eorum penetrare queat. Quemadmodum enim juxta testimonium salomonis (prov. 18. V. 17.) Justus videtur qui primus est in lite sua: et quod jureconsulti dicunt, quod nullius est, fit primum occupantis. Ita aeterne verum illud est, menti nostrae primas impressiones haerere firmissime: quod tenerae, aetati primum (sive bonum sit, sive malum) inhaeserit, hoc profundissime haeret, quamdiu vivunt, ut ab iis quae sequuntur expelli nequeant.

19. In foro sane potest accusatus etiam rectificare rem suam, cum informato melius judice accusatoris sui (coloribus dilutis) causam evertit: judex enim, utpote aetate et judicio maturus, utracunque pars liquidius suam causam deduxerit, sive prior sive posterior, secundum illam pronuntiat, altera facessere jussa. Sed aetatulae hujus demum sese explicans ingenium cerae imaginem refert: cui quale sigillum impresseris dum mollis est, ut cum eo indurescat, illud ipsum retinet, nec aliud, nisi cum difficultate et violentia, recipiet; et ne id quidem aliter quam scabre. Sed et haec multum distant: ideo quia cera, ut priorem imaginem dimittat, igni molliri potest: et cerebrum ut quod semel recepit iterum dimittat, nullo adigi potest modo. Nulla, inquam, vel ars vel ratio excogitari potest, qua homo, quod semel impressum habet, obliterare possit, tametsi ipse velit: nedum si quis imperet. Ideo non inepte themistocles artem sibi oblivionis potius, quam memoriae, optabat: quia naturalis memoriae nostrae vis quodcunque apprehenderit, illud facile retinet, eripi autem sibi aegre patitur.

20. Nihil itaque magis curae parentibus erit (si salus liberorum ipsis cordi est) quam ut ad omnia bona eos informantes, omnium malorum aditu prohibeant: tum ipsi pie et sancte sese gerendo, tum familiam, omnesque domesticos, eo adigendo. Alias christus clamat: vae. Scandalizanti unum ex his minimis (matth. 18.) Juvenalis vero, licet ethnicus, scriptum reliquit:

Maxima debetur puero reverentia: si quid
turpe paras, ne tu pueri contempseris annos;
sed peccaturo obsistat tibi silius infans.

Cap. Xi. Quam diu pueros materna in schola detineri conveniat.

Quemadmodum plantulae postquam e seminibus suis procrevêre, ut crescant felicius, fructumque ferant, in pomaria transplantantur: ita infantes in sinu materno enutritos, mente et corpore roboratos, praeceptorum curae tradi expedit, ut suavius adolescant. Arbuscula enim alio traducta semper celsius crescit, hortensisque fructus semper syluestri sapidior est. Id autem quando, et quomodo? Ante sextum aetatis annum pueros de materno gremio dimitti, et praeceptoribus tradi, non sim auctor, sequentes ob causas.

2. Primum, infantilis nimium aetas plus curae circa se requirit, quam ut ei praeceptor, turbam puerorum sub manu habens, sufficere possit. Praestat itaque adhuc eos in maternos foveri gremio.

3. Deinde, tutius est cerebrum recte solidescere, antequam labores sustinere occipiat: in infante autem vix intra quintum aut sextum annum totum bregma clauditur, cerebrumque solidatur. Sufficit ergo huic aetati, quantum in domestica institutione sponte, insensiliter, et quasi per ludum comprehendere datur.

4. Traeterea, nullo fructu fieret si secus fieret. Surculus qui tener est ad plantandum assumptus, debiliter et sensim crescit, firmior vero fortius et ocyns. Equuleus praemature currui admotus debilitatur: sed si temporis sat ad succrescendum ei largitus fueris, fortius trahet, et remoras pensabit.

5. Nec denique tanta remora est ad sextum annum, aut initium septimi, exspectare, dummodo provideatur (quemadmodum docuimus) ut domi non desit, in quo primis illis aetatis suae annis exerceantur. Quod si erit, ut infans juxta praescriptum modum domi jam, in pietate, honestis moribus (praesertim reverentia, obsequio, et observantia erga superiores) tum in sapientia, celeri rerum actione, distincta verborum prolatione, tirocinia sua deponat, scholasticam subire institutionem anno sexto minime serum erit.

6. Vice versa ultra sexennium infantem domi detineri suadere nolim: quia quod intra hoc tempus ediscendum domi est (secundum praemonstratam viam) commode hoc sexennio absoluere possunt. Et nisi postea statim rectae informationi infans tradatur, infallibiliter inutili otio adsuescet, rursumque efferabitur. Imo metuendum, ne ex illiberali otio, hoc vel illud vitium illi

---

Page 244/245, image: s149

Adhaerescat, quod deinde tanquam noxium lolium disiculter eruncari posset. Optimum ergo continuari quod semel coeptum est.

7. Quod tamen non sic praecise accipi oportet, quasi nulla ratione nisi completo sexennio ad scholas transitus fieri debeat. Potest dimidio vel integro etiam anno, pro indole pueri, terminus hic seu proferri seu anteverti. Arbores enim quaedam ipso vere fructum ferunt, aliae aestate, aliae autumno. Praecoces tamen flores citius cadere, serotinos melius maturescere, videmus: similiter fructus praecox hodie usui est: nec diutius durat; serotinus durabilior est.

8. Et tametsi nonnulla ingenia (ante sextum, quintum, imo quartum annum) volare velint, bonum tamen erit cohibere potius, quam permittere, nedum compellere. Alias, qui ante tempus doctorem habere vult, vix baccalaureum habebit, interdum et stultum: quia vitis nimium initio luxurians, botrosque dense protrudens, procrescet quidem in alitum, radicem tamen enervabit, nihilque erit durabile. Sunt ex ad verso tardiora ingenia, cum quibus septimo aut octavo anno vix aliquid utile inchoari poterit. Quare consilium nostrum quod hic dedimus, de mediocribus ingeniis (quorum major semper est proventus) intelligi debet. Si quis capacioris aut hebetioris ingenii infantem habuerit, cum scholae praeceptoribus, aut inspectoribus, consilium inire poterit.

9. Signa ex quibus infantilis aptitudo scholas publicas frequentandi colligi potest, sunt sequentia.

1. Si quod materna in schola scire eum oportuit, sciat.

2. Si in illo attentio et circumspectio ad interrogata, ac qualisqualis judicii facultas, deprehensa fuerit.

3. Si aviditas insuper quaedam, altioris informationis, in eo se prodat.

Cap. Xii. Quomodo parentes liberos suos ad scholam praeparare debeant.

Omnia humana opera si commode tractanda sunt, consilium legitimamque praeparationem requirunt. Quod innuit siracides (18. Vers 20) ante preces, ante judicium, et ante quodvis prolatum verbum (etiamsi maxime pateat quaestio cap. 33. V. 4.) Praeparationem exigens. Et conveniens utique est, creaturam rationis participem nihil sine ratione et judicio, sed prudenter ac cricumspecte, agere: ut cur id agat, et quid secuturum sit, aut sequi possit, si sic vel aliter egerit, praecogitet. Neque igitur parentes temere liberos scholis informandos tradent: sed prius tum ipsi, quid hic agendum veniat pensitabunt, tum pueris ad idem prospectandum aperient oculos.

2. Minus ergo prudenter agunt, qui liberos ad scholas tanquam vitulos ad macellum, aut pecudes ad gregem, sine praeparatione omni ducunt: maceret se postea ludimagister cum iis, et excruciet, quomodo velit. Hos tamen amentia superant illi, qui ex praeceptore facto terriculamento, et ex schola carnificina, demum pueros eo adigunt. Quod fit dum incaute parentes, aut famulitium, de poenis scholasticis, de severitate praeceptorum, quodque non amplius sint lusuri, et quae similia, coram pueris declamant. Mittam te in scholam, inquiunt, mittam, mitesces: virgis te caedent, exspecta modo etc. Quo pacto illis non ad mansuetudinem, sed ad majorem ferociam, desperationem, ac servilem metum, erga parentes et praeceptores, occasio ministratur.

3. Prudentes igitur et pii parentes, tutores, curatoresque, sic rem instituent. Primo, appropinquante tempore pueros in scholam mittendi, solabuntur eos, tanquam adventantibus nundinis, aut vindemia: ubi scholam cum, aliis pueris itaturi, cumque illis literas dicituri et collusuri sint. Potest etiam pater aut mater pulcherrimas vestes, elegantem pileolum, politam tabellam, libellum, et simile quid, polliceri, aut id quod jam paratum habent interdum ostentare. Non autem; dabunt (ut desiderio magis ac magis inardescant:) sed tantum se illis daturos pollicitabuntur. Id. Autem his aut similibus verbis: age dilecte fili: ora diligenter, ut tempus id ocyus veniat: piusque sis et obediens etc.

4. Bonum quoque fuerit commendare illis, quam eximium sit scholas frequentare ac literas discere. Tales enim evadere in magnates, praepositos, doctores, verbi divini praecones, senatores, etc. Omnes eximios, celebres, divites, sapientesque viros, quos reliqui honore prosequi necesse habent. Ideo multo praeclarius esse scholam visitare, quam domi otio marcere, aut discursare per plateas aut opificium addiscere etc. Tum quia discere non est labor, sed cum libellis et calamo, saccharo dulcior lusus. Ut autem hujus lusionis qualemcunque

---

Page 246/247, image: s150

Praegustum sentiant, non oberit cretam in manus eis praebere, qua illi in scamnis, mensa, aut tabella sibi data, pingant, lineas ducant, quidquid volunt, phialas, cruces, orbes, stellulas, equos, arbores etc. Sive recte exprimant sive secus, nihil interest, modo inde animi oblectationem capiant. Impossibile id sine fructu esse: siquidem munus ita facilius literas pingere ac dignoscere assuescet, et quidquid praeterea ad excitandum in iis scholae amorem excogitari potest, praetereundum non est.

5. Praeterea, amorem illis et confidentiam erga praeceptores futuros ingenerare debebunt. Quod non una ratione fieri poterit. Interdum amabilem praeceptoris mentionem faciendo, nominando eum dominum patruum, avunculum, compatrem, vicinum: et generaliter eruditionem ejus, sapientiam, tum humanitatem et benignitatem, celebrando: quod sit insignis vir, multa sciat, comis tamen erga pueros, eorumque amans. Et licet verum sit nonullos ab illo

vapulare; sed illos duntaxat, qui immorigeri ac dissoluti sunt (qui digni sunt ut ab omnibus caedantur) obsequentes nunquam castigare. Adhaec omnia demonstrat, quomodo quidpiam scribendum aut recitandum fit etc. Hoc, et quicquid est huic simile, cum infantibus pueriliter fabulando, omnem timorem et formidinem ab eis removeant. Tum et interrogando, erisne obsequens? Si dixiert se obedientem futurum, dicendum illi: certo itaque scias illum te amore complexurum. Utque notitiam aliquam cum futuro suo institutore contrahat, et rem ita se habere intelligat, inque spe illa confirmetur, potest mater aut pater munusculi aliquid interdum per puerum (solum vel cum famula missum) mittere. Ubi praeceptor (memor sui officii) blande illi loquetur, aliquid ei non visum (libellum, picturam, musicum aliquod aut mathematicum instrumentum et quocunquepuer oblectari possit) ostendet. Nonnunquam etiam aliquid donabit, codicillos, atramentum, obolum, saccharum, de fructibus nonnihil, aut id genus aliquid. Ne tamem id suo damno faciat, parentes (quorum id gratia fit) compensare, aut praemittere aliquid possunt, et debent. Eo modo facile erga scholam et praeceptores animum hilarem et propensum acquiret: praesertim ubi generosa indoles vigebit: et hic jam dimidium facti, qui sic bene coeperit, habebit: ipsa enim schola jam illis nil nisi lusus erit, et cum animi voluptate proficient.

6. Quoniam tamen omnis sapientia est a domino, utpote quae cum eo manet a seculo (sirach 1. 19:) ille vero et sapientiae dux est, et sapientiae rector, et in manibus ejus nos sumus et sermones nostri, omnis pariter providentia et scientia (sap. 7 vers 15:) ipsa requirit necessitas, ut parentes devotis precibus liberos suos iterum deo commendent, rogantes ut exercitationi illorum scholasticae benedicat, et ex illis vasa gratiae, imo si benignitati suae placuerit instrumenta laudis suae, efficiat. Sic anna samuelem suum sacerdoti eli cum precibus tradebat; sic david salomonem prophetae nathani: sic mater magistri hussi bohemici martyris, ad scholam cum peregre ducens, aliquoties inter eundum cum eo in genua prolapsa preces fundebat. Quomodo autem deus exaudiverit, et benedixerit, novit ecclesia. Qui enim deus hoc quod illi cum fletu ac lacrymis, toto pectore, ac ferventer (in utero primum materno, post in baptismo, et nunc denuo) consecratur, a se rejicere possit? Quomodo non recipiat tam sanctam hostiam? Impossibile id.

7. Qua propter pater aut mater in eum usum hanc oratiunculam habere poterunt.

Omnipotens deus, creator spirituum et universae carnis, ex quo omnis paternitas in coelo et terra nominatur, summe angelorum et hominum imperator: qui pro aeterno super omnes creaturas jure tuo legis tuae verbo sancivisti, ut omnes primitiae proventuum terroe pecudum et hominum, tibi deo et creatori redderentur in sacrificium, aut juxta voluntatem tuam redimerentur aliis victimis. Ecce ego indigna ancilla tua [vel, indignus famulus tuus] donata ex tua benedictione fructu ventris [nb. Si primogenitus infans fuerit, dicat primitias uteri] eum tibi creatori, patri et domino clementissimo, cum intima submissione reddo, ut sis et maneas meus et seminis mei deus in aeternum. O quanta benignitas et misericordia facta est nobis credentibus, quod empti simus ex omni populo primitioe deo, et agno! Ratum ergo firmumque id effice in hoc etiam fructu uteri mei, o misericor dissime deus, ut sit in numero electorum tuorum, et partem accipiat cum sanctificatis tuis. Et quoniam eumpro consequenda uberiori sapientia juventutis moderatori trado, oro te ut addas benedictionem tuam; ut interno duce spiritu tuo

---

Page 248/249, image: s151

Sancto instructus, magis magisque quod tibi placeat intelligere queat, et in tuis mandatis ambulare discat. Timor tui, domine, est initium sapientiae: impleitaque cor ejus timore tuo, o

sancte deus, et lumine intelligentiae juxta voluntatem tuam illumina eum, ut provectior aetas ejus (si largitus illam fueris) tibi gloriosa, proximo utilis, ipsi salutaris esse possit. Exaudi me dilectissime pater, et imple preces famuli tui (ancillae tuae) propter intercessionem mediatoris nostri iesu christi, qui infante sibi adductos recipiebat, ulnis complectebatur, osculo et benedictione imptrtiebat.pater noster etc.

Soli deo laus et gloria!

Conscripti etiam fuêre pro vernaculae scholae classibus sex libelli totidem, sed nunquam editi: quia cum patriae scholas reparandi occasio none esset: ab aliis vero illa quae latinis destinabantur scholis urgerentur, elimandis istis otitum non fuit. Titulos itaque solum translatos huc apponam.

I.

Christianae juventutis violarium: primae scholastica; institutionis fragrantissimos flosculos continens.

Ii.

Christianae juventutis rosarium, pulchre continuatae informationis odoriferorum florum fasces exhibens. Pro scholasticae exercitationis anno secundo.

Iii.

Literarum. Et sapientiae studiosae iuventutis viridarium. Ubi quicquid pulchri coelum et terra, humanaeque artes, continent, scituque et creditu necessarium est, puerilibus ingeniis amoene in conspectu sistitur.

Iv.

Literarum studiosae iuventutis sapientiae labyrinthus. In quo variae, pulchrae, ad ingenium acuendum memoriamque juvandam perutiles (e libris sacris et aliunde collectae) quaestiones, in forma aenigmatum proponuntur et soluuntur.

V.

Christianae iuventutis spirituale balsamentum. In quo variarum humanarum scientiarum et artium, adeoque omnium quae: hacin vita homini ad spectandum vel agendum obvenire solent, salutaris usus monstratur: ad captum adolescentiae quinto exercitationis scholasticae anno paratum.

Vi.

Christianae iuventutis paradisus animae: totius s. Scripturae medullam, pracipuosque ecclesiasticos hymnos, preces etc continens: ad usum roborandi in animis adolescentum christianismi etc.

Inter haec venit in mentem concinnare libellum, qui unus totam

Page 250, image: s152

Linguam, totumque rerum complexum, contineret, seminarium linguarum et scientiarum omnium appellandum. Quem condi posse, nec opusculum fore prolixum (si rerum serie omnia lustrando, rem quamque semel nominaremus nec amplius) spem conceperam. Quod consilium cum amicis detexissem, monuit nonnemo iesuitas in hispania jam libellum talem edidisse, ianuam linguarum dictum. Sed ego hac inspecta, non id esse quod votis conceperam vidi, meumque institutum prosequi perrexi annis 1629 et 1630. Tacite quidem, ut in patriae usus esset paratum: sed quod tamen per amicos proditum, a lesnensis scholae curatoribus ad prelum postulatum fuit, tam instanter, ut editionem negare, aut differre (tametsi volui, foetum adhuc imperfectum videns) non possem. Edidi igitur sub titulo ianuae ll. Reseratae, anno 1631, insperato orbis literati applausu. Mox enim in scholas recipi, et in varias linguas transferri, et variis locis recudi (lipsiae, aureae titulo, alibi aliis elogiis, ornata) coepit. Quod occasionem dedit rude hoc (utpote primi tentaminis) opusculum melius elimandi: et quidem eousque ut primam illam januam, non amplius agnoscam meam, abolitamque velim. Nihilominus tamen eam hic recudi facio: quia cum in tot linguas translata fuit, indignum videtur memoriam ejus penitus aboleri: praesertim dum nonnisi quinque aut sex schedarum jactura erit, interdum autem rudimenta etiam rerum videre delectet. Fiat igitur.

J. A. Comenii janua linguarum reserata. Sive seminarium linguarum et scientiarum omnium. Hoc est compendiosa latinam (et quamlibet aliam) linguam, una cum scientiarum, artiumque omnium fundamentis, perdiscendi methodus; sub titulis centum, periodis autem mille, comprehensa. Primumque anno 1631. Edita.

Aestimat ut sapiens pretio, non pondere, gemmas:
utilitate probat sic quoque mentis opus.

Ad lectores eruditos praefatio.

Cognitum scholis non satis fuisse verum et genuinum linguas tradendi modum hactenus, res ipsa loquitur. Consenescebant plerique, qui se dediderant literis, circa vocabula: soli latinae linguae decem, et plures anni tribuebantur: imo tota aetas, tardissimo, eoque exili, et operae pretium non refundente profectu.

2. Questi id sunt jam pridem viri magni, vives, erasmus, sturmius, frischlinus, dornavius alii: quorum satis luculentae eade re prostant querelae, non item radicitus

---

Page 251, image: s153

Malum tollentia remedia. Ideo excellentiora ingenia, scaligerorum, lipsiorum, etc. Vulgari illainfeliciter trita via relicta, per devios quosdam, directiores tamen tramites, ad linguarum et scientiarum fastigia feliciter enixi sunt.

3. Verumenim vero paucis illi vestigia sua, qua sequenda essent, demonstrarunt: nec cujusuis est, propria indagine insueta tentare, aut (quod ajunt) nare sine cortice. Quo factum, ut scholae ataxias suas (quicquid seculi felicitatem et literarum lucem jactarint) majori ex parte retinuerint hactenus.

4. Distinebatur nimirum, imo distendebatur juventus praeceptionibus grammaticis infinite prolixis, perplexis, obscuris, majorem partem inutilibus, annis aliquot: hoec prima crux. Tum per eosdem annos effarciebatur vocabulis rerum sine rebus; id est, nec res vocibus illis exprimendae: (quo facilior, firmior, et evidentiori cum utilitate impressio fieret) monstrabantur, nec votum juncturae, cuivis linguae propriae, ostendebantur: manifesto utrinque errore.

5. Voces enim, quia rerum signa sunt, rebus ignoratis quid significabunt? Noverit puer millies millena vocabula recitare, si rebus applicare non novit, quem apparatus iste usum habiturus est? E solis etiam separatis vocabulis orationem exsurgere posse qui sperat, idem speret arenam in mani pulos colligari posse, aut e caemento murum erigi, absque calce. E vocabulariis igitur, et dictionariis, latinae linguae studium nimir est impeditum.

6. Sed mederi animadversis incommodis putantur auctores boni, magnorum consilio virorum in scholas introducti; terentius, plautus, cicero, virgilius, horatius, etc: tum quia cum linguae cognitione, variarum simul rerum notitia inde acquiri; tum quia castissima romani sermonis purotas ex antiquis illis scriptoribus, tanquam ex vero fonte, securissime hauriri possit.

7. At vero institutum hoc ut plausibile, ita maxime incommodum est.

8. Primo enim tot auctores, quot requiruntur, comparare, non cujusuis fortuna permittit. Deinde ad horum autorum (plerumque sublimior aquam pro pueritiae captu, et a nostro usu aliena, tractantium) tam vasta volumina iuventutem adigere, est cymbam exiguo ludere cupientem lacu, in oceanum vastum, vel aeternis jactandam erroribus, vel absorbendam fluctibus, vel certe sine ullo fructu reddendam littori, propellere.

9. Ad haec si maxime quis omnes istos perreptet, reperiet tamen se finem suum (sufficientem videlicet linguae cognitionem) non assequutum: quia auctores illi materias omnes non tractarunt: et si tractassent omnes illorum temporum, nostras tamen nec tractare, nec nosse poterant: ut necessario tandem alii plures, antiqui et recentiores (reinimirum herbariae, metallicae, rusticae, militaris, architectronicae etc. Scirptores, quos in sui nomenclatoris praefatione recenset frischlinus) adjungendi, legendi, et relegendi forent: quibus certe cumulandis non facile reperiretur firnis.

10. Denique si quis linguae discendae gratia tot transmittat annos, ecquando ad realia veniet? Quando sanioris philosophiae cognitione imbuet animum? Quando in sacrosanctae theologiae adita intrabit? Vel medicorum arcana perquiret? Vel iurisconsultorum volumina evoluet? Quando ad finem studiorum perveniet? Et quod majus, quando tam anxie quaesitae eruditionis praxin in ecclesiae et reipubliciae bonum exercebit? Certe vel (propter hujus vitae brevitatem) nunquam, vel seru admodum: sentietque, vitam praeparationibus vitae consumptam esse.

11. Omnium itaque votis optandum erat, epitomen aliquam linguae totius ita construi, ut omnes quotquot habet, voces et phrases in unum redactae corpus, brevi temporis spatio, laboreque exiguo perceptae, facilem, jucundum, tutum, ad reales auctores transitum praestent. Vere enim d. Isaacus habrecht scripsit: (sed quod minus prudenter quidam ad dictionaria trahit) quemadmodum,inquit, multo facilius esset visu dignoscere omnia animalia, visitando arcam noe, continentem ex omni genere bina selecta, quam peragrando totum terrarum orbem, donec casu in aliquod animal quis incidisset: eadem prorsus ratione, multo facilius omnia vocabula addiscentur, ex epitome linguae,

Page 252, image: s154

In qua fundamenta omnium continentur, quam audiendo, legendo, donec casu in tot vocabula quis incidat.

12. Animadvertit id, paucis abhinc annis, e iesuitis nonnemo, qui uno fasce complexus linguam latinam totam, vulgavit (sub titutlo collegii hibernici salmancae, hispamarum) ianvam linguarum latine et hispanice: ubi sententiarum duodecim centuriis comprehensa sunt omnia usitatiora latinae linguae vocabula, eoque modo dislocata, ut nullum eorum (exceptis particulis, sum, ex, in, etc:) semel positum recurrat, unumquodque tamen in debita constructione et phrasi decora, audiatur.

13. Haec inventio quamprimum anglis visa fuit, approbata, commendata, et loquela anglicana aucta, atque anno 1615. Typis vulgata fuit. Quam biennio post d. Isaacus habrecht argentinensis, germanus galliciae linguae adjectione, auxit, et ibidem quadrilinguem edidit: in germaniamque reversus, germanicam quoque adjunxit versionem, mire eam linguas docendi et discendi rationem commendans. Compendiosissimam enim certissimam, utilissimam, et nunquam satis laudatam appellat. Cujus rei suffragatores facile reperit multos. Nam et typis variis germaniae locis edita est, et distracta avide, et in scholas quasdam non incelebres introducta, et anno 1629. Octo linguis luci exposita.

14. Haec cum ad meas quoque venisset manus, avide et ingenti cum voluptate, semel et iterum perlegi, impense juventuti gratulans, quod certiora indies imbecillitatis subsidia divino munere concedantur. Verum paulo post, attentius eam cum scopo suo conferens, dubitare coepi, num praestaret, quod promittit: tertiataque accuratiore cum judicio lectione deprehendi, jure titulum tueri non posse. Quod vere, et absque invidia dici, inde palam faciam, quod ianuae non prastet usum.

15. Ianva enim domus, annon foris adventantes intromittit? Ita sane. Haec autem patrum hibernorum ianua tironibus in latinitatem aliunde introducendis, aut parum, aut nihil confert. Triplici id evincitur ratione.

16. Primo etenim nomulla vocum pars, quas quotidianus requirit usus hic desideratur: e contra insolentia multa, tironum captum et usum excedentia depromuntur. Quam ob causamrecte nonnulli judicant, iesuiticam hanc ianuam non tam ad instituendos linguarum tirones, quam adexplorandos aliquousque progressorum, inprimis autem sciolorum, in latina lingua profectus, adhiberi posse. Isthac vero ratione non ianuae, sed postici, obtineat nomen.

17. Alterum desidero, quod cum singulae voces non nisi semel ponuntur, etiam polysemae, et homonymae (quarum latina lingua bene multum habet, ut et idiomata caetera) non nisi semel. Quomodo igitur ab hac linguarum ianua in auctorum lectionem mittetur (is enim ianuae scopus) latimtatis tiro, qui tot vocum alias atque alias significationes ignorabit?

18. Et vero (quod tertio, et quidem potissimum, desidero) posuisset saltem unamquamque vocem in principali, id est, primo, simplici, nativoque suo significatu! Reliqua inde sagax ingenium odoraretur facilius. Factum autem id non est. Pleraeque voces translate usurpantur, metaphorice, metonymice aut synecdochice: utpote cum sententiarum elegantiam plerubique captarit autor. Tacebo multarum sententiarum informitatem, quae neque moribus, neque constructioni ullum praebent usum, imo sensum nullum habent; ut ipsa verba, quomodo inter se convenerint, mirari queant. Exempli gratia: 360 artifici compedes impinguntur suae. 623

vadem inergastulo clam confectum comperi. 733. Occasus dominii attigit limen. 953 has dictionum telas posthumus nevit etc.

19. Sed quia patres isti tale hoc totius linguae compendium primi tentarunt, quod inventum est, grate agnoscimus, quod erratum, condonamus benigne. Et quia inventis addere, ut et unius inventi occasione invenire aliud, non aeque difficile quid ni aliud plus ultra moliamur? Suaserunt id certe doctissimi quidam, et de scholis perquam meriti viri, ut si quibus forte plus otii suppeteret, aliquid accuratius effingendi non detrectarent laborem. Sed admovisse aliquem manum nondum constat.

Page 253, image: s155

20. Quo factum, ut ego, e postremis licet minimus, experiri, et quod ibi desiderabam, suppletum ire, animum induxerim: non certe ulla ingemi, aut eruditionis (cujus mihi umbram vix esse, et ultro agnosco et deploro) fiducia, nec quodnimis otio abundarem, sed unico iuventutis commoda promovendi desiderio, permotus. Quid autem hic vel praestiterim, vel praestare voluerim, silentio praetereundum non est, sed ut tironum informationi, ita eruditorum censurae, exponendum.

21. Principio, quia mihi inter immotas didacticae leges hoec est, ut intellectus et lingua parallele decurrant semper; et quantum quis rerum apprehendit, tantum eloqui consuescat, (nam qui intelligit, quod exprimere nequit, a mutua statua, quid differt? Dare autem sine mente sonos, psittacorum est) necessario faciendum putavi, ut rerum ipsa universitas, per classes certas ad pueritiae captum, digereretur, eoque modo id, quod sermone exprimendum est, (res ipsae) imaginativae parti primum imprumeretur. Factum itaque est, et enati sunt mihi centum communissimi rerum tituli.

22. Proxima inde cura fuit, evoluendo lexica usitatiora seligere, et ad exprimendas res, quibus significandis vel primum invetita, vel post adhibita fuerunt, ita dirigere, ut mihil necessarium omitteretur, nihil nisi suo loco quaerendum relinqueretur. Redacta igitur sunt circiter 8000 vocabula in periodos mille, quas primum breviores, et non nisi unimembres, post longiores, et plurimembres, formavi.

23. Quia vero ciceronis testimonio didicimus, multum referre, pueros a primis statim annis ad proprietatem vocabulorum adsuefieri: propria autem vocabula sunt, (ut augustinus lib. 2. De doctr. Cap. 10. Inquit) cum his ipsis rebus significandis adhibentur, propter quas inventa sunt: anxie prorsus in id elaboratum est, ut pro primo puerorum conceptu, omnes voces proprio, et nativo suo significatu exstarent, exceptis paucis, quae vel proprium amisisse usum deprehenduntur, vel propria latina, quibus vernacula exprimerentur (adhanc enim respectus fuit perpetuus) deerant.

24. His positis metis, juxta et hibernorum sequutus ianuam, non nisi semel quamlibet posui vocem, homonymis exceptis: quorum si diver sa significatio exprimenda fuit, diversis locis (in diversa nempe materia) omnino repetenda fuerunt. De connexivis particulis, et, sed, quia, omnis etc. Nemo, spero, litem movebit.

25. Synonyma, et contraria plerumque juxta invicem posui, atque ita coordinavi, ut alterum alterius genuinum recludat sensum. Eorum tamen synony morum, quae eandem prorsus rem significant, nec vernacule nisi una voce redduntur, alterum parenthesi inclusum apposui: ut periodo 38. Sirius (canicula). 40. Luciferum (phosphorum) 136. Helenium (inula) 581. Sapone (smegmate) etc.

26. Etut grammatica quoque subsidium haberet, ita vocum connexionem institui, ut non solum syntactica constructio sicubi a vernacula recedit, sed et etymologicum aliquod accidens (genus, detlinatio, conjugatio etc) innueretur. Exempli gr. Epenodo 169. (haleces salitas nobis afferunt) facile puer haleeem gen. Faeminini esse meminerit. Eperiodo 420. (quis iis vesecatur?) Vesci non accusativo, sed ablativo jungi, observabit etc.

27. Vernaculum (mihi bohemicum) latinae ita aptavi, ut non solum utriusque omnia themata, cum potioribus derivatis, et compositis, nativo sensu, exstarent: sed et exsurgentes inde tropi postmodum, veluti face adbibita, ultro queant intelligi. Seorsim autem vernaculum textum prima hac vice (quum non ommbus, quorum judicia exploratum nunc imus, usui esse posset) excudi curamus.

28. Indeculam vocum, ut patres hiberni fecerunt, non adjunximus, (quamvis ad manum sit) quia non adeo intere esse putamus: si usus poscet, fiet. Aliud nempe nos grandioris operae, et majoris usus, molimur, lexicon etymologicum: quod appellationum omnium rationes reddat, tum origines ipsorum thematum (sive ex latinis, sive e graecis, hebraeisque fontibus) detegendo, tum derivatorum seriem nova, succincta, faciliratione, ob oculos pandendo.

Page 254, image: s156

29. Additurі quoque phraseologiam brevem, et accuratam: tractatum item de homonymis, paronymis, et synonymis utilissimum: et denique grammaticam, ad compendiosam facilitatem, celeremque praxin, ex veris naturalis didacticae legibus concinnatam: adeoque didacticae ipsiuspro docentibus et discentibus synopsin. Quae omnia uno comprehensa volumine, thesauriolum quendam primae scholasticae eruditionis repraesentare possint.

30. Habituri itaque videmur ianvam linguarum solidis (rerum ipsarum) postibus bene firmatam; volubilibus (lexici) cardinibus expedite apertilem; praesentanea (grammaticae) clave prompte reserabilem. Tam diu, inquam, habituri, quamdiu non ab excellentioribus ingeniis consummatius aliquid subministratum fuerit. De quo ut nihil dubitem, faciunt non tam glaumii, et glaumianorum magnifica illa, orbi nota, promissa (de quibus reipsa nihil dum constat) quam fervidus ille multorum in eruendis didacticae fundamentis ardor et aemulatio. Quin imo ipse jam exquisitiora his video: quia tamen in eis concinnandis totum prope triennium (quis facile credat, tantillam opellam tanti constitisse?) Consumptum est, nec demoliendis funditus et construendis ab integro otium suppetit, ea qua jam adornata sunt facie, luci exponere placuit: si non alia spe, certe ut aliquis uberiore ingeniu et doctrina instructus, vel ab his nostris etiam acceptu stimulo, plus aliquid audeat. Novum itaque iterum tentasse vadum, novam fregisse glaciem satis esto.

31. Visum autem est, seminarii linguarum et artium potius insignire opellam hanc, quam ianuam linguarum solum: quia rerum et sermonis par hic cura: illudque enixe quaesitum, ut et confusum rerum chaos distinctionis aliquam lucem, in sapientiae tironum oculis, nanciscatur; et vocum, phrasiumque in finitoe congeriei certae substernantur radices; eoque modo primi et fundamentales totius eruditionis, morum et pietatis formentur conceptus.

32. Hic, inquam, scopus fuit: quem attigisse tantum abest ut glorier, ut primus etiam defectus agnoscam et confitear. Veniae autem apud cordatos spem facit horatius, opere in magno (etiam parvo, minutiarum pleno) fas esse obrepere somnum, autumans. Etuero, quid unquam simul effloruit, et maturuit? Qua de causa typographos rogatos, et monitos volo, ne si cui recudere libellum allubescat, id auctore inconsulto praesumat: futurum enim spero, ut limatius reddatur propediem opusculum, adjunctisque illis, quae innui, nitidius prodeat.

33. Interim vero utinam aliquis eximie doctus, latinaeque linguae potens, exorari queat, ut hac eadem, vel simili methodo, easdem materias plenius pertractare, classicorumque auctorum phrasibus non jam amplius proprie solum, sed eleganter insuper et nervose omnia eloqui, docere velit! Ita feret, ut amoenissimum universitatis rerum, puraeque latinitatis viridarium, collectumque preciosissimae scholasticae eruditionis thesaurum, juventus studiosa haberet. Faxit deus, ut omnes audeamus aliquid publici boni zelo! Scribebam in exilio 4. Martii an. 1631.

Page 255/256, image: s157

Janua linguarum reserata. I. Introitus. I

Salue lector amice. 2 si rogas, quid sit eruditum esse? Responsum habe; nosse rerum differentias, et posse unum quodque suo de signare nomine. 3 nihil ne praeterea? Nil certe quidquam. 4 totius eruditionis posuit fundamenta, qui nomenclaturam naturae et artis perdidicit. 5 sed id difficile forsan? 6 est, si invitus feceris, aut praeconcepta opina. Tione teipsum terrueris. 7 tandem, si quid asperitatis erit, initio erit. 8 annon et literarum ductus puellis primo intuitu mira portenta videntur? 9 ast ubi paululum impenderint operae, lusum esse animadvertunt. 10 idem in omni re evenit, ut adspectu exteriore operosa appareat. 11 at si aggrederis, nihil est, quod non cedat, et se subdat ingenio. 12 qui cupit, capit omnia. 13 agedum itaque quisquis es, sperare ego te jubeo, desperare veto. 14 en vide exiguum hoc opusculum. 15 hic tamen universum mundum, latinamque linguam, (velut in breviario,) ostendam. 16 tenta quaeso: evolue et edisce aliquot has pagellas! 17 facto hoc, oculatum te ad omnia humanitatis studia reipsa comperies.

Ii. De ortu mundi.

18 deus omnia creavit ex nihilo. 19 principio enim expandit vastissimum spatium, (ubi coelum et terra existunt.) 20 et complevit id tenebricosa quadam, et informi caligine. 21 ex qua, tanquam materia, figuravit creaturas corporeas, distinctas formis, et vestitas accidentibus variis, prout cujusque ideam intra se conceperat: 22 implantavitque cuique naturam suam, id est, vim observandi assignatum locum, modum, genusque suum.

Iii. De elementis.

23 ante omnia vero confusum istud chaos, juxta densitatis et raritatis gradus, in quatuor species separavit. 24 tenuissimam, subtilissimamque partem fecit lucidam et calidam, et appellavit ignem, seu lucem. 25 aliam iterum tenuem, pellucidam, et tepidam, dixit aerem. 26 tertia portio fluida et frigida fuit, aqua. 27 sub qua mansit sedimentum crassum, limus, seu terra. 28 atque haec sunt simplicia corpora, ex quibus composita (mixta) exsurgunt. 29 omnia enim reliqua ex his constant. 30 quippe ex iis generantur, iis nutriuntur, in eadem, dum corrumpuntur, resoluuntur.

Iv. De firmamento.

31 astra sunt, ceu lampades in aethere suspensae, ut indesinenter circumcirca rotatae, lumine suo tenebras illuminent, cursu autem temporum vices dimetiantur. 32 planetae sunt septem, quisque in suo orbe. 30 infimaest luna, quae, prout nobis illustrem sui medietatem exhibet, incrementa et decrementa pati videtur, retardationeque sua menses efficit. 34 sol revolutione sua dies definit. 35 ortum ejus praecedit aurora et diluculum, quum diescit et lucescit. 36 occasum sequitur crepusculum, quum vesperascit et noctescit. 37 ascendens ad nostrum zenith, facit ver, rursumque descendens, autumnum (et utrobique; aequinoctium.) 38 imus dat brumam, orditurque hiemem: summus solstitium, inchoatque aestatem: ubi sirius (caniculaestella) excitat aestum. 39. Mercurius eum in epicyclo suo circuit, citius quam semianno: venusta venus sesquianno, 40 hanc mane luciferum (phosphorum) vesperi hesperum vocant. 41 mars ignito jubare periodum suam biennio ferme percurrit: splendidus jupiter annis duodecim: gelidus saturnus pene triginta. 42 eclipses (obscurationes) luminarium fiunt propter interpositionem tertii, et obumbrationem. 43 stellae; fixae cum octava sphaera aequaliter progrediuntur, sed inaequaliter coruscant.

V. De igne.

44 incendium ex quavis scintilla, si permittis, oritur 45 nam quidquid ignem concipit, id primum gliscit: dein ardet: tum flagrat et flammat: postremo crematum redigitur in favillas, et cineres. 46 lignum ardens, torris appellatur: extinctum titio: particula ejus carbo; et quamdiu candet, pruna 47 sumus ardens, flamma est: camino adhaerens, fuligo.

Vi. De meteoris.

48 vapores aquosi perpetuo sursum feruntur.

Page 257/258, image: s158

49 ex his densatis fit nubes: aut, si haec deorsum labitur, nebula. 50 inde pluit, ningit, grandinat. 51 pluvia destilat lente, imber dense: nimbus impetuose. 52 hic, si inter destillandum gelascit, fit grando: si incalescit nimium, uredo, seu rubigo. 53 pruina, est congelatus ros: stiria, stilla rigens 54 nives segetem operiunt, ne a gelu, vel glacie algeat. 55 aura lenis cum spirat, focillat nos: ventus vehemens cum flat, quatit, prosternit, et proterit, quoquo se vertit. 56 cardinales sunt; subsolanus (orientalis) auster (seu notus, meridionalis) favonius (occidentalis) aquilo (seu boreas, septentrianalis.) 57 turbo, et circius in gyrum se circumagunt. 58 exhalationes sulphureae incenlae edunt fulgura (fulgetra) et chasmata. 59 et tum caloris cum frigore pugna tonitrua ciet, cum fragore terribili. 60 emicans inde flamma, fulmen numcupatur: 61 quod sive sit urens, sive discutiens, momento se dissipat, et quidquid eo icitur, corruit. 62. Cum fulgurat, tonat, fulminat, quis non attonitus pavescat?

63 cometa nunquam sulsit, quin sterilitatem inureret (terries) aut infectionem. 64 iris matutina (ut et halo) nubilosam, vespertina serenam tempestatem,(sudum) nunciat.

Vii. De aquis.

65 e laticibus scatentes saliunt fontes, unde rivi manant. 66 ex his colliguntur fluvii, et denique flumina, jugiter intra ripas scas decurrentia. 67 ast sicubi profluvio et decursu carent, tument, et in stagna se diffundunt. 68 paludes sunt scaturigines sine fluxu. 69 torrentes, sunt aquae pluviales rapide defluentes: a quibus fiunt exundationes, et diluvia. 70 aquam, ubi fluit, fluentum; ubi gyratur, gurgitem et vorticem; ubi seipsam absorbet, voraginem (barathrum;) ubi expers fundi est, abyssum dicito. 71 si quid ei mergis, emerget: sed claram turbari, quid refert? 72 bullo sit a stillante gutta. 73 mare salsum est, muriae instar: 74 ubi tellurem terminal, sinus, et promontoria, et isthmi sunt: 75 undae ejus ab intraneo aestu sex horis fluunt ad littora, refluuntque reciproce, cum sonitu horribili: maxime intra freta. 76 in boreali plaga oceanus est glacialis.

Viii. De terra.

77 terrae superficies alicubi uda est et uliginosa, alicubi arida et petrosa. 78 non nullibi planities, alibi montes et valles, ac convalles, tumuli et depressa (loca,) hiatus, antra et speluncae, conspiciuntur. 79 colles et clivi, cacumen versus euntibus acclives sunt, declives retro. 80 terrae motus fit a subterraneis flatibus, qui si prorumpunt foras, labes fiunt. 81 glebam si teris et frias, puluis erit: si diluis, lutum.

Ix. De lapidibus.

82 lapis comminutus, arena est: quae si crassior, sabulum et glarea vocatur. 83 saxa humi jacent, (sive extant, sive delitescunt) cautes eminent. 84 scrupulus calceo illapsus, ni eximatur, urget 85 cote acuimus obtusa, silice elidimus ignem, lydio (lapide) metalla probamus. 86 tophus arenosus et scaber est 87 alabastrites candidissimum marmor. 88 magnes se obvertit septentrioni directe. 89 gemmarum pretiosiisima est carbunculus: secunda ab illa adamas, tum rubinus, saphirus, smaragdus, jaspis, etc. Qui angulari micant. 90 haematites, alectorius, bufonius, sequiores sunt. 91 uniones (margaritae) in conchis reperiuntur. 92 corallia sunt arbusculae marinae ramusculi. 93 vitrum crystalli similitudinem habet, non duritiem: scinditur smyrite.

X. De metallis.

94 metalla e fodinis eruuntur: e quibus, quia et liquescunt et spissantur (consistunt) varia conflantur. 95 aurum est perfectissimum: quia purissimum et ponderosissimum: praesertim obryzum. 96 clibano si vel centies immittas, ne hilum substantiae deperdit. 97 argentum huic proxime accedit, quum purum putum est: sed habet scorias, quae amburuntur. 98 ferrum, ut ut durissimum, ferrugine arroditur: conduratum aliquoties chalybs dicitur. 99 cupro adhaeret aerugo. 100 orichalcum, est cadmia tinctum aes: fundi tantum potest ob friabilitatem. 101 electro stannum, et hoc plumbum, mollius et vilius est. 102 argento vivo (hydrargyro) nihil mirabilius: liquidum est, nec tamen madet; 103 nam sive id super aliquid effundas, sive ei aliquid immergas, sive aspergas, nihil madescet. 104 sal, alumen, vitriolum, nitrum, sulphur, bitumen, naphtha, cerussa, creta rubrica, cinnabaris etc. Succi minerales dicuntur.

Xi. De arboribus, et fructibus.

105 planta, fibris radicum humorem imbibens,

Page 259/260, image: s159

Alescit. 106 eo destitute flaccescit, marcescit, arescit. 107 stirps dicitur quatenus se in ramos, et ramusculos et frondes pandit: 108 his desectis, trunci et caudicis et stipitis nomen habet. 109 extrinsecus cortex, intus libri sunt (qui dum virent, glubi possunt) medulla est intima. 110 arboribus folia delabuntur, et recrescunt; praeterquam gummosis, quae continuo (usque et usque)vernant, ut buxus taxus etc. Iii pomus (malus) pyrus, ficus, olea, sativae sunt: fraxinus, fagus, alnus, ornus, syluestres, 112 illae omnes fructiferae: harum pleraeque steriles, ut betula, populus alba, populus nigra. 113 quaedam umbriferae sunt: nominatim tilia, platanus, ulmus et caeterae latifoliae. 114 salix dat vimina, quorum contextu corbes et crates fiunt. 115 abies procera est, ut et picea, larix, cupressus, cedrus. 116 palma, si curvatur, eo validius in sublime nititur. 117 gemma hians protrudit florem, sed in fico grossulum) flos fructum: qui ubi maturuit, carpitur, aut decutitur, aut per se decidit. 118 quidam sunt praecoces, alii serotini, alii perennes, (ut juniperi baccae) eduntur autem vel recentes, aliquando cum termite devulsi) vel vieti, vel fracidi. 119 cerasa oblongis petiolis, pendent: amarylla breviusculis. 120 mespila sunt lanuginosa; pruna (damascena, armeniaca, persica, cerina, nana, syluestria) officulata. 121 putamen amoveat, et nucem (si cassa non est) frangat oportet, qui nucleum esse vult: sive sit juglans, sive avellana (quam fert corylus) sive tribulus, sive amygdalum. 122 suber et ilex glandes, quercus etiam gallas, pinus strobilos, cornus corna, laurus, acer, et sorbus syluestris, baccas serunt. 123 sorba, siliquae et cotonea (cydonia) aurantia, citrea, limonia, et punica (granata) mala, stipant (adstringunt): ficus, fraga, mora, (mora mori) mora rubi idaei; mora myrti (myrtilli seu vaccinia) laxant. 124 tus, myrrha, mastyche, camphora, resina, pix, gummi sunt. Arborum certarum, quin et succinum ut serunt.

Xii. De herbis.

125 herba cauli vel scapo excrescens (ocymum, cucumeres, pepones, melones, cucurbitae, ocyssime crescunt) emoritur quotannis: praeter sedum, (simper vivum) et vincam pervincam, quae perennant. 126 rapum, napus, pastinaca, (carota) siser, raphanus major, raphanus minor, brassica, spinacia, crambe, atriplex, scolymus, petroselinum, nasturtium, olera vocantur. 127 fruges sunt, quae in culmum (calamum) surgunt, et spicas, (sive aristatas, sive muticas) ferunt, glumis autem granum fovent, ut oryza, zea (ador) milium, panicum; frumentum saracenicum, frumentum indicum. 128 legumina vero siliquis et valuulis, ut in faba, piso, ervo, cicere, lupinis, vicia, lente, videre est. 129 sed qui fit, ut triticum in siliginem (secale) imo in zizania et lolium, hordeum in aegylopem, avena in avenam fatuam, degeneret? 130 farrago, pecoris causa seritur. 131 bulbosa sunt; allium, cepa, porrus, scilla, colchicum. 132 aromata sunt; piper, zingiber, cedoaria, cinnamomum, nux myristica, macer, caryophylla, crocus, acorum, coriandrum, anisum, anethum, cuminum, sinapi. 133 odoriferae et coronariae (e quibus corollas, serta, et servias vient) sunt amaracus, (sampsuchum, majorana) amaranthus, bellis, caryophyllus, lavandula, poeonia, rosa, rosmarinus, tulipae, lilia, violae, serpillum, primula veris etc. 134 gramini accensentur, muscus, carex, polygonum, betonica, trifolium, cytisus, plantago, millefolium, convoluulus, consolida, malua, lappa, urtica, ebulus, prunella, artemisia, erica, ruscus; et aquatiles, alga ac lehs palustris. 135 medicinales hortenses sunt; abrotonum, aloe, aquilegia, cardui varii, gentiana, helenium, (inula) helleborus, hyssopus, levisticum (hipposelinum)matricaria, menta, nardus, pulegium, pyrethrum, ruta, saluia, satureia. 136 medicinales campestres sunt; angelica, apiastrum, borrago, buglossum, centaurium, chamaemelum (chamomilla) cichorium, endivia, hypericum, narcissus, origanum, pimpinella, scabiosa, scolopendrium, tormentilla, verbascum et panaces. 137 aconitum, cicuta,

napellus, venenatae sunt: sed papaveris capitulum vulneratum, distillat opium, quod vim habet soporandi et stupefaciendi.

Xiii. De fruticibus.

138 sambucus, ribes, rubus, rubus idaeus, hedera, ligustrum, glycyrrhiza, balsamum, solanum, spinosusque paliurus, et sentis, frurices cluent. 139 arundines, cannae, et junci in palustribus proveniunt. 140 ex scirpo enodi (cui typhae innascuntur) tegetes conficiunt. 141 boleti, tubera, capreolini, et ruffuli inter fungos praestantissimi sunt.

Xiv. De animalibus: et primo avibus.

142 quidquid vita, sensu, et motu praeditum

Page 261/262, image: s160

Est, animal est. 143 alites volant: aquatilia natant (illae pennis, haec pinnis.) Quadrupedia currunt, reptilia repunt 144 volucres sunt bipedes, (manucodiatam esse apodem dicunt (et plumatae, et rostrae: (excepto vespertilione, qui pilosus, et dentarus.) 145 rostro colligentes grana, ingluviem referciunt: nulla mingit. 146 procreationis causa nidos struunt: halcyon in ipso pelago nidulatur 147 tum pariunt ova (quae subter te sta albumen et vitellum (luteum) occultant) iisque incubantes pullos excludunt, qui, dum pipiunt, pipiones dicuntur. 148 rapaces sunt, vultur, miluus, accipiter, falco, nisus: quae unguibus uncis turtures, aliasque innocuas dilaniant. 149 noctua noctu (non sublustri solum, sed et illuni) tuetur, interdiu caecutit, ut et aliae nocturnae: bubo, asio, seops, aluco, ulula, strix, caprimulgus. 150 phasiani, otides (tardae) tetraones (vrogalli,) meleagrides (gallopavones,) capones, attagenes, perdices in deliciis habentur. 151 olor (cycnus)fulica, mergus, querquedula, onocrotalus (pelecanus) et aliae aquaticae, palmipedes sunt: nulla pennipes. 152 sturni gregatim, sed absque ordine, grues valde congrue, ardeae admodum excelse volitant. 153 canorae sunt, acanthis, alauda, acredula (luscinia, philomela) carduelis, fringilla, galgulus (galbula) merula, linaria. 154 palumbus, [palumbes] et livia sunt columbae ferae. 155 merops, upupa, picus, ficedula, rubecila [erithacus] curruca, rubecilla [phaenicurus] vermibus vescuntur: ut et vanellus fortasse. 156 trochilus, et parvus parus ridicule se struthioni compararent. 157 turdus sibi ipsi exitium cacare dicitur: quia, quod conspurcat, hinc viscum pullulat. Unde viscum, [viscus] id est, aviarium gluten. 158. Coturnix curtam habet caudam, motacilla suam indesesse motat, pavo suam ocellatam dispandens superbit. 159 cassita cirrum, gallus cucuriens in suo sterquilinio cristam erigit. 160 anser [gansa] (quem turundis saginant;) gingrit, anas tetrinnit, gallina gracillat, glocitat, et gluctit: corvus crocitat, aquila clangit, ciconia crepitat. (glotorat,) cuculus cuculat, pica garrit, monedula (graculus) fringulat, cornix cornicatur, hirundo trinsat, passer fritinnit, aut minurit. 161 caeterum psittacus articulatas voces conformare suescit. 162 phoenix, gryps, harpyiae, figmenta sunt

Xv. De aquatilibvs.

163 pisces lympham ore immissam branchiis emittunt. 164 squamosi sunt vivipari, glabri ovipari. 165 in illis mares habent lactes, foeminae ova. 166 fluviatiles sunt, sturio (acipenser,) huso(esox,) amia exos, anguilla lubrica (quam si capessis, elabitur) capito, mullus (barbus,) trutta (aurata) thymallus, mugil, alburnus, gobius, (fundulus) mustela, cobitis barbatula, cobitis aculeata, rutilus, foxinus, apua, cothus. 167 piscinales; carpio (cyptinus) lucius (lupus) coracinus, perca, tinca, oculata (melanurus.) 168 marini; salmo,

muraena, muraenula, fluta, congrus; raja, ostrea, et varia monstra. 169 halece salitas in tinis, passas vero, ut et sole tostos passeres, in fasciculis nobis adserunt. 170 asellus: nisi probe contusus, esui non est. 171 delphinus pernicitate, balaena (cetus) magnitudine omnibus anteit. 172 cancer et cammarus (astacus) cum chelis suis. Prorsum et retrorsum gradiuntur. 173 de murice (conchilio) purpura comparatur.

Xvi. De jumentis.

174 jumenta, sunt animalia do mestica, nos juvantia. 175 gibbosus enim camelus vehiculi vicem praestat 176 equus juba insignis, etsi ferox indole, domatur tamen, ut sessori obtemperet; (de quo infra) 177 effrenis nihilominus efferatur, eumque dejicit (pessum dat) aut calcitrando ferit. 178 cantherius factus hinnire desistit. 179 dum pullns est, ungulis ejus soleae non applicantur. 180 pandus asellus ab agasonis fuste rudir. 181 taurus cum paleari pendulo boat, et mugit: agnus balat. 182 vervex, est aries, cui scrotum ademtum: vexatus arietat. 183 caper, est castratus hircus, haedo nondum est aruncus. 184 porcus grunnit, et non ruminat, utut bisulcus: non castratus, dicitur verres, exsecta sus majalis. 185 porcelli sumen scrofae sugunt. 186 canis cum catulis allatrat advenam, propinquantem mordet vel clanculum. 187 si irrites, distento rictu ringitur: si percutias, quiritatur. 188, rabie correptus, discurrit passim, et in quod irruit, laniat, hydrophobumque reddit.

Xvii. De feris.

189 in amoenis nemoribus, aut secus syluarum saltus pastae ferae, repetunt sua lustra (spelaea) et latebras. 190 elephas [barrus] belluarum maxima, barriens, quia crura sine flexu habet, proboscide (promuscide) pabulum attrahit. 191 monoceros (unicornis) abditissima deserta, inhospitaque tesqua incolit. 192 rhinoceros osseis squamis indutus est. 193

Page 263/264, image: s161

Alcis tergus secando est impenetrabile. 194 villosus ursus murmurat, et uncat. 195 pardus (panther) quod terno saltu non prehendit, mittit. 196 tigris ferocitate omnes superat. 197 lynx maculosa visu pollet. 198 cervum cornua non gravant, quamvis grandia: agilis est, et longissimi aevi: rancet quandoque. 199 non absimilis huic dama, sed minor: item caprea, (dorcas) cujus masculus hinnulus est. 200 capricornus (ibex) et rupicapra praeruptas rupes scandunt. 201 bubalus (bison) et urus feri boves sunt. 202 leo armis hirtis, formidolose rugit. 203 vulpes ineunte vere glabrescens fit depilis [alopeciam patitur] gannit; nunquam cicuratur 204 lepore nihil timidius: quidquid strepit, aures arrigit, aut se proripit, et ad dumeta confugit: dum capitur, vagit. 205 cuniculus fodicando cuniculos, talpa grumos facit. 206 herinacio (echino) et hispidae hystrici aculei sunt pro pilis. 207 simia operum nostrorum imitatrix est, ut et cercopithecus 208 glire et mele nihil somnolentius 209 viverra, mustela, martes, martes scythica, mustela alpina, mus ponticus etc. Pelliceis conveniunt. 210 sciurus sorex, cricetus etc. Foramina sibi cavant. 211 sed mus penuaria perreptans, catis (felibus) aut muscipulis subinde praeda fit.

Xviii. De amphibiis, et reptilibvs.

212 amphibia sunt, castor (fiber) lutra, rana coaxans, testudo, bufo, rubeta, et crocodilus: qui inter manducandum maxillam (mandibulam) superiorem movete etc. 213 serpentia, exuviasque deponentia sunt; sibilans anguis (coluber) hydra (natrix) caecilia, aspis, dipsas,

ptyas, vipera, excetra etc. 214 draco ipso halitu, basiliscus obtutu necat. 215 lacerta, seps, stellio, salamandra, scorpio, pedibus ambulant. 216 limaces sun cochleae sine testa.

Xix. De insectis.

217 insecta sunt primo varii vermes: e quibus lumbrici fimeta, erucae plantas, teredines (cossi) ligna, tineae vestes, blattae libros, convoluuli (voluoces) vites, gurguliones (curculiones)frumenta, corrodunt. 218 lendes, pediculi, pulices, culices, cimices, acari, nos ipsos infestant: quin et ricini ac hirudines (sanguisugae. 219 bombyces sericum: apes bombilantes favos mellis (quod fuci depascunt) conficiunt, examen, ut novam coloniam, emittentes. 220 crabrones et vespae, acuto sunt aculeo. 221 oestro (tabano, asilo) percitum pecus subsilit. 222 scarabaeorum et locustarum genera complura sunt: quaedam edulia. 223 bruchi et canthari, canrharides, cantharides rubeae, et scarabaei cornuti, et papiliones, et cicindelae [lampyrides] et hepioli [pyraustae]etc: volatiles sunt: fullo, scolopendra, cenripes [multipeda] coniscus, porcellio, tipula etc: reptant 224 cicada foris, gryllus domi, cantillant. 225 formica pusilla est, sed actuosa, semper festucas et micas fert. 226 aranea [araneus] araneum nexat.

Xx. De homine.

227 princeps animantium, homo, mundi epitome, vagiens nascitur. 228 hunc genitrix, aut obstetrix fasciis involutum in cunas reponit. 229 nutrix vero alma, amplectens et amplexans alumnum suum, uberibus lactat, pusio ipselactet. 230 a cunabulis venitur ad serperastra: ubi infans bimulus incessum sibi format, et fari ac balbutire incipit, crepitaculis, pupis et crepundiis ludens. 231 impuberes cum pubescunt, sonoram vocem alterant, hirquitalliuntque. 232. Ephebi dicuntur adolescentes; adulti, juvenes. 233 virilis aetas vergit ad provectam: senilis rugas et canos adfert. 234 annosa vetula, edentula fit, senecio decrepitus silicernium. 235 ita infantia seipsam ignorat, pueritia ludicris transigitur, juventus vanis, virilitas laboriosis: senectus ad priora relabitur. 236 senes enim bis pueri. 237 mediocris statura, optime est proportionata. 238 nam gigas terriculo est, nanus (pumilio) deridiculo. 239 nudus est, non hirsutus. 240 fauni enim (satyri) commenta sunt.

Xxi. De corpore, et primum de membris externis.

241 corporis nostri compages ex ossibus, cartilaginibus, tendinibus, nervis, carne, musculis, cute rriplici, et membranis, seu involucris variis, coagmentata est. 242 membra cohaerent nexibus perpetuis, in proportione decentissima. 243 nam, quae bina sunt, ex opposito sibi ad latera locantur: quae singula, per medium. 244 in vultuum lineamentis stupenda est varietas. 245 frons angusta, suilla est, gibbosa asinina, lata bonae qualitatis, rugosa animi anxii, caperata iracundi nota: erugata et exporrecta effrontem arguit, 246 pupilla oculi albugini haerens, speculum est, objectarum rerum imagines

---

Page 265/266, image: s162

In se recipiens. 247 hanc palpebrae nictando humectant: cilia vero et supercilia communiunt. 248 sed hirqui lacrymas sudant 249. Inter tempora et nasum (quem alii simum habent, alii aduncum) sunt genae, sive malae, iisque subsunt maxillae. 250. Per nares, ut cloacam, mucus demanat, quem vibrissae detinent, neexsudet, nisi mungatur. 251 mentum virile barba, labrum superius mystace tegitur: quidam tamen imberbes sunt. 252 anterior pars colli, jugulum est. Posterior cervix. 253 thorax mammis turgidus inferne ventrem habet, ad partes latera. 254

costae ab axilla coeptae, in hypochon dria desinunt. 255 in inguine verenda (pudenda) sunt. 256 infra coxas femora sunt; sub genibus tibiae, sub poplite. Surae. 257 a suffragine planta pedis est, talos, calcem, (calcaneum,) convexum plantae et solum, cumque digitis hallucem, continens. 258 tergum superne habet scapulan, post lumbos, subsequenter nates (podicem) sessionis gratia clunibus circum volutas. 259 spina dorsi totius structurae (fabrica) fultura est, ut erecti stare possimus: sed constituitur e triginta quatuor vetebris contiguis, ut incurvari queamus: quod non sieret, si os continuum esset. 260 manus inse lacertosum, (torosum) brachium continet, cubitum, volam: quae diducta palma est, contracta pugnus. 261 digiti sunt quinque, finguli articulos tres et condylos habentes. 262 pollice premimus, indice monstramus, verpus (medius) prominet: inter quem et minimum annularis est. 263 unguibus scabimus, scalpimus, laceramus, lancinamus. 264 sinistra(laeva) tenet, dextra operatur. Omnia apte, nisi quis ipse ineptus aut iners. 265 ambidexter prae scaeva, (scaevola) multum habet.

Xxii. De membris internis

266 eja, jam viscecra inspiciamus! 267 alimentum dentibus primoribus incisum, molaribusque commansum (bucca enim molendinum est) per gulam (oesophagum) ad stomachum (quadrupedibus primo ad rumen, tum ad omasum, post ad pantices, demumque ventriculum verum, echinus dictum) demittitur: ubi fit concoctio prima. 268 venae mesaraicae chylum exsugunt: eumque (excrememis crassiribus, per intestina et anum, foras egestus, quae stercora, merdae, et oleta sunt) deserunt ad jecur: ubi denuo fit separatio, 269 serosum per ureteres meat ad renes; indeque vesicae instillatur, et fit urina (lotium) qua mejendo emittitur. 270 pinguior pars ab hepate rubedinem accipit, et fit sanguis: qui per venas distribuitur. 271 lien (splen) interim at trahit, et rursus ejicit melancholiam: fel bilem (choleram.) 272 pituita (phlegma) per omnia diffluit. 273 cor, in pectore situm, primum est vivens, et ultimum moriens: proinde caloris pleuum. 274 quo sine requie palpitans, vitalem spiritum progenerat, perquearterias quaqua versum communicat. 275 refrigeratur (cor) ab adjacente pulmone, respirando per arteriama asperam: qua leasa, raucedo sit et tussis, ut et a clamore immoderato. 276 praecordia haec (exta) ab inferiore ventre septo transuerso (diaphragmate) disjunguntur. 277 omentum vero ilia, ut mesenterium lactes, obvoluit.

Xxiii. De accidentibus corporis.

678 juxta exteriorem aspectum quidam sunt corpulenti et obesi; alii graciles, macilenti, et strigo si; quidam formosi, alii deformes. 279 secundum habituidinem interiorem vegeti aut morbosi, robusti aut teneri. 280 crispi non facilê caluescunt, rusi non canescunt. 281 cilones in phrenesin proclives sunt, et includuntur vacerrae. 282 praestat luscum esse, quam coecum, surdastrum, quam surdum, haesitantem, quam balbum, blaesum quam mutum. 283. Srabo distorte, paetus oblique contuetur: cocles, monoculus est. 284 nasuti acriter odorari: buccones ingluviosi: flacci et jugulis non cavis, bardi esse putantur. 285 verruca, struma, gibbus (gibber) et quodvis tuber, desormant. 286 similiter et naevi: lentigo (vitligo) porrigo, impetigo, mentagra (mentigo) lichen, varix et omnis macula. 287 item si quis obstipus incedat, aut cernuus. 288 caluitium alii sibi decori reputant, alii dedecori. 289 claudicatio a luxatione est: alioqui neque loripedes, nec valgi, nec vari, neque scauri, nec pansae, claudicant. 290 intertrigo ab attritu est. 291 spado est, cui testiculi (colei) ablati sunt.

Xxiv. De morbis.

292 ventriculus (a quo aegritudinum origo) inanis esurit et sitit, oppletus singultit et ructat, crudus escam fastidit. 293 pallor cachexiam, hoc est, valetudinem languidam, torpor ac veternus enervatam arguunt 294 morborum alii dolorem, alii stuporem, alii pruritum duntaxat, alii convulsiones, inducunt: sed recidivi plerumque consiciunt. 295 decumbentes,

---

Page 267/268, image: s163

Si non brevi convalescunt, fiunt valetudinarii: et quod pejus, clinici. 296 hoc folatio est, cui multum doluit, dedoluit. 297 cephalalgia (potissimum si cranium [caluaria] solidum os sit) aut vertiginem, aut delirium, aut furorem causatur. 298 odontalgia sit, cum parvuli dentiunt, aut post gingivae putrescunt. 299 lippitudo est caecitatis praeparatio: nec creber aurium tinnitus, bonum portendit. 300 gravedo [rheuma] est catarrhi destillatio; asthma, respirationis difficultas. 301 angina tonsillas inflammans et angens, ne strangulet fauces, guttur gargaryza. 302 languores et animi deliquia aceto resiciuntur. 303 lienteria, diarrhoea. Et dysenteria profluvium facit, tenasmus evanidas inflationes. 304 stranguria calculi primordium. 305 tormina [vermina] affligunt ileum, colica passio colum. 306 pleuritis et lumbago minus cruciant: icterus nihil fere. 307 tumor tumescit et desidit: non sic hernia et ramex. 308 toxicum qui assumsit, turgescit: sed ei resistit theriaca. 309. Arthritis artuum juncturas (ex interfluxu humoris acris) divexat: quae in manibus peculiariter chiragra, in pedibus podagra, in coxendicibus ischias, dicitur. 310 tertiana febris alterno die repedat. 311 quartana, hydrops, phthisis, diuturni et lethales sunt: ille intercute aqua perimit, haec lenta rabe consumit et consummat. 312 epilepsia et ectali laborantes a morbo caduco parumper absunt. 313 paralyseos et apoplexiae praecursorem perhibent esse spasmum. 314 pestis bubones et carbunculos jaculans, repente et subito invalescit, ingentes nationes vastat.

Xxv. De ulceribus, et vulneribus.

315 suppurans ulcus ubi abscessit, apostema (abscessus) dicitur; dum rumpitur, tabum et sanies ex eo profluit: e pure autem cum carne convoluro et concreto fit glandula. 316 carcinoma(cancer) herpes, grangraena, phagedaena, venerea iues, lepra, erysipelas, varioli (morbilli) et exanthemata, pustulae, papulae, more scabiei, pruriginem proritant, et contactu inficiunt: ideo contagiosi sunt. 317 vulnus caesim fit, aut punctim: plaga percussione aut contusione, cujus signum livor est. 318 illud neglectim habitum, exulcerat et recrudescit. 319 quum vomica coit, crusta obducitur, tandem tamen ciatrix superat. 320 vibex a verbere est, pusula ab adustione, callus ab induratione.

Xxvi. De sensibvs externis.

321 caleat, an frigeat quid, tangendo; humidum, an siccum sit, prensando; durum, an molle, comprimendo; laeve, an asperum, attrectando; grave, an leve, tollendo; pericidum fac, comperies. 322 palpando quaerimus, quod non conspicamnr. 323 atque iste est primus sensus, tactus. 324 gustus dignoscit sapores. 325 quomodo quid sapiat scire vis? Gusta. 326 nam saccharum dulce est, absinthium amarum, acetosa acida, piper acre, labrusca acerba, immatura poma (mala) austera: quaedam plane insipida. 327 olfactus odores, qualiter quid oleat, internoscit. 328 moschus enim (qui cruor est circa umbilicum zibethi collectus) fragrantiam exhalat: assa vel adusta (caro) nidorem: morticina faetorem. 329 mucida putida, putrida, rancida (cujusmodi lardum esse solet, et arvina) sordent (foetent.) 330 auditu sonos discernimus. 331 contrarii sunt, risus et fletus; plausus et planctus; jubilum et gemitus, atque suspiria; susurrus et vociferatio; 332 tonus repercussus et resonans, echo dicitur: nullus silentium, 333 visu colores (quorum albus et niger extremi sunt: reliqui intermedii)

discriminamus, sic: 434 pix est atra, aethiops fuscus (furvus)passer pullus, anser aquilus, castanea spadicea (badia) 335 inter caerulea, caryophyllon dic hyacinthinum, violam janthinam; sugillationem lividam, cyanum cyaneum, selinos oculos caesios (glaucos.) 336 inter viridia; querectum herbeum, pinetum prasinum, pontum hyalum (venetum.) 337 rubra sunt; leo fuluus, minium puniceum, coccum purpureum, flamma rutila. 338 lutea sunt: aurum flavum, cadaver exsangue luridum, later semicoctus giluus (heluus) 339 albi denique species sunt: russus, cinereus, pallidus, lacteus, canus, candidus, vulgo noti: sed quaedam sunt discolora, versicolora, decolora.

Xxvii. De sensibvs internis.

340 ut sentire te sentias, interni sensus dati sunt tres: qui in cerebro resident. 341 nimirum sub sincipite sensus communis, qui rei visae, auditae, gustatae etiam, simulacrum apprehendit. 342 hic in somno a vaporibus obstruitur: hinc insensilitas. 343 sub vertice habitat phantasia, quae discrimina rerum dijudicat. 344 haec in perpete est agitatione: hinc cogitationes, somnia, et multifariae imagima

---

Page 269/270, image: s164

Nationes. 345 sub occipitio memoria est, quae apprehensa et dijudicata in futurum usum recondit. 346 illas rerum icones (sive dudum, sive nuper impressas) ad revidendum resumere, reminisci est. 347 eae si obliteratae sunt, oblivionem vocamus. 348 quamobrem, quorum constanter meminisse volumus, eorum crebro recordamur. 349 quod oblirus sum, qui memor est, mihi memoret [commemoret]. 350 vigilia nimia fatigat, quia (cerebrum) exsiccat: sopor recreat, quia irrigat. 351 nec tam impense inedia debilirat, quam insomnia. 352 dormituriens oscitat et pandiculatur: dormitans conquiniscit (id est capite nutat;) dormiens sterrit, aut rhonchissat.

Xxviii. De mente.

353 mens in disquisitione rerum rationem consulit, quia intellectum invenire, animus ei est. 354 cui egregium est acumen, cito rem perspicit, hebetes tardiusculi sunt. 355 qui multa inquirit, est industrius; qui noscit, gnarus; qui excogitat, solers; qui notitiam nsu firmavit, expertus; quiuti novit, prudens; qui utintur, sapiens; qui abutitur, astutus et fraudulentus. 356 contra, qui nihil curat, torpidus est: qui nihil percipit, stupidus. 357 verarei apprehensio, scientia est; falsa, error; debilis, opinio; ex conjecturis veniens, suspicio; nutans, dubitatio; impedita, hallucinatio; nulla, ignoratio. 358 cum alterius relationi credimus, fides est; cum verisimilibus rationibus cedimus, persuasio; cum sufficienti demonstrationi, assensus. 359 quorum rationem non intelligimus, miramur: quae pernoscere volupe est, rimamur

Xxix. De voluntate et affectibus.

360 voluntatis est, bona amare et velle, mala odisse et nolle. 361 ex accidenti est, si haec placent, illa displicent: tum enim apparentia eam decipit, ut eligat deteriora, aut spernat, quorum ignara est. 362 ecce autem, quam subjecta est affectibus! Quam identidem iis perturbatur! 363 absunt bona? Desiderat ea, optat, bene ominatur, anhelat, conatur et molitur, quidquid potest, frustrationem nihilo secius veretur. 364 hinc desideria, vota, spes, studia, molimina et conatus, solicitudo. 365 antequam adipiscitur, cum taedio fert etiam paulae morae intercapedinem. 366 adsunt? Gestit aviditate, laetatur, gaudet, oblectat se fruendo iis, amittere metuit: inde hilaritas, laetitia, gaudium, voluptas, juncta tamen metui.

367 eripiuntur? Tristatur, dolet, queritur: hinc tristitia, poenitudo, querela. 368 magis vero mala eam inquietant et distrahunt. 369 ventura enim abominatur et aversatur ac declinat, formidat tamen, tremit et angitur: hinc aversatio, timor et formido, tremor et anxietas. 370 advenientia pavescit, horret, trepidat ad ea, vel stupescit: inde pavor, horror, trepidatio. 371 quum obvenerunt, irascitur, moeret, luget: hinc ira, moestitiu, luctus, 372 aliter fit in alienis bonis et malis 373 ibi gratulatur aut invidet: hic commiserescit, aut (si perversa est) exultar. 374 boni ignorantia neglectum et aspernationem, violatio zelum, satietas fastidium adfert. 375 pudor est, si quis ob turpia erubescit: sed moeroris levamen erit, si cogites, omnia omnibus accidere. 376 post lapsum enim nihil in nobis integrum, omnia mutila, manca, lacera.

Xxx. De mechanicis in genere.

377 hactenus naturalia: artes mechanicae sunt, quae victum et amictum acquirunt. 378 jam ergo artificum. Quoque officinae visendae nobis erunt.

Xxxi. De hortorum cultura.

379 hortus, vel pomarium est, vel viridarium, vel vivarium. 380 sepitur vel aggere, vel macerie, vel plancis, vel sepe e palis [sudibus] longuriis, aliisque vitilibus plexa. 381 hortulanus [olitor]ligone, et rutro, bipalioque fodit, et per puluinos semina spargit. 382 arborator seminario vel taleis vel viviradicibus consito (concinnitas est et elegantia, si per quincuncem digerantur) surculos inserit et rigat, scalproque germina putat, stolones amputat. 383 oleum ex olivis exprimitur; subtus amurca sidit, fraces abjiciuntur. 384 apiarius aluearia curat, ceramque liquat.

Xxxii. De agricultura.

385 agricola est, qui agrum colit, proventuque annonae se sustentat 386 cui fundi et praedia locantur, manceps: cui villa creditur, villicus et colonus est. 387 arvum subactum, et a caespitis radicibus repurgatum, ut sit foecundius, ante sementem stercoratur, fimo vel marga.

Page 271/272, image: s165

388 novale et vervactum, et requietus ager, seracior est restibili 389 araturus jungit aratro boves, non funibus, sed jugo. 390. Tum agitans et stimulo incitans subarat, iterat, tertiat, seminat et occat; per liras et versuras. 391 inter lirandum vero altera tenet stivam, (ne deliret) altera rallam, et culter cum burae indito vomere proscindit sulcos; donec absoluatur jugerum. 392 porca fit transuersim ad derivandam uliginem. 393 occam in arogilloso solo ferream esse oportet: in arenoso lignea satis est. 394 ubi segetes fruticescunt, ne a zizaniis suffocentur fruges, sarritione [runcatione] opus est. 395 cum messis adest, messores falce metunt, manipulatimque disponunt. 396 colligunt postmodum in mergites, et colligant tomicibus, superante in campo stipula. 397 tum vehibus in horrea convehunt, vel acervos congerunt. 398 tritores in area flagellis triturant (olim tribulabant tribula) linquuntur stramina et acera. 399 subjactant exinde ventilabro, ut secernatur palea. 400 si quid adhuc superest, cribro cernunt, ut fiat frumentum: quod granariis insertur.

Xxxiii. De molitura.

401 antiquitus tundebant solummodo pistillis in mortario; hinc ptisana. 402 deinde pinsebant pilo ruido in pistrino, fiebantque pultes et alica. 403 novissime excogitatae sunt molae

(trusatiles primum, post asinariae, tum aquatiles, et ventosae). 404 ubi per saccum cilicinum farina incernitur, excutiturque, furfiiribus extra sparsis. 405 sed qui molit (molitor) emolumento inhiat.

Xxxiv. De panificio.

405 pistor massam in mactra spatha lignea depsit, et in furno excoquit: fermentatus geminam habet crustam, medullam intus porosam; azymus compactus est. 407 cupedinarius ex polline cupedias parat. 408 placentarum species sunt: similae, spirae, crustulae, lagana, liba, scriblitae, globuli, boletini, obeliae, tortae, artocreata et c.

Xxxv. De pecuaria.

409 opilioni pedo vel flagro apparato, ovium agmen concreditur, in quo ille peculium suum peculiari charactere insignitum habet. 410 lupus voracissima bestia samelicus ululate, impetitque non greges solum, sed et armenta: a quo ea tuentur (custodiunt) molossi, hos autem ab illo millus. 411 vagi pastores pascua mutantes mapalia sua carris circumvehunt. 412 mandrae sunt tralaritiae caulae. 413 bubulci e bubilibus, subulci haris, buccina evocant. 514 illi in praesepibus, hi in aqualiculis, pastum praebentes, stabula pala expurgant, 415 vitulus et subrumus agnus ex ubere colostram (colostrum) sugunt, ancilla vero lae mulget mulctra (mulctrali) excipiens. 416 e lactis cremore (flore) confit butyrum; e lacte coagulato caseus; serum superest. 417 vacca praegnans forda (horda) dicitur: nondum foeta, bucula et juvenca; effoeta mactationi est. 418 foenum e pratis secula desectum et sicilitum siccatur, rastris corraditur, furcis in cumulos et foenilia comportatur. 419 e renascente gramine chordum fit.

Xxxvi. De lanionia.

420 lanio altilia (vescula enim non sunt vesca [i. Esculenta:] quis iis vescatur?) In laniena mactat (id est, jugulat, exeoriat, dissecat) in macello venumexponit. 421 intestina pulpa effarciens, farcimina et lucanicas [hotulos] tomacula [hillas] apexabones, tuceta [isicia] itemque offas penitas, pernas, petasones et succidias conficit. 422 adeps non concrescit aeque spisse, ut sebum: quia opimior.

Xxxvii. De venatura.

423 venator feras in scrobes, foveeasque pellicit, aut canum sagacium odoratu per vestigia vestigat, et venatur. 424 odoratores enim indagant, vertagi persequuntur et assequuntur. 425 cerva ut in casses et plagas varis tentas incidit: irretitur et interimitur si evasit, celerat fugam. 426 aper spumans et frendens venabulo transactus interficitur.

Xxxviii. De piscatione.

427 piscator in lacu et piscina reti et verriculo, tragularve: in amne sagena et nassa piscatur: hamo (cui esca inditur) ubivis.

Xxxix. De aucupio.

428 auceps aucupio exstructo per illices allectas inescatasue aviculas, vel reticulis adobruit, vel calamis viscatis (quos in amite seu pertica, prostituit) implicat, vel tendiculae aut decipulae, aut laqueorum transennis illaqueat. 429 quos vita donat, caveae incarcerat, sive,

Page 273/274, image: s166

Junctim, sive separatim. 430 si qua pedica impedita sese expedit, avolat: nisi se iterum tricis intricet.

Xl. De coquinaria.

431 promus condus obsonia e promptuario profert, sed coquus in foco, lebetibus, ahenis, et cacabis elixat, verubus assat, craticula torret, sartagine frigit. 432 si quid fervet et bullit, ne ebulliat trulla confutat; si spumat, rudicula despumat. 433 fuscina extrahit, fiscina (qualo, colo) colat. 434 residua culinae utensilia sunt, rutabulum, batillum, ignitabulum, radula, tudicula, trua, aluei, urcei, catini et patinae, quae cum colluuntur, fit colluvies. 435 vas ansa prensabis; sed si anceps est, ambigas, qua arripias. 436 aves deplumantur: pisces desquamantur, exenterantur, exdorsuantur. 437 assati et frixi salubriores sunt, quam jurulenti, nisi plusculum condiantur. 438 salsamenta et insumata aegre concoquuntur.

Xli. De potulentorum paratura.

439 vinitor vites novellas plantat, traducibusque propagat: vineam bidente pastinat palmites ridicis seu pedamentis statuminat: paulo post pampinat, tum vindemiat, racematione pauperibus relicta. 440 uvor suavis ex acinosis orca pressis uvis, torculari exurgetur: qui e lacu in cadum vel seriam transtatus, mustum, et posteaquam fuerit defaecatus, vinum dicitur: potus exhilarandis moestis accommodus. 441 annotinum est optimum, hornum nonnihil faeculentum. 442 factitia sunt, absinthites, helenites etc. 443 defrutum est sapa, exoletum vappa. 444 hoc ubi non abundant, mulsum, [hydromeli] coquitur; itemque cerevisia, ex polenta [farre tosto] et lupulo. 445 abditur in cellas frigidiores et obturatur; relita vero promitur, siphone (tubulo) aut epistomio. 446 capacioribus in cupis sapidior est, quia non evaporat: praesertim cantheriis (basellis) altioribus. 447 ex inclinato dolio saeces una exeunt. 448 ex vinaceis confit lora seu posca. 449 infundibula ad lagenas pertinent.

Xlii. De aurigatione.

450 equiso in equili equum capistro alligatum, aut fiscella (si mordax sit) constrictum, strigili purgat, gausapi insternit, avenam vanno ventilat. 451 eques ephippio insidens, stapedibus insiltit, calcaribus instigat, fraeno et habena pro lubitu flectit. 452 antilena, postilena, dorsuale et phalerae caeterae, ornatui ei sunt, 453 succussator equitem quassat: gradarius molliter, tollutarius tollutim, fertur nec caespitat. 454 auriga parippum sellario jugat, antecessorios ante se agit. 455 magnates sejugibus vehuntur, pilentis et carpentis: plebeji quadriga, triga, biga, idque rhedis, et essedis: alicubi etiam cisiis. 456 onera plaustris, trahisque; aegrorantes arcera; delicati lectica trans vehuntur. 457 currus habet rotas, ex modiolo, radiis duodecim, apsidibus sex, et totidem canthis, contextas: sed axes, ut axungia ungantur, succula sustolluntur. 458 temonis extremitati admoventur de helcio dependentia retinacula sive sint catenae, sive lora): pone autem sufflamen, ad sufflaminandum in praecipiti descensu currum. 459 qui cum per orbitas levius trahatur, ne exorbites, respice. 460 clitellae mulo aut caballo imponuntur, ut per loca praecipitia et invia, transitum alium non ferentia, onera transferantur. 461 bajuli vel humeris, vel unirota, vel feretris (aerumna a collo suspensa) bajulant.

Xliii. De navicularia.

462 a transmarinis apportaturi quaedam nautae, aequor navigant. 463 nauclerus in puppi ad clavum sedens, gubernat: alii per foros cursitantes ad antennas vela explicant vel contrahuut, jam in malo, jam in prora: appendentes et aplustria. 464 tranquillo salo velificatio non procedit: nisi remiges per transtra ad scalmos considentes remigent: sed celocem (liburnicam) flabra velocius impellunt, quam remi triremem) et, ubi opus, contis trudendo a brevibus et scopulis propellant. 465 nam huc si incidant, naufragio periclitantur, ni rerum jacturam faciant: idcirco profunditatem bolide exquirunt. 466 procella oborta, ne abripiantur a decumanis fluctibus, anchoram rudenti annexam jaciunt: atque ita fluctuant et jactantur. 467 primo et secundo navigans (etiamsi vento secundo) nauseam vix effugit. 468 navis vacua, praesertim actuaria, quo firmius innatet, saburra oneratur; sed si nimio plus, pessum ibit. 469 fatiscit multoties, perque hiscentes rimas sentina illabitur, ac in carinam confluit, unde antlia exantlatur. 470 navigatione peracta actutum navigia in portum appellenda sunt: aut certe in opportunam stationem deducenda.

471 in navigabili flumine lintribus et scaphis [cymbis] utuntur: imo et ratibus. 472 vbi vadum deest [defit] pontone trajiciunt, diciturque trajectus: sed portitor naulum poscit. 473 alibi fiunt pontes, lapidei vel sublicii, et pensiles: itemque ponticuli. 474 urinatores quaevis profunda tranant.

Page 275/276, image: s167

Xliv. De itineribus.

475 viator, quo tendit, recta sine ambagibus proficiscatur, ad diverticula ne divertat. 476 semitae causa viam ne deserat, nisi tritus sit callis, et itineris dux, comesue peritus. 477 avia et salebras qui metuit, nusquam deviet. 478 bivium fallax est: quapropter ne erres, obvios sciscitare, qua eundum? Num hac, an illac? Et dextrorsum, an sinistrorsum flectendum? 479 tramites et compita non aeque seducunt. 480 peregrinari ut absque interprete possis, idioma calle. 481 peregreituro ocreae competunt, aut perones ob coenum: et petasus, ob solem: et penula scortea, vel e coacta lana, ob pluvias: et baculus seu scipio, quo nitatur: adminiculo enim est. 482 opus et viatico ad faciendas impensas: vel literis cambii [collybi]. 483 sed et patientia: sub dio enim pernoctare obtingit. 484 ubi ubi es, qui cum sis, attende. 485 latrones [praedones] enim praedantur, piratae spoliant: imo in hospitio non hospes ab hospite tutus. 486 sarcinae, quibus sua convasata sibi portant, sunt: vidulus, mantica, (sacciperium) pera, bulga, marsupium, (crumena, loculus) denique sinus et sunda. 487 ut expeditior sis, impedimentis ne te aggrava. 488 si maturandum est, celetibus uti, quam veredis praestat. 489 e longinquo reducem te saluum et sospitem laetabundi tui excipient.

Xlu. De mercatura.

490 mercatores bona aliunde allata non absque lucro (quis enim cum damno quaestum faciat?) Divendunt. 491 in emporiis celebria exercentur commercia: oppidatim nundinae et mercatus instituuntur. 492 et propolae, et institores, et tabernarii, et circumforanei, et scrutarii cum scrutis suis, negociatores dici volunt. 493 et quidni? Ubique sane merx licet, venditor indicat, emptor licetur, donec contrahant. 494 sed qui mercatur, ne se defraudet, nummorum (qui aurei sunt, vel argentei, vel aerei (aenei) teneat valorem: nummuli, teruncii,

semoboli, oboli, grossi, (dioboli, trioboli.) Floreni, solidi imperialis, scutati, coronati etc. 495 talentum atticum valuit sexaginta minas; mina centenos denarios [drachmas] seu quadringentos sestertios: sestertius autem duos circiter crucigeros, monetae nostratis. 496 pretium rerum ingravescit, aut remittit: sed nihil carius constare ajunt, quam quod precibus emitur.

Xlui. De vestiariis opificiis.

497 linum et cannabis macerantur in lacunis, et exsiccata frangibulo conteruntur, tum carminantur, remanente ibi flocco, hic stupa. 498 dehinc netrices penso ad colum applicato fila trahunt, sive girgillo, sive fuso cum verticillo. 499 ex alabro vel rhombo, glomerantur glomi, et fit tela. 500 textor stamini tramam subtexens, linteum et carbasum conficit: quod, ut candescat, insolatur. 501 bilex duplicatum, et triplex triplicatum licium requirit. 502 idem propemodum in lanificio fit. 503 pectitur lana vel gossipium, tum carminatur, netur, texitur, et pani transeunt in pannum: quem, si levidensis est, fullo constipat, tinctor in cortina tingit. 504 sartor forfice scindit, acu et digitali indumenta suit (sed ne suturae notabiles sint) quandoque et dissuit, rursumque fissuras consuit, plicatque. 505 qui vetera [resarcit] veteramentarius: qui interpolat, mango est. 506 coriarius coria lixivio elaborat: e quibus sutor [calcearius] in sutrina ad modulum, subula et filo picato, calceamenta conficit. 507 pellio e pellibus pellicea construit. 508 alutarius alutas praebet: sed omnes hi per despectum [ludibrium] cerdones audiunt.

Xluii. De vestituum generibus.

509 vestis ad obtegendam nuditatem e paradiso ejectis data, stulte ad fastum adhibetur. 510 moles nobis est, et remora, induendo toties et exuendo. 511 alii laxa gaudent, alii stricta: habitu multiplici. 512 vestitus virilis est: thorax cum manicis, colobium, femoralia [braccae, caligae] toga talaris, lacerna, sagum, laena, paludamentum. 513 foemineus: amiculum, stola, supparus, calanticae [ricae] pela, praecinctoria, vitta [reticulum] mitra. 514 communis: indusium [interula] capitium, pileus (cujus summitas, apex est) tiara, tunicae, pallae, chirothecae, tibialia, calcei, (soleas, obstragulum et corrigias habentes) socci, crepidae, subere mollita sandalia, et utrivis pedi quadrantes cothurni. 515 omnia, ubi attinet, spinulis [aciculis] uncinulis et spinteribus, fibulis et nodulis [globulis] connectuntur. 516 cingulo nos cingimus et discingimus; ligulis nodos adstringimus aut soluimus. 517 pallia amicimus. 518 ornamenta adjiciuntur: redimicula (quibus cincinni et alia redimiuntur) taeniae, fimbriae, limbi [institae]

Page 277/278, image: s168

Lemnisci, laciniae. 519 item annuli, torques, monilia, inaures, armillae etc. Aurifabrorum et gemmariorum opera: nec non linteola, strophia, sudaria. 520 centones inopum sunt 521 gynaeceum suum mundum habet, matronae pedissequas.

Xluiii. De fabrilibus artificiis.

522 primitus in specubus, et cavernis et tabernis, et frondeis tabernaculis, et caespititiis turguriolis, gurgustiolisque habitabatur: nunc aedisiciis omnia referta sunt. 523 haec alias humilia, alias excelsa sunt, distega, et tristega. 524 in casa exili lubens quis degit? 525 architectus aedificat, adjutantibus fabris, securi et malleo operas suas peragentibus. 526 faber murarius e caemento (a lapicida sive latomo parato) ad libellam et perpendiculum, muros fabricatur et crustat, idque calce, vel gypso. 527 lignarius (faber) trabe ferreis ansis firmata, ad

amussim ascia asciat (segmentis et assulis avolantibus) terebra terebrat [forat] trochleis elevat, parietes coordinat, clavis impactis consolidat. 528 ligna, ne cariem sentiant, post plenilunium succidantur. 529 lignator arbores sternit, truncat, serra serrat (scobe vel serragine recidente) tuditeque cuneum adigit et findit, strues componit, ut et sarmentorum fasces. 530 arcularius [scriniarius] asseres dolabra (runcina) edolat, subscudibus coadunat, glutine [coella] conglutinat, vernice illinit. 531 ferratius in ustrina follibus insusflat, emollitumque et forcipe prehensum (ferrum) super incude cudit, explanat, inque laminas et bracteas diducit. 532 serrarius et polio lima limat (reliquiae sunt ramenta) planula vero laevigat et polit, ut niteat. 533 eodem pertinent fabri aerarii, stannarii, automatarii, scandularii itidem, vietores, tornatores, vitriarii et qui restes torquent, restiones. 534 operarii mercede conducuntur, ut subministrent, vectibus tollant, palangis voluant etc. 535 figulus ex argilla ollas, fidelias, opercula, aliaque figlina fingit. 536 domus alte fundata, affabre exstructa, angulis bene solidata, columnisque stabilita, perstat diutissime incolumis. 537 alias ruit, et siunt ruinae ac rudera. 538 vacillantem itaque pilis vel aliis fulciris fulciri, labantem refici, aut dirui, collapsam destructamve instaurari, necesse est. 539 domicilium (habitaculum) amplum commodam facit habitationem, aretum incommodam.

Xlix. De domo ejusque partibus.

540 introiturus per anticam in aedes, ne: aberres, in vestibulo subsiste, et frontispicium intuere: demum pulsa. 541 si quis per transennam prospectat, aperiri roga; si aperit, pedem, ne ad limen offendas, attolle; caput, ne ad superliminare allidas (impingas) submitte: utrinque postes erunt. 542 ubi pertransiveris ostium, occlude; pessulum obdendo aut obicem saltem. 543 cardines ne strideant, aut fores crepent, lente commove. 544 ex atrio in caetera conclavia aditus est: per scalas aut cochleam ad superiores contignationes. 545 tectum columinibus incumbit; tignis et tigillis tegulae (imbrices) vel scandulae. Culmen stramineum est. 546 additamenta sunt, projecturae et suggrundia, meniana et antibus (antis) innixae pergulae [podia] coronidesque. 547 area impluvium dicitur: per posticum exitus est alio. 548 sera clave clauditur et recluditur, id est, obseratur et reseratur.

L. De hypocausto.

549 hypocaustum fornace calesit. 550 fenestrae sunt vitreae, et fenestrae ligneae; cancellatae aut clathratae. 551 pavimentum fistuca pavitum aut tessellatum est: laquear [lacunar] tabulatum, aut fornicatum. 552 servandis rebus receptacula [reconditoria] sunt; arcae, armaria, risci, thecae, capsae, transportandis vero sportae, cophini, calathi etc.

Li. De coenaculo.

553 mensae mappis stratae disci (sive sint orbes, sive quadrae) superponuntur, ut et salinuni. 554 apponuntur e canistro panis collyrae, aut bucceae scissae, tum fercula. 555 invitati convivae, a convivatore in coenaculum [triclinium] introducuntur; 556 et ubi super peluim ex aquali, aut super malluvium e gutturnio, se laverunt et mantili terserunt, per scamna vel disposita sedilia (suppositis scabellis) accumbunt. 557 in procinctu est structor, qui dapes praelibat et dispertitur. 558 juscula et pulmenta cochlearibus, caetera edulia cultro (quem manubrio tene) sumuntur. 559 civiles labia non exserta lingua lingunt, lambuntue, sed mappella detergunt. 560 neque bolos aut frusta glutiunt, sed mansitando comedunt. 561 muscae abiguntur muscario. 562 depromuntur e repositorio crateres, et cyathi, calices, vitra et cululli: prolutaque in

Page 279/280, image: s169

Abaco reponuntur. 563 (patera est patulo orificio poculum). 564 tum cellarius temetum affert, pincerna vero ex obba, vel hirnea [cirnea] vel cantharo, infundit et porrigit: propinantque alii aliis geniales haustus. 565 opiparum convivium lautas habet epulas, (non absque ferina) et quidem diversos missus. 566 assaturis superadduntur in scutellis embammata [intinctus] lactucae, raphanus: et salgama, olivae, cappares, cucumeres, beta rubra, tandemque bellaria. 567 verumenimvero festiva colloquia praecipuum sunt condimentum. 568 edaciores jentant, prandent, merendant, et coenant: sed qui sedentariam vitam agunt, jentaculo et merenda abstineant. 569 ter de die saturari, nocet; nisi parce.

Lii. De cubiculo.

570 in dormitorio, sponda cubile sustinet: sed deficiente lecto, storea, aut matta substernitur. 571 strato superinjicitur lodix, et huic cervical: tegetibus et stragulis nos integimus. 572 puluinar plumeum est, culcitra tomento farta. 573 matula vesicae levandae, et secessus [latrina] aluo exonerandae, cubiculo necessaria requisita sunt, 574 grabatus pro meridiana reclinatione est. 575 qui supinus cubat et dormit, incubo [ephialte] molestatur: qui pronus, anhelitu. 576 si edormisti et evigilas, vigila, ne obdormias rursum: experrectusque expergefac alios. 577 hiberno tempore antelucana diligentia probatur.

Liii. De balneo et mundicie.

578 limpida faciem saepius abluere, munditiei est: fuco fucare spurcitiei. 579 in lavacris, balneis, et thermis, sordes et illuvies, sudores et squalores, eluuntur: 580 ubi tamen, honestatis ergo subligacula et castulae locum habent. 581 sed vestimenta lavantur sapone [smegmate] aut everruntur setaceo pectine; aut exterguntur spongia: collaria roborantur amylo. 582 cilicio, et pumice nos fricamur: vascula stramento (vel equiseto) stringuntur: quisquiliae scopis verruntur. 583 ubi putei desiderantur, e quibus (crepidine circumdatis) tollenone, et haustro, vel situlis, haurias, aquaeductus per tubos et canales, aut per incilia fieri convenit. 584 tonsor crines forpice tondet, (olim vellebant, ut et ovium vellera) vel deglabrat novaculae acie. (585 balneator insuper scarificat.) 586 coma (quas germani alunt, poloni capronas) pectine pectitur: calamistro cincinni crispantur. 587 unctiones, suffimenta et odoramenta, aspersionesque ex ampullis, voluptariorum sunt, quibus delibuti fragrant.

Liv. De conjugio et affinitate.

588 conjugium est, cum maritus et marita, ut conjuges cohabitant. 589 caelebs matrimonium initurus, despicit sibi, quam prociat, virginem nubilem, aut viduus viduam. (590 dos et forma nonnunquam rivales exciunt). 591 procus cum obtinet, ut ei despondeatur, fit sponsus, et quae nubit, sponsa: ille suum pronubum [paranymphum] haec suas pronubas habet. 592 a nuptiis vir et uxor dicuntur, (postridie repotia fiunt). 593 qui natam elocavit, socer est, et socrus: qui duxit, gener: quae nupsit, nurus: reliqui agnati ex eo se affinium titulo cohonestant: levir glorem compellat. 594 si connubium non arrisit, integrum fuit pridem nuptam repudiare, fiebatque divortium: hodie nil, nisi alterutrius obitus, sejungit.

Lu. De puerperio.

595 ut sexus ita conjugalis copula thalamusque prolis causa est. 596 vir in utre liquorem, mulier gravida in utero [matrice, vulua] foetum gestans, uter plus praestat? 597 haec profecto:

quae nisi abortit, filios et filias enititur, quandoque gemellos. 598 puerpera sex septimanis (hebdomadis) latitare lege tenetur. 599 pater gignit; mater parit; ambo educant, suaviant, osculantur, in sinu gremioque refovent. 600 vitricus et noverca privignos non eodem modo diligunt: quia neuter genito est.

Lui. De cognatione.

601 qui ejusdem, sunt progeniei et prosapiae, cognati et consanguinei dicuntur: ut sunt, fratres et sorores (praesertim germani: nam uterinos esse, non tanti habetur) avus et avia. 602 item, proavus, abavus, atavus: quod supra est, majores vocamus. 603 collaterales sunt, patruus et amita, avunculus et matertera, patrueles, consobrini, et amitini. 604 in descendentium serie sunt, nepos et neptis, pronepos et proneptis, cum omni posteritate. 605 sunt, qui, cum careant sobole ac heredibus, extrancos adoptant: sunt e contra qui suos (ob inobedientiam) exheredant, abdicantque. 606 superstitibus pupillis [orphanis] et

---

Page 281/282, image: s170

Minorennibus conservandae hereditatis gratia (cujus et posthumi participes sunt, minime vero spurii et nothi) tutores testamento dantur. 607 qui si ex fide agunt, repertoria [inventaria, regesta]faci unt. 608 testanti interea facultas est facultates suas partiendi, deque iis dispensandi et legandi, cui videtur, dimidium, trientem, quadrantem etc.

Luii. De oeconomia.

609 quomodo pater et mater familias familiam administrare, famuli et famulae obedire debeant, oeconomica praescribit. 610 servus est, qui hero suo servit (nati autem eius vernae sunt) mancipium, in quem vitae et necis potestas est: libertus, manumissus. 611 pensum facienti demensum suum debetur, diurnum, menstruum, annuum. 612 liberis parentes multa indulgent.

Luiii. De urbe.

613 urbem muniunt moenia, aggeres, valla et valli, propugnaculaque. 614 intervallum [interstitium] habet sossam, pomoerium intro est: qua civibus ad moenia patet accessus. 615 porta habet claustra sua, valuas, repagula et cataractas. 616 plateae et vici lapide sunt strati, ut et forum cum porticibus, ne lutosae sint ambulationes. 617 angiporti ut plurimum impervii sunt. 618 suburbiis oppidum ampliatur, turribus decoratur: potissimum si muratae sint et fastigiatae. 619 non cuncti incolae privilegiati sunt, sed indigenae et municipes. 620 exhis quidam a censu et oneribus publicis immunes, sibi privatim vivunt. 621 peregrini et inquilini sunt vectigales. 622 templum, armamentarium, aerarium, granaria, civitatis robur sunt. 623 at cisternae, horologia, scholae, bene ordinata, belli regiminis indicium [documentum.] 624 pone praetorium custodia poni solet: in recessibus foricae, 625 diversoria, cauponae, popinae, pro advenis parantur: asyla [refugia]pro sontibus: xenodochia, pro pauperibus. 626 basilica est augusta aedes, vel domus. 627 specula in editiore loco sit, vigiles autem vigiles. 628 vicini mutua sibi ministeria debent.

Lix. De templo.

629 aedituus campanarum pulsu coetum ad sacra convocat. 630 ubi conventum est, cantorum chorus ad pluteum psalmos et hymnos spirituales decantat. 631 concionator [ecclesiastes] e

suggestu spiritum sanctum invocat, textum biblicum authenticum interpretatur: scripturas utriusque testamenti citat; ad poenitentiam [resipiscentiam] juxta decem praeceptorum (decalogi)tenorem hortatur: contrita corda satisfactione meritoque christi solatur: hoc scilicet modo evangelium praedicans, et religione auditores rite imbuens. 632 peracta precatione (oratione) festa indicit, et concionem (quae quo frequentior, eo carior) dimittit. 633 nonnunquam catechizat, baptizat, sacram coenam (synaxin, eucaristiam) ministrat. 634 absoluit poenitentes, a sacramentis arcet impoenitentes, hypocritas conscientiae suae committit. 635 encaenia et anniversariae solemnitates debita festivitate (biduo, triduo, octiduo) celebrantur. 636 ceremoniae non apud omnes eaedem sunt, nec ordinandi et initiandi ministros mos idem: sed disparitas haec innoxia est.

Lx. De ecclesia.

637 parochus est suae paroeciae inspector, illius autem antistes. 638 praesules (abbates, praepositi, priores) cucullatis monachis, monasteriisque, abbatissae monialibus, (vestalibus) sacaellani sacellis, diaconi collectis et eleemosynae praesunt. 639 primitiae et decimae sacerdotibus offeruntur: eremitae eremum iuhabitant. 640 episcopi in conciliis schismata et sectas componunt, haereticos blasphemos cum asseclis, apostatasque ab ecclesiae unione excommunicant: doctrinae canonem constabiliunt.

Lxi. De ethnicorum, judaeorumque superstitionibus.

541 pagani (gentiles, ethnici) sacrificuli, in delubris lucisue suis, sacrificia (hostias, victimas) super aras (altarta) immolabant, thura libabant et adolebant, et taliter idolis suis litantes, lustralique aqua sese lustrantes, piacula expiare conabantur: sed abominatio fuit. 642 profanum appellabant, ceu minus sacrum et non consecratum, quicquid extra fanum esset. 643 pontifex infulatus sacrarium (adytum) intrabat: flamines thuribulo (acerra) suffiebant, cymbalis, tintinnabulis, nolis, crotalisque tinnientes. 644 vates eorum, sagae et piatrices, vaticinabantur, non ex numinis afflatu, aut inspiratione, per raptum [ecstasin] ut prophetae israelis, sed ex anspiciis, [auguriis] aruspicina, sortibusque superstitiosis. 645 inde auspices [augures] harioli, (haruspices) sortilegi dicti:

Page 283/284, image: s171

Hariolari vero et augurari, pro divinare, usurpabant. 646 habebant et oracula, sed erronea, a vejove profecta. 647 demortuos heroas divis accensebant. 648 judaei in synagogis, praeputia circumcidunt, sabbadio feriantur etc.

Lxii. De curia.

649 in curia senatus consessus suos, et de republica curas agunt. 650 asservatur ibidem matricula civium [album] et tabulae publicae, 651 consul deliberanda proponit, senatores sententias dicunt, ille concludit. 652 notarius cancellis septus acta consignat: et ita quisque suo munere fungitur. 653 ministratores illis stint apparitores, id est, statores, accensi, scribae, et praecones; item lictores. 654 plebs in tribus tributa, suos habet tribunos, per quos plebiscita seruntur ad ratihabitionem senatusconsulto. 655 habent et opifices curias seu collegia sua, ordinis causa: ut novitius artificium professus, curionibus der specimen.

Lxiii. De judiciis.

656 duobus de quacunque controversia disceptantibus, terrium intervenire necesse est, qui litem dirimat, aut, de quo al tercantur, diribeat: alias certamina et contentiones in infinitum ibunt. 657 aut igitur arbitrum sibi deligant, cujus arbitrio acquiescant utrinque, aut sectentur forum, et secum experiantur jure. 658 qui adversario dicam impingit [scribit] citat et arcessit eum ad praetorem (praeterquam nefasto die) insimulat et accusat noxae. 659 ad actoris petitionem accersitur reus, accusatio et excusatio cognoscitur, si dissitetur, admittuntur testes, et illi quidem jurati, si auctoritas per se non sussicit 660 advocatus seu patronus clientem (utpote, qui se in clientelam ejus dicavit) ne destituat, sed defendat: ex aequo tamen et bono, ne rabula audiat. 661 vitet et judex praejudicia maximopere, neque largitionibus corrupnis, huc aut illuc propendeat: sed nude secundum probatorum evidentiam decernat. 662 si adsesseres adsunt, praesidis est, judicia colligere, illorum ferre, liber e, sed juste, ut sontes damnentur, insontes justificentur. 663 nam decreta et edicta consensu facta, retractari, revocari, ac rescindi., indecens est. 664 causae decisio ut promulgata est, ocyus exsequutio fiat: nisi condemnatus protestetur, et ad tribunal superius provocet [appellet] ibi justitio, comperendinationi, aut etiam sequestrationi, locus est. 665 sed et vadantur litigatorem, ad sisstendum se. 666 interdum dilario adhibetur, propter intercessiones et vadum fidejussiones: sed, quod quis spondet, praestare tenetur.

Lxiv. De maleficis et suppliciis.

667 in praevaricatores animadvertendum est, et notoriis peccatis multa [mulcta] irroganda, ne inipunitas in licentiam abeat 668 ad coercendos atque compescendos improbos, virgae sunt, flagella, scuticae, compedes, manicae, numellae, cippi, ergastula, carceres, tormenta, patibula: ut per lictores et carnifices facinorosi rapiantur, vinciantur, constrjngantur, cedantur, verberentur, torqueantur, excrucientnr, aut etiam morte afficiantur desperati. 669 fures enim suspenduntur; moechi decollantur; homicidae et sicarii crurifragio plectuntur (quondam cruci affigebantur;) parricidae cum serpentibus culeo insuti, et aquis submersi suffocantur; anus veneficae [lamiae] striges, et incendiarii, rogo cremantur; calumniatores maligni [malitiosi] elinguantur: prostibulis impudicis cauterio stigmata inuruntur. 670 colapho seu alapa caedi, ob quidvis contingit: talitrum jocosum est, 671 supplicii mitigatio fir relegatione, vel proscriptione. 672 exul in loco determinato exulat, extorris vagatur.

Lxv. De statu regio.

673 potestates esse, omnium interest, ne potentior imbecilliorem opprimat: sed cum unus rerum potitur, monarchia dicitur (quanquam caesares collegas sibi legere soliti sunt.) 674 is, si ex legum praescripto regnat, rex est: si ex libidine (ut quod libet, liceat) etiam sub corona (diademate) sceptroque tyrannus. 675 sedes ejus in merropoli est: ubi in solio sedet ebutneo, bysso (sindone) trabea acu picta, magnifice vestitus, aulicorum vero caterva stipatus. 676 qui vel sunt consiliarii, vel praefecti: ut aulae magister, ensifer, dapifer, pocillator, magister stabuli, cancellarius, (suos amanuenses habens) secretarius, cubicularii, atrienses, celeres (a pedibus.) 677 aliorsum legat vicarios, satrapas, quaestores, publicanos, et legatos, qui diplomate regio instructi res gerunt. 678 in defunctorum

---

Page 285/286, image: s172

Locum substituuntur (sufficiuntur, surrogantur) alii, qui successores dicuntur. 679 regiae; aulaeis et tapetibus picturilque. Refulgent, et personant musica 680 gerrones, (nugigeruli) moriones, parasiti (gnathones) et sycophantae, aularum appendices sunt: eunuchorum usus desuevit [obsolevit.] 681 majestas invidiae obnoxia est: sed clementia praesidii vice erit. 682

non tam principem satellites tutantur, nec tam locupletat fisci reditus, aut repositus thesaurus (gaza) atque subditorum amor. 683 angariis igitur, censibus, et ex actionibus ne exhauriantur: congiariis potius et donativis (donariis) demulceantur (deliniantur) 684 imperandum sic populo, ut illi parere lubeat: obsequia coacta, periculosa sunt.

Lxvi. De regno et regione.

685 regnum est, ubi sunt liberi status; statutorum vinculo inter se colligati. 686 in arduis hegotiis concientur comitia, sed e proceribus (optimatibus) comitibus, baronibus, et equestri ordine: rustici non intersunt, ruri occupantnr, et suis pagi magistris obsecundant. 687 in territorio. Suo quilibet magistratus sancire potest, quod vult: sed velle non debet, nisi quod publicê expediat. 688 dicio (dominium) est, ubi quis dominatut: districtus, ubi jurisdictionem habet: provincia, quam devicit. 689 gentes finitimae de confiniis et limitibus contendunt plerumque: sed si limitent, et paciscantur, foedus est: quod perjuri temerant, violantque.

Lxvii. De pace et bello.

690 pacatus status optatissimus est: sed aliquando, nisi vi armorum, retineri nequit. 691 siquidem turbatores clandestinas factiones et conspirationes disseminant, et cum conjurarunt, tumultus et seditiones concitant; quae nisi sedantur, bella intestina erunt. 692 hostis externus externe irrumpit: ad versus quem bello defensivo opus. 693 quod per fecialem denunciatur, autper caduceatorem pax petitur, si quis se imparatum, aut hostili potentiae imparem, arbitratur. 694 imbellis nequicquam bellare (belligerare) praesumet. 695 apparatus enim bellicus multa deposcit, militem (qui scribendus, armandus, lustrandus) commeatum, confoederatorum auxilia, dapsilesque sumtus. 696 mature ergo stips cogenda, sicut et victualia: et praestandi, qui erogent. 697 tum cong regandus et ordinandus exercitus, per legiones, cohortes, vexillationes, turmas: praeficiendique deturiones, centuriones, magistri equitum, tribuni; omnibus denique imperator. 698 tirones intermiscentur veteranis: volones et dimachae peditatui vel equitatui se agglomerant: lixae, calones, et caculae, ob seruitia adsciscuntur. 699 armaturae satis erit, si tectus sis lorica, galea (casside) scuto seu clypeo (ancili, parma, pelta vel cetra) instructus vero quibus dimices. 700 classis navalis etiam uncos [harpagones] hamasque poscit. 701 gladius accingitur, vel balteo appenditur, ut e vagina stringatur promitius, evaginatusque recondatur capulotenus. 702 sagittarii e pharetra sagittas promere, arcum nervo tendere, ingruentesque protelare, consuescant. 703 sclopetarii sclopeta nitrato puluere onerent, post displodant: sed ad scopum prorsus collimantes. 704 expeditione suscepta, castra metari, tentoria paxillis figere, munitionibus sese vallare, et excubiis circummunire, opus est. 705 emittendi subinde (sive armati, sive inermes) speculatores et exploratores, quorum in militia insignis usus est: ut et tesserae [symboli] qua sui se recognoscunt. 706 excursiones pabulationis causa fiunt, non sine populatione. 707 induciae si panguntur, dantur obsides. 708 ad praelium eductae copiae, vel in cuneum coguntur, vel in phalangem alis munitam. 709 vexilla in medio ferunt signiferi: quos antesignani cum spathis [romphaaeis] praecedunt. 710 tympanistae et tibicines classicum canentes, tubarum et lituorum ingeminato clangore, atque tympanorum strepitu, ad alacritatem incendunt. 711 velites usitate pugnae faciunt initium velitando, moxque concurritur agmine toto, et pugnatur: 712 eminus quidem lapides fundis et catapultis, tela balistis, glandes bombardis et tormentis, jacula [spicula missilia] amentis, ejaculando: 713 cominus autem, sarissis et lanceis mucronatis [cuspulatis] hastisque et bipennibus, magno nisu vibratis transuerberando; caestibus, clavis, aclidibus et calis, proturbando; frameis et pugionibus pungendo et confodiendo; ensibus, acinacibus, et sicis, caedendo. 714 fit strages cruenta, cadunt promiscue hinc et hinc, ejulatu et boatu horrendo (tremendo) 715 conflictu durante succenturiati (nisi receptui canatur) ex insidiis supervenientes, a tergo adoriuntur, [invadunt] aciem disturbant, fugant, insectantur,

trucidant. 716 illi terrore perculsi, partim se dedunt, aut capiuntur, partim fugiunt, et dispersi palantur. 717

Page 287/288, image: s173

Civitas rebellis et arx, castrumve, quo se clade affecti et profligati receperunt, obsidetur, undique circumvallatur, machinis bellicis oppugnatur. (718 obsessi, si erumpant, repelluntur, et impetu majore debellantur.) 719 expugnata ante ultroneam deditionem (urbs) diripitur: aliquando et aboletur, ad internecionem exciditur, desolatur, et evertitur. 720 munimenta, si quae antea fuerunt occupata, recuperantur. 721 victores spoliis et manubiis onusti, trophaeis erectis, ovantes et paeana canentes, cum triumpho redeunt. 722 ubi strenui, ob heroica facinora, insignibus condecorati nobilitantur: proditores, turbarumque autores, transsugae item, et desertores plectuntur, saucii sanantur, captivi redimuntur, aut permutatione liberantur. 723 ad extremum stipendiis (quantum quisque meruit,) exsolutis, miles exautoratur, atque exarmatur, emeriti rude donantur, qui pro patria occubuêre, adorea afficiuntur.

Lxviii. De schola et institutione.

724 quoniam literati ad omnia habiles esse, idiotae vice versa parum societati humanae conferre deprehenduntur, scholis, ubi rudes erudiantur, opus est. 725 at hae non sunt, ut fatui opinatur, carnificinae, sed ludus, dummodo discipulus docilis callidum cordatumque nanciscatur praeceptorem. 726 ille enim si discit sponte percontatur [quaerit] avide, et auscultat attente; hic si docet lubenter, informat provide, et inculcat assidue, uterque habet eximium delectamentum, 727 (quod et rectores, et ludimagistrorum adjutores paedagogi, attendant, ob salaria.) 728 adjungenda tamen est institutioni disciplina (id est, censura et serula) ne vel dissolutio, vel desidia surrepat. 729 qui monita non moratur, vapulet. 730 cathedra docentis est, subsellia discentium. 731 calamo (cujus crena scalpello temperatur) scribimus in charta, vel membrana: stylo [graphio] in pugillaribus [codicillis,] ut expungi possit. 732 quod formator dictat, tu calamo excipe: ille vero mendas commonstrans emendabit, si quid vitiose positum; ut quod dedocet, dediscas. 733 memoriae quod mandare vis, relege trequenter: non cursim, obiter et persunctorie, sed rebus intentus, inhaerebit, 734 repetitio tacita est, recitatio clara: examen quotidianum vel extraordinarium. 735 si feliciter proficere vis: quicquid modo comprehendisti, statim alteri enarra. 736 decet enim te praemonstrantem studiose imitari, condiscipulos certatim aemulari. 737 e trivialibus scholis (gradatim) promovemur ad gymnasia, inde in academias; quae bacculaureos, magistros, licentiatos, et doctores creant.

Lxix. De museo.

738 idoneus musis locus solitarius est, a turba remotus, ubi studiosus bibliothecam, pulpitum, atramentarium (cum calamario, cultelloque scriptorio) habebit. 739 libellos munde tractet, quos non plurimos habebit, sed selectos. (740 quorsum enim numerosa et in tot tomos divisa volumina, quorum indices vel catalogum vix perlegit possessor?) 741 lituris ne maculet: asteriscis ad marginem notatis, reminiscentiam nemo sublevare vetat: quin consultum est. 742 si quid incidit, evanescere non patieris, annotabis protinus: non in rejectaneas schedas, sed in palimpsestum, indeque in diarium vel adversaria, quae penes te, aut in promtu habe. 743 lucubranti ad lychnum, cereus prae sebacea candela conducit, cui accendendo igniarium cum fomite adsit. 744 taedae fumant et fumigant. 745 candelabrum sit pensile, umbraculum viride,

emunctorium praesto, quo emunge, ne ellychnium obumbret; sed illud, ne quid sordidetur, sepone. 746 proditurus lucernam absque laterna ne feras: facibus [faculis] non fidendum.

Lxx. De grammatica.

747 grammaticus literas orthographice, (majusculis sola periodorum capita, et emphatica) pingit, syllabas copulat, dictiones [vocabula] declinat et conjugat, phrases syntactice construit, sermonemque legitime pronunciat. 748 ancillantur huic librari, et typographus, qui e loculamentis typos depromens coagmentat, prelo subjicit, libros excudit, et bibliopego [compactori] compingendos tradit, quos bibliopola venundat.

Lxxi. De dialectica.

749 dialecticus [logicus] ratiocinans, quid de quo dici possit, et quare, pervestigat, ambigua distinguit, obscura declarat, similia dissimilibus confert, effati cujusuis certitudinem examinat. 750 de quocunque themate disserens, de quaestionibus dubiis pro et contra disputat,

---

Page 289/290, image: s174

Argumenta syllogismis argute innectit, methodo apposita omnia digerit.

Lxxii. De rhetorica, et poesi.

751 rhetor formulas dicendi conquirit ad eloquentiam, stylum exercet, verba tropis (a nativo significatu ad alium sensum transserendo) sententiasque figuris [schematis] (verba geminando et ad euphoniam artificiose transponerido) actionem denique gestibus, colorat. 752 facundus orator exordio praemisso sese in sinuat (aliquando abrupte auspicatur,) post causam proponit dilucide, tum confirmat rationibus valide; illustrat exemplis prolixe (tametsi non dilatat vel amplificat, nec digreditur abs re) objectiones refutat et refellit exacte, epilogo perorat: qua praemeditate, qua ex tempore. 753 proverbia et adagia, ut et comparationes, orationem luculenter exornant, quae si strictim rem enunciat, nervosa dicitur, 754 sed poeta disertus e prosa [soluta] ligatam faciens, versus et rhythmos concinnat eleganter, carmina [metrum] modulatur, epithalamia, anagrammata etc. Fingit.

Lxxii. De arithme tica.

755 mathematicae disciplinae; pariter sunt utiles et subtiles. 756 arithmetica numeros computat, qui compendiose addantur, subtrahantur, multiplicentur, dividantur per se invicem: sive id siat cifris, sive calculis [abaculis] super abacem: sed ruricolae per decusses, duodenas, quindenas, et sexagenas supputant.

Lxxiv. De geometria.

757 geometra, quasi [acsi] ludibundus, figuras contemplatur, et mensurat distantias, prope an procul absit [dister] aliquid. 758 ad regulam lineas (puta rectas vel obliquas, non curvas aut spirales) ad normam angulos, circino vero circulum (cujus medietas centrum, circuitus (ambitus) circumferentia appellatur) ducit. 759 conus turbinatus est, cylindrus teres, graecum *dtriquetrum, cubus quadratus, globus rotundus, externe convexus, interne concavus. 760 circularis (figura) divinissima est, omnia complectens, nihil habet offensionis,

nullam incisuram, nullum anfractum, nihil eminens, nihil lacunosum. 761 omnis dimensio fit per triangulum.

Lxxv. De mensuris, et ponderibus.

762 mensurae continuorum sunt: granum, digitus, palmus, spithama, ulna, passus, orgyia, decempeda, stadium, milliare: his metimur omnia. 763 liquidorum: culeus, urna, amphora, congius, sextarius, hemina, triental, cyathus. 764 aridorum: medimnus, trimodium, modius, semodius, quartale. 765 pondera sunt: centenarius, libra [pondo, as] selibra [semissis] quadrans, uncia, semuncia, drachma, scrupulura. 766 si quid in bilance penditur (libratur), examen, quod scapo exit, et per trutinam (aginam) sese agitat, pensita: an aequilibrium sit? 767 statera est lanificum portalis libra, sine lancibus, altera parte non nisi uncinum habens, altera pondus: quod centro admotum plus, amotum minus, ponderat. 768 si quid praeter superpondium adjicitur, mantissa est.

Lxxvi. De optica, et pictura.

769 opticus radios visivos et visibilia objecta scrutatur, cur alia sint pellucida, alia opaca, alia perspicua, alia obscura, discernens: et juxta id perspicilia efformans. 770 hinc pictor ad exemplar vivi effigiem delineat, penicilloque discretis pigmentis linit. 771 statuarius statuam caelat et sculpit, pingit et super basin collocat: si immanis est, colossum dices. 772 solaria, (scioterica) gnomone (horas) indicant.

Lxxvii. De musica.

771 musicus melodias canit, et post praeludia, instrumenta pulsat. 774 symphonia est plurium concentus, quorum consonantia (harmonia) grata est, dissonantia absurda, (absona). 775 organum tibiis et fistulis constat, cithara, testudo, lyra, sambuca, pandura, chordis. 776 fides plectro plectuntur. 777 tibia utricularis discrepanter sonat.

Lxxviii. De astronomia.

778 astronomus siderum meatus considerat: astrologus eorundem efficaciam et influxum. 779 e fastis liquet, a natalitiis pascha recedere, ut minimum trimestre, pentecosten a paschata prope bimestre; inde adventum circiter semestre. 780 illic sunt: januarius, februarius,

---

Page 291/292, image: s175

Martius: isthic aprilis et majus; hic junius, julius, augustus, september, october, november: december postremus est 781 quilibet eorum in calendario romano suas calendas, nonas, et idus babuit. 782 intra triennium accessio fit (mensis) intercalaris, embolimi, id est, decimae tertiae lunationis: lustrum [quidriennium] bissextilem [annum] reducit.

Lxxix. De geographia.

783 geographus regionum (etiam quas ipse non peragravit) situm describit, quae sint in continente, insulis, peninsulis? Quae maritimae, quae in meditullio, et quonam tractu? Sub qua zona et climate vel parallelo? Quos habeant hi aut illi accolas, et quibus terminis ab illis dispescantur et disterminentur? Et qui illis antipodes: etc.

Lxxx. De historia.

784 quum res gesta narratur, historia est, cum ficta, fabula. 785 illas historicus recenseat: has annalium monumentis inferre, capitale sibi ducat. 786 et ut pateat, genuina, non supposititia esse, rem simul cum circumstantiis in commentaria regerat.

Lxxxi. De medicina.

787 sanis optima medicina, diaeta est: quia securissima, et sine violentia. 788 ne bibas vel edas, nisi siti et fame stimulatus, (quod saliva ad conspectum cibi palatum titillaus innuet) valebis et vigebis. 789 quocirca appetitui praestolare jejunus. 790 sed et invaletudo, si te incessit, abstinentia et quiete curatur: quod non advertunt, qui non nisi saturi jejunant, et non nisi operatione fracti quiescunt. 791 frictiones, fomentationes, venae sectiones, cucurbitae, emplastra et omnia forinsecus superimposita, non demunt tormentum, sed mitigant et leniunt. 792 remedia purgantia, evacuantia, sudorisera, corroborantia, efficacius medentur, sive sint potiones sive pilulae etc. 793 antidotis venena, amuletis fascina pelluntur: haec etiam verbulo praefiscini. 794 salsum in medicos scomma est, solis licere (licitum esse) impune occidere: utinam non venum! 795 de universali medicamento litigant, an detur. 796 gregales eorum sunt chirurgi, et pharmacopolae; hi pharmaca, unguenta, syrupos, pastillos, trochiscos, et morsulos praeparantes, in loculis et forulis, pixidibusque seorsim quaeque reservant.

Lxxxii. De ethica in genere.

797 virtus in mediocritate consistit: vitium est, cum in excessu, tum in defectu: excedere enim vel deficere, transgredi utique est. 798 si quis peccat incogitantia, delictum est; si voluntarie, facinus; si studio, nequitia; si malitiose, scelus; si enormiter, flagitium; si ut aegre faciat alicui, perversitas. 799 et talia qui patrat [designat] perditus est. 800 qui perperam agere susque deque habet, pravus est: qui se a malo prohibet, probus: omnimode impollutus, detestatur et abhorret omne impurum, imo exsecratur. 801 consuetudo vitiosa sensim irrepit, cui sero obsistitur, postquam invaluit: quandoquidem radicata raro exstirpatur.

Lxxxiii. De prudentia.

802 ex dignitate unumquodque aestimare, prudentiae statumen est, ne res nullius pensi et titivillitii magnipendantur. 803 antequam inceptes quidpiam, operae pretium est pensiculare, utrum e re sit, nec ne? Ne frustra (in cassum) labores. 804 prospice ergo finem, provide media, et ne quid obstet aut officiat, attende occasioni. 805 nam insipientis, stolidi et dementis est, sine intentione ferri: insani, stulti, et vecordis illicita appetere: vesani et suriosi, impossibilia suscipere, imperiti et inconsiderati, negligere opportunitatem. 806 ubi inter plura optio datur, deliberandum diu, quod statuendum semel: supervacaneis vero supersedendum. 807 et quidquid instituis, consulta exquisite, itane, an ita satius sit? Post exsequere celeriter, sed caute. 808 circumspectus, etsi de eventu confidat, eumque praevideat, circumspectat tamen, ne sese praecipitet. 809 quia usu venit, ut tardus velocem antevertat: pedetentim igitur. 810 quod abscondi debet, non palam venditat, abstrudit, non obtrudit. 811 quod ei non certo constat, affirmare [asserere] aut negare cavet, nedum ut asseveret, aut inficietur. 812 nam ut credulitas, ira diffidentia noxia est: verum longe magis pertinacia. 813 praesagiens quidpiam adversi, praevenire

---

Page 293/294, image: s176

Censet melius, quam praeveniri. (814 praepostera enim sapientia est, polt factum sapere). 815 et dum quisque suarum rerum satagit, ille sibi nequaquam deest. 816 vaser versute nimis versat omnia, suspicax est dolosus. 817 veterator astu imponit incautis, ut reprobanda praeoptent, et vice versa.

Lxxxiv. De temperantia.

818 depravatio nostra permulta concupiscit: sed temperans cupiditates moderatur. 819 sobrietas est continentia a superflua alimonia 820 gulosus catillo ligurit et pitissando sorbet; helluo vorando et potando sese ingurgitat; lurco comessando sua decoquit: omnes mera abdominis mancipia. 821 compotatores meracius hauriunt, cum quiseque vel dat symbolum, vel soluit. 822 veteres temperabant merum (aqua) et victitabant simplicissime: nunc quot gulae illecebrae, tot pernicies. 823 ebrius enim noxam [poenam] habet crapulam, ebriosus tremorem et podagram: et abstemii mente valent, temulenti amentia. 824 inebriati brute bacchantur, titubant, screant, spuunt (sputant) vomunt pedunt (cum reverentia) et cacant.

Lxxxv. De castitate.

825 castus est, qui se nefanda libidine non contaminat: lascivire enim belluinum est. 826 at non adulteria solum, incestus, stupra, scortationes, et concubitus illegitimi, sed et omnis venerea salacitas, basiationes, imo cogitationes spurcae ac obscenae, impudicitia sunt. 827 adulter extrarium polluit torum, scortator suum: quandoque moechus pellicem vel concubinam alit, ganeo per lupanaria grassatur, meretrices pudicitiam suam prostituunt; lenones [balliones] alios inquinant. 828 vah propudia! Foedi et exsecrabiles omnes. 829 insanit, qui deperit faeminam.

Lxxxvi. De modestia.

830 modestus verecunde agit, procacitatem defugit. 831 non frivolus est, utut quadantenus blandus et comis: non loquax, sed taciturnus. 832 nec tamen morosus, aut torvus, sed gravis, severus, non saevus. 833 nihil immoderate laudat, vel vituperat, neminem traducit, aut diffamat: ad opprobrium neutiquam silet. 834 ad haec non pejerat, nec dejerat, nec jurat. 835 nemini adversatur, aut facessit molestiam, aut scandalo est: neminem sciens volens contristat. 836 quod fama et crebrescens rumor fert [refert] non vulgat, percontatur prius scrupulose. 837 curiosus ardelio ingerit se et immiscet, ubi ejus nihil interest, etiam quae celantur, eliciens. 838 locutulejus verbosus est; nugator facta infecta blaterat; futilis arcana effutit; sophista captiosus est; momus omnia carpit et suggillat. 839 consideratus non quidem elinguis est, sed tamen non insulsus blatero: in multiloquio enim vanitas. 840 non sibi arrogat, quod non habet, nec aliis sua derogat: non ambit [adspnrat ad] fasces aut honores, nec sua profuse jactat, aut ostentat, aut in iis gloriatur, aut se insolenter extollit, sed potius humiliat et demisse gerit. 841 praeconia vulgi non affectat, nec sibi anteferri alios moleste fert. 842 festivi joci, leporesque et allusiones facetae, urbanos decent: rusticitas opicam barbariem redolet. 843 scurrilitas summopere discavenda. 844 cavillatio virulenta sannionibus relinquenda. 845 renidere, et ridere, morati est, cachinnari incivile.

Lxxxvii. De autarkeia.

846 avarus per fas et nefas ditescere allaborat, cum tamen superna benedictio ditet, 847 et cui usui in immensum coacervatae [cumulatae] divitiae? Male parta, male dilabuntur. 848 adeo desipiunt divites quidam: ut bonis (stabilibus et mobilibus) affluentes, et cistas pecunia, scrinia cimeliis et cameras supellectile consertas possidentes, egestatem timeant, videlicet in copia

inopiam, in abundantia (imo redundantia) penuriam. 849 tu si tibi opes affatim suppetunt, egenis vicissim suppedita: sin, etiam de modico imperti, si non largiter, saltem liberaliter. 850 satius est, liberalem esse, quam parcum. 851 frugalis paucis contenrus est; non tenax quidem, sed parsimoniae navans operam. 852 quae quantum sit vectigal si luxuriosus pervideret, luxu patrimonium non prodigeret. 853 pauperat enim dispendium, compendium opulentat. 854 tu ergo quidquid accipis et expendis, in codicem accepti et expensi refer.

Lxxxviii. De justitia: primo commutativa.

855 justitia suum cuique tribuit. 856 ergo qui cum alio transegit, et quidquid

---

Page 295/296, image: s177

Promisit (pollicitus est,) condi xit (sive ultro et suapte, sive exoratus, et quibuscunque conditionibus et exceptionibus) standum est pactis et promissis praecise. 857 qui stipulanti adstipulatus est, obligavit se. 858 depositum reddendum est, non adnegandum, non supprimendum. 859 nil quod alterius est, tibi sine ejus scitu vendica, aut usurpa [assere.] 860 quod utendum accepisti, idem restitue, non aliud: et quidem, quoad ejus fieri potest, absque detrimento. 861 quod mutuo datum est, aliud licet remittas, paris tamen aestimii. 862 si quis a te mutuatur, mutua, et ei commoda: chirographum tamen vel arrhabonem, seu pignus, vel praedem, aliamve cautionem postula. 863 qyia ob mortalitatem, quin et fidei lubricitatem, cautela opus est 864 porro, qui supra sortem usuras exigit, non creditor est, sed faenerator: pessimus autem et nequissimus, qui anatocismis debitorem devorat; quod nefarium. 865 iniquus vero sibi ipsi est, qui alieno aere se obruit, ut versuram vel auctionem facere cogatur. 866 proinde debita [nomina] quanto ocyus dissolue, et apocham [acceptilationem] qua acceptum tibi referat, fla gita. 867 furta, rapinae, sacrilegia, peculatus, plagium, abactus, perinde in illo mandato, non furaberis, interdicta sunt. 868 privari enim et orbari suis nemo debet: qui istud committit, repetundarum tenetur.

Lxxxix. De justitia distributiva.

869 praemiis et poenis in officio continemur. 870 ergo qui laudabiliter agit, collaudationem [applausum] commendationem, promotionem, honoraria, meretur: qui secus, expostulationem, reprehensionem, vituperium, probra et castigationem: sed prout persona est. 871 qui nolens et inscius maleficium admisit, commiseratione dignus est; simplicitati tantisper imputa, rigide ne age; qui data opera, jure meritoque puniatur, luat: qui alieno instinctu et impulsu, non omnino excusatur. 872 afflictionem afflictis ne auge, sed suppetias ferendo minue, cum implorant. 873 adjumento qui eget, eum instanter obnixeque petere; rogare, obtestari, obsecrare, supplicare numne. [nunuquid] pigebit. 874. Superbus mendicus nil emendicat: importunus vero flagitator, odiosus est, repulsam feret. 875 cum impetraveris, quae rogasti, gratias age: si justa de causa negatur, ne obtunde, ne murmura. 876 quod quis non rogatus largitur, modeste recusa, sed pertinaciter ne respue, re contemnere (aspernari) videaris, tibique ingratitudo exprobretur. 877 gratitudinis gradus sunt: beneficium agnoscere, depraedicare, pensare. 878 munes esse, et munera remunerari (retribuere) opulentorum est. 879 acceptis diversoribus xenia, necessariis strenae mittuntur. 880 conspicuos et donis singularibus antecellentes honora et suspice, neminem despice. 881 prosis omnibus, obsis nemini, fausta precare universis.

Xc. De fortitudine.

882 magnanimus est, qui secunda et adversa indifferenter ferre potest. 883 nihil enim vulgare admiratur, ad repentina non consternatur, labores non detrectat, et quibus se addixit, eos alacriter subit, strenueque urget: pericula inevitabilia, si imminent [impendent, instant] intrepidus adit, et animose suffert: audaciam modo et temeritatem refugiens. 884 propterea quod coepit, continuat: fessus tamen et lassus, ne succumbat penitus, remittit. 885 pusillanimis ex adverso, prosperis intumescit, calamitosis subsidit et animum despondet, inopinis percellitur, ad quemvis strepitum effaeminate trepidus et quenulus est: mutire vel hiscere vix audet. 886 inter fortem ergo et ignavum [segnem, pigrum] quid interest? Ille munia vocationis solicite agit, hic negligenter; ille sedulo, hic socorditer; ille enixe, hic remisse, ille accurate, hic defunctorie; ille quiete, hic proterve; ille nihil cunctando, hic omnia procrastinando: ille incessenter [sine intermissione] in proposito decoro pergit, hic desultorie tergiversatur et restitat: verbo, ille viget ubique, hic languet et torpet ubique. 887 desidibus et otiosis semper feriae sunt, etiam profestis (diebus) otiantur et vagantur. 888 navus [gnavus] etiam in otio negotiosus est.

Xci. De patientia.

889 ærumnosam conditionem quid prodest deplorare, si non datur in melius commutare? 890 patiens gemit, lachrymatur, flet, non autem plorat, ejulat, lamentatur. 891 injurias non ulciscendo rependit, aut retaliat, sed aequanimiter tolerat; extenuans potius, quam exaggerans. 892 indignatur quidem indigne factis, et malevolo succenset, ac stomachatur, sed non effervescit in vindictam, nec vehementer invehitur in quenquam: infensus est alicui, non infestus. 893 iracundiam

---

Page 297/298, image: s178

Cohibere, ignoscere et condonare [remittere] culpam, parcere etiam inimicis, excellentis animi est; exardescere, fremere, furere, minari, maledicere, diras imprecari, impotentis (sui non compotis.) 894 impos enim sui est, qui eousque excandescit, ut se reprimere nequeat. 895 generosus (animus) mavult mitis esse, quam atrox, mansuetus quam ferus, benignus quam truculentus (trux),placabilis quam dirus. 896 saevitia enim, immanitas et crudelitas (quam mulceri oporteat) nonne bestialis est?

Xcii. De constantia.

897 in honesto instituto immote persistere, constantiae est; non perseverare, levitatis. 898 sed heus tu, aliud est constantem, aliud pervicacem esse. 899 si quis ergo meliora suadet aut dissuadet, adhortatur vel dehortatur, ne sis contumax, ne praefracte repugna, nec obstinate contradic, sed obsequere. 900 verum si quis te in bono labefactat, obfirma animum et obstina, usque dum perrumpas obstacula: rata enim irrita reddere dedecet.

Xciii. De amicitia, et humanitate.

901 si conversationem tuam vis esse amabilem, esto inferioribus humanus et affabilis, aequalibus officiosus, superioribus venerabunde obediens; inibis gratiam. 902 undecunque abscedis, valedicere; quemcunque convenis aut praeteris, amanter salutare; salutantem vero resalutare; discedentem abs te aliquousque comitari, ne dedignator. 903 interroganti responde placide: ad minimum annuendo, vel abnuendo [renuendo]. 904 loquentem ne interpella; nescienti tamen aliquid, si tibi succurrit, suggere; eum qui te operitur, ne morator. 905 cuicunque gratificari potes ulla re, ne refragator, nec gravator, vel gratis [gratuito] 906 si

quis indiget consilio, consule; si consolatione, consolare; si subsidio, subveni et opitulare; si suffragio, suffragare; aegrotos visita; sic omnium demereberis benevolentiam et favorem. 907 laesit te quis? Connive, et suffundes eum; si poenitet fecisse, da veniam et oppido tibi devincies ac obstringes. 908 si offendisti ipse, alloqui, [affari] pacare, placare, deprecari et reconciliari ne pudeat: non dicis ergo, sed serio. 909 simultatem inveterascere non sines, ne in odima transeat. 910 contubernales et convictores unanimitas condecet. 911 dissensiones equidem et discordiae quin intercedant, haud est possibile: sed concordia redintegranda est tolerantia mutua, et dissidentes, per ultro citroque commeantes, et intercedentes, proxenetas, conciliandi. 912 felices successus habet aliquis? Ne limis specta, fave. Infortunium? Commiserare: misericordis est miserorum misereri. 913 veracitati inprimis stude: mendacio nil tetrius: qui comminiscitur, quod mentiatur, exosus est. 914 si quid innotuit secreti, ne divulga, nec resciscat a te alius, tametsi contetur: tace inquam, mussa: taciturnitas tua nemini incommodabit, te apprime commen dabit. 915 inter hilares tetricus nesis, nec tamen effuse laetus. 916 in alios dicax ne sis; et si quid sermocinando lepidi admisces, sales sint, non cavilla: allude, ne vellica; ne quem praesentium lacessas, absentium calumnieris. 917 nam jurgari, rixari et vitilitigare, agrestium est: criminari et deferre, susurronum et delarorum; vexare et exagitare balatronum et scurrarum; convitiari et contumelia afficere, nebulonum.

Xciv. De candore.

918 cum quo versaris, et necessitudo tibi est, erga illum sis apertus, sine fraude doloque: amicum enim fraudare et fallere, quale decus? 919 fideli socio sidus esto, clam illo furrim, ejus in fraudem, nihil occipe: nam perfide qui agit, sibi perditionem machinatur. 920 si quid taxandum est, non clam fiat, sed coram, in os, idque parrhesia, prout sentis: modo tempestive. 921 ab amicitia nihil alienius assentatione. 922 cernis crimen? Ne dissimula, mone, increpa [objurga]: etenim cur non cernere simules? 923 si proximus deliquit, aperte corripe et corrige: adulari versipellium impostorum est 924 si quis utilia loquitur, assentire; si inutilia, ne assentare. 925 palpum et offuciae subdolorum sunt: tu candide et sincere omnia. 926 veritatem ingenue fateri ne verecundator, uti conscius es: cur enim adjurari velis? 927 quorum tibi nondum exploratus est candor, familiarem te non exhibebis: caeteroquin contemtum incurres. 928 ignotis blandiri noli, ne te lenocinari ac insidiari existiment.

Page 299/300, image: s179

Xcu. De conversatione erudita.

929 cui ab occupationibus vacat, vadat ad congerronem: eum tamen, cui invisus es, ne invisas. 930 cujas sit dilectus sodalis, et nobilis an ignobilis, ignominiae tibi ne ducas; dummodo sit frugi et ad ingenium tuum congruat: infamibus ne te conjungas. 931 sodalitia dissoluta et nauci, devita: viriant enim mores. 932 docti deambulationibus delectantur, sive meditandum est, live confabulandum. 933 cum in aprico spatiari taesum est, considetur in umbra. 934 nae pulchrum et scitum est, cum dissitis colloqui, et quidvis significare posse; non per nuntios, sed perliteras. 935 antiqui intabellis ceratis (ut deteri, aut deleri posset) exarabant, et cum iis tabellarios mittebaut: nobis papyrus et atramentum commodius inserviunt. 936 epistola complicata, ne legi queat, nisi ab eo, cui destinatur, obsignatur sigillo; resignanda (nisi

intercipiatur) illi, ad quem inscriptio spectat. 937 cognomen intus subscribitur. 938 schedula non sigillatur.

Xcui. De ludicris.

939 ne labascant fragiles vires, aut elanguescant, a seriis quandoque cessa, et cum coaetaneis (dispares enim non bene fociantur) defatigatum te relaxa oblectamentis. 940 spectacula enim delectant, commotio vegetat, 941 facetiis, dicteriis, ac aenigmatibus certare, ingeniosum est; pila, sphaera et conis, trocho, sclopo, globulis, myinda, par impar etc. Puerile: chartis lusoriis, talis (tesseris) alea (fritillo) aleatorium: latrunculis, operosum. 942 vbi si quis ad incitas compellitur, actum est de eo. 943 choreis et tripudiis lascivi se exerceant. 944 grallator grallis gressus spatiosos divaricat. 945 funambuli papae! Quam confidentes sunt! 946 cursores a carceribus ad metam curriculo sestinant, et primus brabeum aufert. 947 alii signant lineam, quam simul ac attigerunt, consistunt illico: qui ultra procurrerit, aut citra eam substiterit, ludum perdit. 948 in circo equitando, in agone luctando et reluctando, uter alterum conficeret, concertabant. 949 gladiatores et pugiles [athletae] in palaestra congrediuntur, directore lanista. 950 cum duo digladiantur, duellum est; ubi alter intentat ictum et infert, alter inhibet et propulsat; vincit autem, qui infligit. 951 gesticulator (agyrta) actionis volubilitate aciem perstringit; sed praestigiae sunt, non miracula. 952 mimus (histrio) personam alterius effingit (exprimit). 953 comoedia perplexum actum repraesentat, sed cum jucunda catastrophe: tragoedia tristem habet exitum. 954 theatrum in propatulo est, scena sipariis velatur. 955 bacchanalia larvari peragunt.

Xcuii. De morte, et sepultura.

956 moribundorum speciale symproma est, stertor lethalis. 957 o mortales! Quotusquisque vestrum reputat, ab hoc puncto aeternitatem pendere? 988 nam ut exspiraveris, confestim anima ad coelos, vel tartara migrabit. 959 funus funestis ritibus adornatum (id est, pollinctum, lugubriter indutum, capulo conditum sandapilae [loculo] impositum) a vespillonibus effertur. 960 fiunt exsequiae (inferiae) coemeterium versus, pompa funebri. 961 nos exanima (corpora) sepelimus et humamus (humo mandamus) prisci ustulabant, inde sepulchra sunt busta dicta. 962 eriguntur cippi et epitaphia: epicedia cantantur. 963 in gentilismo conductae praeficae plangebant, lessibus et neniis elogia enumerantes. 964 et ne manes oberrarent, justa parentalia feralibus epulis faciebant.

Xcuiii. De providentia dei.

965 ita mors finit omnia. 966 omnia enim temporalia caduca, fluxa et transitoria sunt, exoriuntur et intereunt. 967 etiamsi aliquid stabile videatur; vetustate ipsa atteritur et decedit. 968 vicissitudinibus subitaneis subjacent omnia. 969 atheus tamen est, qui temere volutari autumat res nostras: fatali necessitate succedunt omnia. 970 fors et fortuna nihil sunt. 971 fortuitos quidem et improvisos casus esse concedo, sed nostri respectu, non providentiae: quae minutissima etiam nutu suo dirigit. 972 nam et capillos nostros numeratos esse, testatur saluator, ut ne quidem unicus perire queat. 973 ea propter insolitas mutationes, ostenta et prodigia antecedunt. 974 insunt ergo omina rebus. 975 sed usquequaque praesagia captare, superstitio est: si tibi dominus aliquid manifestare (revelare) dignabitur, non te latebit. 976 tu pius esto, et ora: non te derelinquet ille, qui aeque praedestinavit, quid cras, perendie, et deinceps, de te futurum sit, ac quod heri, pridie, et abhinc tot annis factum est. 977 fatum tuum ne anticipa, sed expecta.

Page 301/302, image: s180

Xcix. De angelis.

978 produxit et invisibiles angelos, eosque innumeros, ad regenda inferiora sibi administros. 979 non quod opis esset indigus, sed quia sic est placitum. 980 constituerat hos in coelo supremo (empyreo); sed quidam desciverunt (defecerunt) ab eo, per superbiam, deturbatique sunt coelitus ad infernum (orcum, crebum, avemum). 981 qui in sua integrirate permanserunt, roborati sunt, ne prolabi amplius possint. 982 circa thronum creatoris sui millia millium (decem myriades) adstantes, eum colunt, (venerantur) adorant, celebrant. 983 amandati obeunt mandata, legationeque functi revertuntur. 984 associant se, jussu dei, piis, jam inde a nativitate, tanquam custodes, ut mala averruncent, et ab insultibus satanae protegant (985 verumenimvero, quod de bono et malo genio inquiunt, incertum est). 986 apparent nonnunquam, sed disparent rursum: non sascinando, sed revera. 987 cacodaemones apparentes spectra vocantur, tumultuantes per noctem intempestam lemures: famulantes, lares et penates. 988 magi cum daemonibns colludentes, incantamentis suis seipsos et alios dementant. 989 sed vae diabolo, et (nisi communioni renuncient) consortibus ejus! Ad gehennam detrudentur. 990 vindex enim erit gloriae sue omnipotens.

C. Clausula.

991 cedo sodes (sis) quid restat? Eatenus enim tradita (absit arrogantia dicto) utcunquesum consequutus. 992 siccine? (ain?) Hem macte sedulitate ista! Restabit igitur, ut per hanc januam ingresses, tum scientiarum, tum latinitatis palatia, vivide lustrare properes, et quae hic raptim et carptim aspexisti, uberius in auctoribus bonis speculeris. 993 habes hic summatim et succincte brevem complexionem, ceu rudimenta, qui philosophiae, qua theologiae: nihil tantopere omissum reor. 994 auctarii loco admoneo, ut ad pietatem convertas plane omnia. 995 scito enim, fore propediem, ut reddamus rationem omnium: nempe quum venerit, ut suscitet nos et judicet: ubi manifesta et occulta patefient. 996 o beatos, qui tunc propitium habebunt, ambrosia et nectare pascentur in sempiternum. 997 faxit miserator noster, ut hic misericordia ejus justificati, in caritate coalescamus. 998 tu ei confitere, ac vota vove, devoteque et fervide precando penetralia coeli penetra, ut jam nunc coelitibus annumereris. 999 ave et vale. 1000 jehovæ zebaoth individuae trinitati, sit laus in secula seculorum amen.

Vale milector, et editione hac, donec correctior, et auctior prodeat, utere, fruere feliciter.

Januae linguarum reseratae vestibulum, quo primus ad latinam linguam aditus tirunculis paratur.

Lectoribus s.

Ut domus omnis januam, sic janua quazvis vestibulum suum habet: ubi ingresso licitum est subsistere, domus exteriora contemplari, per ostia atrium inspectare, et dum a domesticis exceptus introducatur, praestolari. Non abs re igitur sit, quod nobis exstructae nuper linguarum ianuae, vestibulum nunc praestruere in mentem venit; cujus rei te, lector prudens, constituimus judicem.

2. Contestatus eram in januae illius meae praefatione, eam latinitatis tironibus parari; atque sic etiam publice excepta est. Verumenimvero

---

Page 303, image: s181

Metuendum existimo, ne in tantam rerum et verborum syluam tirones ex improviso immitti, nimium sit. Tutius fuerit in vestibulo detineri, generaliaque totius structurae (id est summos rerum et verborum cardines) prius monstrari, quam ad particularia lustranda intromittantur. Hoc consilo praesens opusculum conscriptum est, ut primis tironibus declinationes et conjugationes (saltem analogas) exercendi prima sit materia, et ad januam ipsam accessus.

3. Haesitabam equidem, annon foret satius, colloquia aliquot puerilia pueris proponi, ad facilius eis latina familiaria reddenda: sed retinui januae formam, ut praeparatio sit vere ad januam, i. E. Res proprie exprimendi artificium. In latinitate enim discenda, non primo enitendum est, ut latine garrire pueri consuescant (quemadmodum adhuc praepostere factitatum fuit) sed ut proprio significatu intelligere discant unum quodque. At majore sic attentione opus, inquies. Esto: consuescant igitur cum attentione in libris versari. Et quid festinatione opus? Pueri sunt, lente ducendi: lente, inquam, sed prudenter. Dicam igitur, quid hic actum sit.

4. Selegi vocabula usitatiora supra mille: et redegi in sententiolas brevissimas, plerasque duarum dictionum. In primo quidem capite nomina cum adnominibus, sive (ut vocant) substantiva cum adjectivis: in secundo capite, nomina cum verbis: in tertio particulas indeclinabiles, adverbia, praepositiones et numer alia, digessi: conjunctiones, et interjectiones usitatiores, passim sparsae sunt. Reliqua, derebus, quae in schola, in domo, in urbe, sunt et siunt (quantum quidem eorum primo gustu propinari posse visum fuit) capitibus iv. V. Vi. Locata sunt. Tandemque de virtutibus praeceptiunculae: quaedam capite vii.

5. Omnia vero usurpata sunt proprie, nihil tropice. Ordo vocum hic naturalis est (ut nomen praecedat, adnomen, vel verbum sequatur:) alicubi tamen in germanicae linguae gratiam, (quo parallele vox voci respondeat) transpositio levis facta est. Ex. Gr. Discite latinam linguam: pro linguam latinam. Substantiva enim natura sua praecedunt: sed germanorum usu adjectiva. Latinis autem, et polonis, quia aeque commode sequuntur, ut praecedunt, dandum aliquid existimavi germanorum consuetudini, quae mutari aegre patitur.

6. Sed et hoc: ellipses latinas vitavi, ne pueris offendiculo sint. Ex. Gr. Im fruhling in vere posui, quamvis praepositio latina jucundius dissimuletur. Sic, ut neruat, pro ne ruat. Putavi enim omni ratione infirmitati serviendum, et cum balbutientibus eousque balbutiendum. Nec aliter decuit. Quidquid enim incipit, infome est, omni in re: cur hic aliter velimus?

7. Jam de vestibuli hujus usu monendum aliquid.

I poterunt inde primi latinitatis tirones prompte legere, et legitime pronunciare, doceri; praelecto nimirum, semel et iterum, per certa demensa, totolibello.

Ii et ut vocum significationes paulatim innotescant, praemittant semper vernaculam lectionem. Ex. Gr. Kompt her kinder: venite pueri etc. Ita enim duplo facilius latina haerebunt, si vernaculis subjungantur ubique.

Iii percurso ita bis libello, accedatur ad memoriae exercitationem. Addiscant proinde singuli horis binas, vel ternas sententiolas, et sub horae finem memoria reddant.

8. Adjungatur vero simul declinandi exercitium: cujus materiam caput primum suppeditabit, modo observetur modus facilis: nempe, ut i) primo substantivum solum sumatur.

Page 304, image: s182

2) cum adjectivo simul declinetur ac primo quidem declinationis ejusdem ab initio, primae (ut latina lingua pulchra, terra infima, nebula propinqua, area lata, etc.) Deinde secundae: (deus aeternus, mundus temporarius, coelum supremum etc.) Tum tertiae: (homo mortalis, pondus grave, etc.) Sequentur postmodum declinationes mixtae: (lingua elegans, casa humilis, vallis profunda, turris excelsa, medium facile, tempus opportunum, spiritus invisibilis, fructus maturus, res necessaria etc.) Quae a principio dissimulandae sunt.

3) declinent autem non memoriter mandando, sed usu. Cui fini terminationes, in quas declinationum casus exeunt, in tabella subjunximus; quae grammaticae vicem interim abunde supplebit.

4) ut autem, quid hic fiat, melius intelligant, non casus nominentur (nominativus, genitivus, etc.) Sed praemittantur quaestiunculae. I quid est hoc? Resp. Lingua latina. Cujus linguae vox est, venite? Resp. Linguae latinae. 3 cui rei dabis tempus? Resp. Linguae latinae. 4 quid discis? Resp. Linguam latinam. 5 voca eam. Resp. O lingua latina. 6 qua lingua cupis loqui?
Resp. Lingua latina.

5) haec, inquam, sic a principio: (casus enim nominare, usu eorum nuncita facilius percepto, e grammatica post discent.) Generalior autem formula, quae omnibus nominibus declinandis serviat, in utroque numero, et citra quaestiones, talis sit:

1. Ecce, tabula nigra!

2. Pars tabulae nigrae.

3. Addo partem tabulae nigrae.

4. Video tabulam nigram.

5. O tu tabula nigra!

6. Video aliquid in tabula nigra.

Pluraliter.

1. Ecce duae tabulae nigrae!

2. Pars duarum tabularum nigrarum.

3. Addam aliquid duabus tabulis nigris.

4. Video duas tabulas nigras.

5. O duae tabulae nigrae!

6. Video aliquid in duabus tabulis nigris.

Nb. Bonum autem erit, non solum ita voce viva declinari (tabellas declinationum inspiciendo) singula, sed et scribi.

6) mandatis ergo memoriae prima hora sententiolis aliquot, sequenti mox in libellos, ad id paratos, scribant exercitia sua; nempe eorundem, quae didicerunt, eo, quo dictum est, modo, declinationes: quod futurorum styli exercitiorum praeludium erit.

9 eodem modo (in cap. Ii. Et sequentibus) exerceantur verborum conjugationes; quarum tabella quoque adjiciatur ad vestibuli calcem, ne alio grammaticae compendio interim sit opus. Sed conjugationum duntaxat primae formae terminationes ponuntur: sufficit enim, has tirones primos didicisse, quos studio celare debemus, si quid inspectru primo difficultatem minari possit. Atque eadem intentione supina quoque et gerundia, im et infinitivos praeteriti et futuri temporis, dissimulavimus: quia a vernacula consuetudine recedunt. Illis addiscendis sat erit temporis, occasio vero longe opportunior, cum januam fuerint ingressi.

Page 305, image: s183

10 ita sensim (et quasi aliud agendo) nominum, adnominum, verborum, adverbiorum, praepositionum, et conjunctionum, discrimina, flexionumque differentiae generales, innotescent, particularibus ad grammaticam reservatis.

11 absolutum hoc modo vestibulum percurrant denuo, vel integras jam pagellas aut folia recitando, ut ad unguem teneant: et tum demum secure ad januam admitti poterunt.

12 faxit autem deus, ne a coeli janua, christo, aberremus, quicunque coelo natos dei filiolos erudiendos suscipimus. Quod potissimum agite, o scholarum moderatores, per vestram et vobis commissorum salutem obtestor. Valete, dabam 4. Januar. Anni 1633

Januae latinitatis vestibulum.

Praeloquium.

Venite pueri, discite latinam linguam, pulchram et elegantem.

2 comprehendite eam, pro vestro captu.

3 et varias res, sapientiae semina.

4 deus vos juvabit praeceptores amabunt, alii laudabunt; ipsi gaudebitis.

5 si principium difficile, medium erit facile, finis jucundus.

Cap. I. De accidentibus rerum.

6 deus est aeternus, mundus tempo rarius.

7 angelus immortalis, homo mortalis.

8 corpus visibile; spiritus invisibilis, anima itidem.

9 coelum est supremum, aer medius, terra infima.

10 nubes est remota, nebula propinqua.

11 locus est magnus aut parvus, tempus longum aut breve.

12 area lata vel angusta, domus ampla vel arcta.

13 montes suns ulti, valles profundae, colles elevati.

14 casa est. Humilis, turris excelsa, abies procera, fluvius brevis aut profundus.

15 filum est tenue (subtile) funis crassus.

16 arundo est cava, lignum solidum.

17 foramen est vacuum (inane) caminus plenus sumi.

18 linea est recta vel curva.

19 supersicies aspera, vel laevis.

20 pondus grave aut leve.

21 numerus par aut impar.

22 globus est rotundus, columna teres, mensa quadrata, x habet crucis formam.

23 pavo est formosus, simia deformis.

Colores.

24 color est multiplex: creta alba, tabula nigra, cinnabaris rubra.

25 sulfur est luteum, gramen viride, firmamentum caeruleum, psittacus versicolor.

26 vitrum est pellucidum, asser opacus.

27 aqua turbida, vel clara.

Sapores.

28 mel est dulce (sicut et saccarum) felamarum, acetum acidum.

29 sal salsum, piper acre, immaturum pomum acerbum, vel austerum.

Odor.

30 odor est suavis, foetor teter.

Aliae qualitates.

31 lutum est humidum, puluis siccus.

32 ossa dura, caro mollis, glacies lubrica.

33 pruna est. Calida, et candens: carbo frigidus et ater.

34 nos incedimus vestiti, indi et aethiopes quidam nudi.

35 unicornis est animal ferum, vacca mansuetum (cicur) leo saevum, ovis mite.

36 conviva est hilaris, locus amoenus:

37 amicitia jucunda, nuncium laetum.

38 omnia illa grata et accepta.

39 locus est commodus, vel incommodus.

40 tempus opportunum, vel importunum.

41 instrumentum aptum, vel ineptum.

42 res est necessaria, vel supervacanea.

43 opinio vera, vel falsa.

44 rei usus utilis, aut noxius.

45 res rei similis, aut dissimilis.

46 sylua est densa vel rara.

47 ager foecundus, aut sterilis.

48 motus est celer, aut tardus.

49 cursor alacer, aut piger.

Page 306/307, image: s184

50 operarius gnavus, aut ignavus.

51 securis est acuta, vel stupida (hebes:)

52 cibus crudus, vel coctus.

53 sermo jocosus, vel serius.

54 historia certa, aut dubia.

55 testimonium verum, aut fassum.

Comparativa.

56 primus est doctus: secundus doctior: tertius doctissimus.

Anomala comparatio.

57 taurus est magnus: camelus major: elephas maximus.

58 passer est parvus; parus minor: trochilus minimus.

59 cerevifia est bona: mulsum melius: vinum optimum.

60 lacerta est mala, vipera pejor. Aspis pessima.

Denominativa.

61 ducatus est aureus, talerus argenteus, cantharus stanneus, malleus ferreus, lychnuchus orichalceus.

62 scamnum est ligneum, murus lapideus.

Cap. Ii. De rerum actionibus et passionibus.

63 creatoris in honorem faciunt omnes creaturae, suum officium.

Coelestium actiones.

64. Angeli celebrant eum.

65 sol lucet, luna splendet, stellae micant.

66 mane incipit dies, vesperi nox.

Elementorum.

67 elementa alunt nos.

68 ignis ardet, flamma flagrat,

69 scintilla gliscit in cinere.

70 tonitru tonat, fulgur fulgurat, ventus flat.

71 pluvia pluit, nix ningit.

72 aqua in plano fluit, ex vase manat, e fonte salit, e puteo hauritur.

73 gutta stillat: ex vapore fit ros, et pruina.

Plantarum.

74 herba crescit, folium viret, flos floret.

75 fructus maturescit: quem ut catpas, flecte ramum:

76 sive sint poma, sive pyra, pruna, cerasa, mespila, etc.

77 nux continet nucleum.

78 cepa et allium olent graviter: rosa suaviter: canna inodora est.

79 urtica urit, carduus pungit.

Animalium.

80 lapis jacet, stirps stat, animal se movet.

81 aves volant alis et pennis: pisces natant pinnis.

82 quadrupes graditur, serpens serpit, vermis repit, cervus currit.

83 equus hinnit, bos mugit, agnus balat.

84 porcus (sus) grunnit, vrsus murmurat, lupus ululat.

85 canis latrat, aries arietat, bestia laniat.

86 aper spumat, lepus fugit, vulpes mutat pilos.

87 catus (felis) capit mures.

88 gallina parit ova: anser saginatur avena.

89 tineae rodunt libros, blattae vestes.

90 pediculi mordent cutem; ut et pulices, culices, cimices.

91 formica est laboriosa, aranea artificiosa, apes pungunt aculeo.

92 quidquid vivit, viget.

Hominis.

93 nos agimus varia, corpore et animo.

94 caput repletur cerebro, tegiturque capillis: excepto vultu.

95 (quandoque tamen caluum est.)

96 nullum membrum frustra datum est.

97 nam oculis cernimus: per nasum excernimus. (frons habet rugas.)

98 aures audiunt, nares olfaciunt.

99 lingua gustat, quomodo res sapiat.

100 dentibus mandimus; stomachus concoquit: intestina egerunt.

101 hepar conficit sanguinem, et dimittit per venas.

102 cor palpitat, pulmo respirat.

103 labia sunt circa os: barba ornat mentum: (foeminae sunt imberbes.)

104 in collo est guttur.

105 humeris ac dorso bajulamus.

106 brachiis amplectimur: manibus laboramus.

107 sinistra tenet: dextra peragit opus.

108 palma palpamus: pugno percutimus: vola prehendimus.

109 digitis et pollice constringimus, et nectimus nodos.

110 unguibus scabimus, et scalpimus.

111 sub pectore venter est: infra axillas latera, sub his costae.

112 tergum habet supeme scapulas, inferne lumbos.

113 natibus sedemus, genua flectimus, pedibus ambulamus.

Page 308/309, image: s185

Mentis

114 mens cogitat semper aliquid; etiam in somno somniat: (unde sunt somnia)

115 intellectus intelligit: ratio ratiocinatur.

116 memoria meminit: et si quid oblita, recordatur.

117 voluntas vult [cupit] declinat malum: sed saepe fallitur.

118 gaudet et tristatur.

119 securus nihil curat: tutus nihil timet.

120 vegetus laborat: fessus quiescit.

121 vigilia enim (atque cura) fatigat: sopor recreat.

122 cum septem horas dormivisti, et evigilas, vigila, surge, excita alios.

Morbidorum.

123 jejunus appetit alimentum: satur fastidit escas: delicatus deligit.

124 sanus bene valet, aegrotus aegrotat.

125 cui dolet, is queritur.

126 morbi sine dolore, sunt periculosi; et plerumque lethales.

127 febris redit per vices: apoplexia et venenum enecant cito.

128 scabies facit pruritum: ulcus scatet tabo: recens vulnus sanatur.

129 quicquid putret, sordet: ut fimus, et cadaver.

130 robustus potest multum ferre: tener parum sufferre.

131 coecus non videt, surdus non audit, mutus non loquitur.

132 tactu caret nemo, nisi paralyticus.

133 claudus claudicat: mutilo deest aliquid.

Opificum.

134 agricola arat aratro.

135 in vere seminnt, in aestate metit:

136 in autumno vindemiat, hieme triturat in horreo.

137 hortulanus plantat hortum: circummunitque sepe.

138 molitor molit frumentum in mola.

139 pistor e farina depsit massam: postea pinsit in furno panem, et placentas,

140 pastor pascit gregem in pascuo: secat foenum falce in prato: format e lacte caseos.

141 lanio mactat pecudes.

142 venator venatur feras.

143 auceps capit volucres,

144 piscator piscatur reti in piscina.

145 coquus cibos super soco parat.

146 nam elixat opsonia jure, in olla:

147 assat in verubus capones et anates:

148 frigk in butyro ova.

149 alia torret in craticula.

150 condimus fercula aromatibus: potum autem condimus in cellis.

151 ex uvis fit vinum: cerevisia promiture dolio, in lagenas.

152 auriga jungit equos: et ungit rotas: et proficilcitur subito.

153 aliquando haeret in coeno: quum vehit onera, curru, aut traha.

154 nauta navigat navi: nauclerus gubernat, remiges remigant.

155 per fluvios vadamus: aut utimur scaphis:

156 aut struimus pontes, et ponticulos.

157 viator it per semitam: et cavet ne erret, aut cadat in foveam.

158 cedit retro, ubi porro nequit pergere.

159 mercator tractat merces, metuit damnum, quaerit lucrum.

160 moneta gestatur in crumena (marsupio.) Quoniam pecunia soluimus quae debemus (debita.)

161 emimusque et vendimus; care aut vili (magno aut vili precio.)

162 nummi, grossi, floreni, sunt diversi: quisque suo valore.

163 netrix ad colum net e lino.

164 textor texit linteum (telam:) pannifex e lana pannos.

165 sartor conficit vestes acu, mensuratque ulna manicas.

166 sutor suit calceos, et ocreas ex corio: pellio e pellibus pellicea.

167 restio torquet restes, atque laqueos, e stupa.

168 figulus fingit fidelias ex argilla.

169 scriniarius glutine sua glutinat,

170 faber super incude cudit ferrum.

171 aurisaber ex auro et argento, (non ex aere, aut cupro) facit annulos.

172 lignator serra secat, et securi atque cuneo findit, ligna.

173 lignarius faber asciat ascia: utiturque dolabra et terebra.

174 murarius ponit fundamentum aedificii: erigit parietes et columnas: operit tecto.

175 aedificium debile, ut ne ruat, fulcitur fulcris.

Verba impersonalia.

176 si tibi aliquid boni libet, licet.

177 si te piget laboris: pudeat te.

Page 178/179, image: s186

178 decet te poenitere peccati, atque discordiae.

179 adolescentem decet silentium, non vero pertinacia.

180 si te sessionis taedet, oportet spaciari.

Cap. Iii. De rerum circumstantiis.

I. Adverbia.

181 quis vocat me? Ego.

182 tune es; quis est igitur illic? Paulus.

183 agedum expectemus, donec veniat.

184 bene: adventus tuus nobis gratus est. Salue.

185 ago gratias.

186 ut vales adhuc? Sic mediocriter.

187 vbi fuisti? Unde reidis? Ex oppido: ex vicinia.

188 qua ivisti? Per porticum.

189 quorsum vis? Domum.

190 et quo inde? Nusquam.

191 quando in horto suisti? Heri, hodie, modo, nuper, dudum.

192 quoties? Semel

193 quando me, vises? (invises?) Mox, cras, perendie, aliquando.

194 scisne memoria lectionem? Sic satis. Ego minime (neutiquam.)

195 quae est causu? Num es oblitus? Fere.

196 cur non repetis? Mihi nunc, non vacat.

197 quare? Missus sum in villam, ad bibliopolam et c.

198 profecto? Ibo una nequaquam.

199 quamobrem; repetemus. In itinere.

200 id praestat, quam garrire.

201 omnino. Redibimusne mature?

202 fariasse; sed vix. Eho dubitas?

203 procul est. Properabimus.

204 ceu sutores? Quid tum?

205 nostram aetatem decet agilitas.

206 sic aiunt. Imo sic est.

207 ne clama! Atqui sumus soli,

208 quomodo ludemus? Pila, my inda, alea.

209 quamdiu? Totum diem.

210 hui nimium est. Atqui sunt feriae,

211 utinam abstineremus a malitia!

Praepositiones.

212 pergamus, rogote. Nunc tibi parvas voculas exponam:

213 ad nos, trahimus a nobis trudimus:

214 cum nobis ducimus, ante nos pellimus, pone nos raptamus.

215 secundum flumen facile est natare; adversus illud impossibile.

216 apud altare (aram) stans sacerdos habet penes se diaconum.

217 de temerario nora; quod inra aedes non maneat, supra culmen scandat, infra limen reptet.

218 fatere coram nobis, quid fecisti clam nobis? Quia est palam.

219 conira praeceptum fecit: erga praeceptorem valde ingratus fui.

220 quidam ob sua facinora, edomo profugus,

221 dum iuxia viam cucurrit, cura stagnum constirit:

222 deinde ultra stagnum progressus, venit in deserum.

223 obibat circa plaudes, oberrabat inter nemora;

224 navigabat trans mare: vsque ad extremas insulas;

225 prope orbis terminos, extra pattiam vagans;

226 pro quo intercedunt multi.

227 verum, propter exemplum caeterorum, non potest recipi, nec absolui.

228 hem, quantum infortunium! Vae impiis!

229 felix prae talibus, qui conscientiam puram custodit.

Numeralia.

230 scis numerare? Utique; tenta igitur: quot sunt res?

231 unus est codex bibliorum,

232 duo sunt testamenta, vetus et novum;

233 tres personae sanctae trinitatis.

234 quatuor evangelistae,

235 quinque sensus.

236 sex profesti dies,

237 septem petitiones in oratione dominica,

238 octo dies comparantur septimanae,

239 ter tria sunt novem,

240 decem praecepta dei,

241 undecim apostoli, demto iuda,

242 duodecim fidei articuli,

243 triginta dies sunt mensis,

244 centum anni sunt seculum,

245 satanas est mille fraudum artifex.

Page 312/313, image: s187

Cap. Iv. De rebus in schola.

246 scholasticus sponte frequentat scholam, quo in artibus erudiatur,

247 initium est a literis,

248 ex syllabis voces componuntur; e dictionibus sermo,

249 ex libro legimus tacite, aut recitamus clare,

250 involuimus eum membranae, et ponimus in pulpito,

251 atramentum est in atramentario.

252 calami [pennae scriptoriae] in calamario;

253 quibus scribimus in charta, in utraque pagina folii.

254 interdum in scheda et palimpsesto.

255 si perperam, delemus: et signamus denuo recte, vel in margine.

256 doctor docet, et accipit didactrum.

257 discipulus discit: non omnia simul, sed per partes,

258 praeceptor praecipit facienda.

259 rector regit academiam.

260 paesdagogus advertit et urget.

261 custos monet, hortatur, consignat,

262 magister instituit universos: singuli attendunt, dum ille emendat mendas.

263 diligens proficit: negligens vapulat,

264 etenim ferula est praesto.

265 non verberant baculis et fustibus: sed caedunt virgis.

266 absque venia ne exeas: post moram redeas: quod agere debes, age.

267 linea fit regula: cirulus circino.

268 grammaticus loquitur:

269 dialecticus disputat, vera a falsis discernit.

270 rhetor ornate loquitur:

271 musicus cantat: poeta carmina fingit,

272 pictor effigiem (imaginem) pingit,

273 historicus res gestas narrat.

274 astronomus describit astra,

275 physicus naturam scrutatur: medicus eum imitatur,

276 ethicus tradit mores, qui studiosum decorant.

277 verum de iis paulo infra.

Cap. V. De rebus domi.

278 pulsa fores, si clausae sunt.

279 quum aperitur, transi ostium et intra in atrium,

280 clavis claudit seram: iterumque recludit: clavus figitur.

281 pavimentum calcamus: laquear nobis impendet

282 fenestrae sunt vitreae,

283 hypocaustum (vaporarium) sornace calefacta calet, camerae frigent,

284 in cistis, et arcis, abscondimus res: in corbibus portamus,

285 succus non servatur in sacco, nec in funda.

286 in cubiculo sunt lecti, culcitris, puluinaribus, et lodicibus strati,

287 cervical subdimus cervici,

288 tegetibus nos integimus: sive cubamus supini, sive proni,

289 matula est pro urina: secessus (cloaca) pro aluo levanda, ubi exerementa foetent.

290 thure et succino sussimus.

291 eaciem lavamus quotidie.

292 manus abluimus lixivio et sapone, super pelui, aut ad gutturnium:

293 in balneo sudamus, mantili et sudario nos tergimus,

294 tonsor tondet crines, pectitque comam pectine.

295 maculae absterguntur spongia, quisquiliae verruntur scopis.

296 indusium et tunicam, thoracem, semoralia (braccas) et tibialia, induimus et exuimus,

297 (atque scopula everrimus, quoties opus est.)

298 pallium et togam amicimus.

299 pilei et collaria, chirothecaeque et sandalia, sunt honestatis ergo.

300 cingulo nos cingimus, ligulis adstringimus,

301 mappa et tapete sternimus mensam.

302 ad jusculum et pulmentum est cochlear,

303 alia edulia scinduntur cultro.

304 muscas abige muscario.

305 insunde in poculum, et propina hospitibus,

306 accende cercum, vel candelam sebaceam, et inde candelabro, emunge ellychnium emunctorio: sed ut ne extinguas,

307 tandem tolle patinas, orbes, salinum: et collige frusta panis, crustas, micas.

308 vir et mulier, amore juncti, sunt conjuges,

309 viduus ducit quandoque virginê.

Page 314/315, image: s188

310 sponso nubit sponsa; qui post nuptias vocantur maritus et marita.

311 puerpera peperit puerum: quem osculatur nutrix, sovetque in gremio.

312 filius est haeres: filia accipit dotem.

313 parentes educant sobolem;

314 suadent, honesta, dissuadent turpia.

315 hortanturque ad virtutem, dehortantur a vitio.

316 vitricus, et noverca cogunt privignos.

317 liberi sunt liberi: servi serviunt.

318 ministri ministrant (famuli famulantur) ancillae ancillantur.

319 patruus et amita, sunt patris frater, et soror: avunculus et matertera, matris.

320 avi habent nepotes: cognati, affines,

Cap. Vi. De rebus in urbe et regione.

321 urbs munitur moenibus, nec non vallo, et fossa.

322 portae habet valuas: abhinc eunt plateae.

323 in foro solent esse cisternae.

324 aedificia sunt publica, vel privata:

325 nam quod non uni possessori proprium est, est commune.

326 cives, et incolae, incolunt civitatem.

327 rustici habitant in pagis; vicini in eodem vico.

328 in curia congregatur senatus.

329 consul praecedit, senatores eum sequuntur.

330 judex (praetor) judicat lites:

331 actor accusat; reus se excusat.

332 testis jurat, et testatur,

333 lictor ligat sontem, et ducit in carcerem.

334 carnifex occidit, maleficum, decollat aut suspendit,

335 tabellarius fert literas (epistolas cera et sigillo obsignatas) nuncius nunciat oretenus.

336 templum est sacer locus; caupona profanus.

337 ae dituus pulsat campanas; populus coit in aede, exercet que religionem.

338 in coetu canuntur psalmi et hymni.

339 dei verbum praedicatur:

340 sacramenta administrantur:

341 preces peraguntur devote:

342 festa celebrantur festive,

343 ethnici sunt extra ecclesiam,

344 magistratus est necessarius:

345 ut rex sceptrum teneat, et in regno regnet:

346 dominus domi dominetur,

347 qui imperant, sint clementes: qui parent, obsequentes.

348 herus probus probatur, sicut et fidus subditus.

349 princeps est minor quam dux; comes major quam baro,

350 nobilis, eques insignibus donatus.

351 heros vincit omnes.

352 pax est prorsus optanda.

353 bellum est perniciosum; nisi quum hostis arcendus est,

354 milites merent stipendia, armati scutis, hastis,

355 dum pugnant praeliantur, tubae clangunt, tympana sonant, vexilla eriguntur.

356 ex arcubus jaciunt sagittas, e bombardis globos.

357 tum gladiis vagina ereptis dimicant.

358 tormentis arces expugnant.

359 revertuntur cum praeda, atque victoria.

Cap. Vii. De virtutibus.

360 virtutes sectare: vitia vita quae lex vetat,

361 patrans flagitia, scelestus est nequam.

362 tu ut prudens sis, prospice finem, aspice media, attende occasioni.

363 praeterea occipe nil temere, deliberadiu, festina lente.

364 rumori ne crede, arcanum ne vulga.

365 quod ignoras, ne affirma, aut nega, interroga potius,

366 estotemperans!Quum esuris, ede; quum sitis, bibe.

367 heluones vorant, et potant.

368 prandium et coena tibi sufficiant: ientaculum et merendam ne cura.

369 sed jejunare aliquando expedit.

370 sobrius non est ebrius.

371 esto castus: gere te pudice.

372 esto modestus, non procax: taciturnus, non loquax,

373 vos juvenes, colite senes.

374 manifesta narra, secreta susurra, occulta cela.

375 quum quis loquitur, tace: quum tibi quid dicit, ausculta; quum quid jubet, obtempera.

376 noli te jactare: nec sis arrogans, aut superbus.

Page 316/317, image: s189

377 bona fama, est ingens gloria, et appendix felicitatis: amare hanc fas est, spernere nefas.

378 omnibus esto comis, nemini blandus: adulator est odiosus.

379 licet interdum jocari, sed urbane: ridere etiam licet, sed non cachinnari.

380 vexamus joco, taxamus serio; increpamus quomodocunque.

381 frugalis contentus est paucis.

382 avarus est parcus; liberalis largus

383 dives fatuus fidit deo in copia, diffidit in inopia.

384 justus nihil alieni appetit: quia furari turpe est.

385 quod quis mutuo petit da; quod mutuo accepisti redde, quod promisisti, praesta.

386 quum eges, ne pigeat poscere; quum datur, ne pudeat sumere: quum impetrasti, age gratias.

387 fur pendat furtum: aut pendeat in patibulo:

388 poena sane dignus est.

289 donum gratis datur; praemium pro officio, merces pro merito.

390 pusillanimis non est fortis:

391 in prosperis effertur in adversis trepidat ac tremit.

392 tu esto ad operas alacris, otia linque ignavis.

393 si quid vis conari, debes prius contari.

394 et tunc rem aggredi, nec amplius cunctari

395 formna est inconstans, adfert miseros casus,

396 quos patiens patitur (tolerat) etiamsi (etsi) gemat, fleat, ploret.

397 cohibe iram: delinquenti parce, deprecanti ignosce,

398 laesit te quis? Condona ei culpam.

399 offendisti tu aliquem? Paca, et et placa illum: exorans, ut desinat irasci.

400 injurias tolerare satius est, quam ulcisei.

401 malignus maledicit, stolidus minatur.

402 superioribus esto obediens: aequalibus officiosus, inferioribus affabilis:

403 et eris amabilis, placebisque omnibus.

404 quicumque humanus est, salutat obvios, salutantesque resalutat:

405 interrogantibus respondet, postulantibus porrigit, egenis atque pauperibus opitulatur.

406 maestos solatur, ignaros informat, consilii indigis consulit,

407 invidet nemini, favet omnibus.

408 verax studet veritati; mendax mentitur.

409 amicus diligit, inimicus odit.

410 dolosus suspicatur, et decipit; sincerus non fallit.

411 socius adstat, et juvat, sodales colludunt.

412 comes comitatur.

Conclusio.

413 multane supersunt? Pauca admodum, puto,

414 ecce ultimus titulus!

415 nam hoc vestibulum tantum est exordium: cui non prolixo esse convenit.

416 venimus ergo ad clausulam? Ita.

417 sic vita transit, velut umbra,

418 quicquid natum est moritur.

419 omnia in mundo sunt vana.

420 o peccator! Mors te devorabit.

421 tandem ibis in sepulchrum, e luce in tenebras.

422 tu proinde, quisquis es, formida infernum! Desidera coelum! Peccare noli, ne pereas.

423 hic subsistimus, nec addimus plus.

424 acquiesce lector! Reliqua reperies ordine, ingressus januam.

425 antequam abeas, ora mecum.

426 miserere nostri benigne saluator! Jesu christe.

427 da scientiam, da pietatem, da beatitudinem, benedicte in secula seculorum, amen.

Page 318, image: s190

De astruendo comenianianae januae latinitatis templo, epistola: cum proplasmate limniis, atrii, odei, adyti, in titulo de igne efformati.

Admodum reverendis, consultissimis, clarissimis, eruditissimis viris, dn. Ioanni amoso comenio, primo ianuae linguarum autori, lesnae polonorum; ejusdem deinde in eadem pandenda parastatis celeberrimis, dn. Samueli hartlibio, in regia londino, dn. Zacariae schneidero, l. In electorali lipsia; dn. Sigismundo evenio, in ducali wimaria; dn. Ioanni mochingero, in inclyta dantisco; dn. Ioanni docemio, in celebri hamburgo, dominis et fautoribus pl. Colendis, s. P. D.

Iam ante bene longum tempus hortator mihi sinsti, comen i clarissime; ut ianuae tuae reseratae conveniens astruerem, sive atrium, sive palatium: cujusque tu, extrema seminarii tui praefatione ad lectorem, vovendo spem fecisses, ejus ego viridarii copiam studiosoe juventuti facerem scribendo. Petivi negatae operae veniam aliquamdiu: non quod aut laboris fugiens essem, aut parere tibi, gratificari scholis, nollem: sed quod minime is sim qui peloponnesum hanc possim sustinere. Malebam itaque spectare, dum alius manu surgeret moles ista quam ut meam ego, temerarius machinator, nullo successu, admoverem. Sed cum tu non absisteres quotidiano prope convicio idem efflagitare: accederet quoque magnifici generosissimique viri, dn. Ioannis georgii schlichtingii a bukowietz etc. Augustissimo et felicissimo poloniae regi vladislao iv. A consiliis, et apud wschovenses [sic] iudicis regii provincialis, te internuncio, suffragium: tu praeterea illa elevares, quibus datam provinciam deprecabar: vicit me tandem, non tam praestandi id, quod exigebatur, fiducia, quam verecudia negandi. Itaque condixi sane: sed ea tamen lege: ut totuis operis specie, et veluti quodam proplasmate exhibendis, explorarem ante: quid sperare

---

Page 319, image: s191

Metuereve jussuri sint me, pubis erudiendae periti: inventurane merx, quod dicitur, emptorem sit: an thus potius scombrosque amictura. Omnino enim mihi imitandus videbatur ille euripideus ulysses: qui cum sileno vinum venditurus esset, ita cum aloquebatur:

[gap: greek word(s)]: et respondentem audiebat silenum:

[gap: greek word(s)].

Enimvero nondum ita nomen meum amo: ut chartis illitum venum exponere audeam: maloque quicquid restabit vitae, obscurus deterere: quam aut affectatae celebritatis accusari, lactatae inani spe jucentutis damnari. Atque hac ipsa fini, dum hoc quale quale operis, quod te autore moliri; debeo, protypon, quanquam perinvitus, publici juris facere, tandem non dubito, recte me facturum putavi: si tuo nomini adjungerem praecellentes illos clarissimosque viros, quos tibi, commemorabile boni literarii publici promovendi studium, fidelissimos in janua tua pangenda, pandendaque, parastatas feliciter associavit. Sunto ergo tecum consilii mei arbitri: sunto canones scribendi operis: sunto aristarchi. Probabunt? Erit, ut mihi gratuler: erit, ut ne manum, quam timide satis admovi, retraham. Non probabunt? Ne sic quidem male, aut sine lucro. Spero enim futurum ut ipsi meo exemplo provocati, qui haec salgama mea exponere audeam, exprompturi tandem sint sua balsama: quae uti reor, dudum condita domi habent, sed hactenus sibi.

Verum, ut ipsa consilii mei viscera vobis pateant, agite, clarissimi in didacticorum sphaera phosteres, favete tantillum: ut, antequam quae mihi in mentem venerunt de linguae latinae templo januae vestrae astruendo, rudi penicillo adumbrem, specimenque totius structurae producam, liceat diversas linguae latinae discendae vias notare, et juventuti de ea gratulari: quae a vobis, cum immortali nominis, vestri elogio, sive inventa est, sive strata.

Est igitur haec infelix linguae latinae conditio: quod externarum gentium illuvie in latium infusa, aut ineundo cum eisdem connubio, statum mutavit: aut servandae integritatis avida, scholarum claustris concludi debuit. Omnino ejus addiscendae expedita ratio esset, si populo romano uti possemus ad ejus cognitionem adipiscendam: quemadmodum ad gallicanae gallicano, ad polonicae polonico. Nam quomodo apud graecos p. Crassus graece, apud persas persice themistocles; apud tomitanos sarmatice loqui ovidius, intra mediocre temporis spacium, didicerunt: non aliter hauriremus nos; fine multa molestia, tempore non longo, linguae latinae peritiam. Si nisi inter eos viveremus, apud quos alius linguae usus non esset.

Iam, uti quod modo diximus certum est, testimonium in aliis linguis ipsa experientia perhibente: ita negari non potest, discendae linguae latinae vias esse hoc expeditiores: quo ad hanc, quae ipsus natura piopria est, propius accedunt. Ex quo illud sequitur: nisi temporum iniquitas, hominumque partim socordia, partim avaritia obicem ponerent facile constitui posse rationem peridoneam linguae illi imbibendae. Nempe sit quavis provintia, aut quavis etiam copiosiore urbe, locus aliquis certus amoeno situ, seclusus a vulgi strepitu: suo templo, schola, areis, atriis, hortis, officinis item earum rerum, quarum maxime est necessarius ad vitam conservandam decendamque usus, instructus. Hoc pueri justae aetatis per decurias in conclavia distributi, non audiant nisi latine loquentes, domi, in museo, ad mensam, hospitem, paedagogum, coquum, famulum: foris, in templo, minitros divini verbi, in schola praeceptores: in areis collusores; in hortis hortula nos: in officinis pharmacopoeos, typogaphos, bibliopegos, chirurgos, tonsores, sartores, pistores, satores, zythopoeos, oenopolas. In quo scholae ita haberentur; ut discipuli in museo audirent paedagogum, a

samulo inter pretationem colloquiorum, epistolarum, autorum, exigentem, publice autem a discipulis praeceptores eadem repeterent, adjuncto decuriae cuique suo paedagogo; qui urgeret, ut attendant; qui prohiberet, nelasciviant, ne nisi latine loquantur, qui suggereret, ad quaesita magistri, si nescire animadverterit, respondenda. In quo certis atriis rerum

---

Page 320, image: s192

Omnium et actionum, natur alium et artificialium, quas pingere, fingere, sculpere, per pudorem divinaque jura licet, icones, sculpturae, plasmata, suis titulis definita, exposita sint: qua juventuti, animi recreandi causa, ante et post prandium illo deductae, videnda contemplandaque exhiberentur; praeceptoribus, rerum appellationes, idiomate tironibus vernaculo, exprimentibus: quas denuo domi in museo latine, paedagogo monente, pueris famulus recitaret. A coena loco publico, vel paedagogi cum famulis comoedias, sed eas honestatis magistras, agerent; vel famuli colloquia varia, annexa interpretatione, sumto iisdem convenienti habitu, vel praelegerent, vel memoriter recitarent. Porro totis aedibus, nullo non loco, quousque acies oculorum pertingere posset, inscripta sint; in templo, quae ad pietatem; in schola, quae ad literas; in cubiculo, quae ad cubiculum; in culina, quae ad culinam pertinent; in porticibus vestibuli tui, comeni, sententiae, ianuaeque periodi omnes sive segmenta breviter nec aures ni coculos quicquam toto loco isto feriat, nisi quod latine sonet, latine scribatur. His, et quae praeterea, rem serio aggressuris, ultro sese multa objicient, bona fide constitutis, parique observatis, fieret proculdubio: ut puer brevi tempore, minore cum taedio, sine multo sumtu, in linguae latinae, variarumque rerum cognitione, si non plus, saltem tantundem, quantum in scholis tempore haut mediocri, molestia cum magna, impensis eximiis solet, sit profecturus. De tempore nil attinet dicere, re satis certa taedium si quod erit, a silentio erit: sed hoc tamen non admodum diuturno: saltem non pythagorico. Adde, quod puer facile illud solabitur, et rebus variis videndis, et narrationibus audiendis. Quin mederi eidem, vel balbutiendo latine, tanto citius avidiusque conabitur. Ne adjungam, quod nunquam adeo lyncei, adeo auriti, adeo discipulis suis affixi, solertesque paedagogi et famuli, seu esse possunt, seu solent: ut non quandoque facultas, spaciumque et locus futurus sit pueris familiares inter se sermones nativa lingua sociandi. Impensae vero, hoc ipso, quod brevioris temporis forent, forent etiam minores: possentque fieri etiam minimae: si publico regum, principum, rerumpublicarum consilio et voluntate, quae in luxum, et oculorumque oblectamenta, totis saepe alueis diffluunt, ad alenda hocce modo, eruduendamque juventutem, leni rivulo dimanarent.

Idea haec est, sed rudis, collegii, sive, ut porro etiam nugis nostris blandiri liceat, urbis latinae. Et manebit etiam idea, aut potius phantasma: hoc imprimis tempore, quo foedissima metamorphosi musae plerisque locis in mulas abeunt.

Restat ergo, ut eam comprehendendae linguae ausoniae viam porro progrediamur; quam scholae in vulgus terunt. Vbi tamen illa adhibenda cautio curaque est: ut quo ad ejus fieri potest, ipsa illa via in naturae viam revocetur: quo flexuris omnibus, imprimenda mehoris methodi orbita, rejectis, brevior reddatur ituris: iisdem sine fastidio, majori voluptate decurratur.

Atque hic par est, assurgant vobis, et primo, tuo quodam jure, tibi, clarissime comeni, omnes: quotquot non studium habet saginandi famam suam, carpendis aliorum laboribus. Certe enim via, in quam tu, et per vestibulum, et per januam tuam, tenellam aetatem immisisti, et brevior, certior que multo est illa scholaram vulgaria, et sine oblectatione magnaque utilitate nonitur. Quod tanto possum affirmure audentius; quanto major jure est vestra reliquorum in hoc

genere assensio et autoritas: qui nisi vos spectatissima viae comenianae commoditas exambiisset, in ianua polieda vertendaque, autoris singulari sagacitati et solertiae, nunquam industriam vestram maritassetis. Placet vero ista, quam vos felici admodum mercurio detexistis, linguae latinae percipiendae ratio, etiam huc argumento; quod proxime abesse videtur ab ea: quae apud babylonios in usu fuisse legitur. Hac enim intra triennium, iuvenes illustris prosapiae, ita erudiebantur: ut in publicam aulae lucem emissi, et regis auribus familiarem asuetumque vocis chaldaicae sonum possent adhibere, et ejusdem ad interrogata prudenter sapienterque respondere. Etsi enim danielis illa, sociorumque ejus, admirabilis sapientia, divinae potius gratiae accepta ferri debet, quam humanae institutioni: saltem illud tamen concedi necesse est, fuisse eam apud chaldaeos erudiendi frequentatam methodum, ita comparatam, ut adolescens, non impeditae indolis, tantillo tempore, eo provehi [correction of the transcriber; in the print prohevi] posse videretur: ut dignus esset, qui in classem familiarium

---

Page 321, image: s193

Regis transferretur. Ex quo admodum versimile sit, chaldaeos institutionem suam ita semper moderatos fuisse: ut in frangendis vocum putaminibus exercerent sane juventutem, omni industria: sed ita tamen ut nucleos etiam rerum, juxta cum voluptate edendos, mox admitterent. Quod vestro itaque studio et sagacitate, via isthaec discendarum linguarum, postliminio quasi revocata est, divulsaeque informi divortio a rebus voces, vobis proxenetis pereleganti connubio sotiatae vivunt; habet profecto juventus, de quo sibi gratuletur; vobis autem non ipsa modo hujus seculi, sed futurorum etiam, gratias agat, acturaque sit: qui viam indicastis, aperuistis, stravistis, non per nomenclatorum salebras, syluarumque syluas et tesqua, lubrico impeditoque gressu, tenebras inter et caligines, vagandi; sed per ipsa rerum tempe, amoenum rectoque itinere, nec illo obscuro, ad linguae latinae cognitionem eundi.

Sed ut inexputabilis tua, comeni, in vocibus rebusque in paucissimas tribus cogendis, industria, laudem tibi apud omnes non obaerati judicii singularem conciliavit: sic non minorem certe peperit etiam maximus ille, et sagax tuus candor, quo, quasi ejurato tibi blandiendi amore, ipse saepius auguratus es; futurum proculdubio, ut ad linguam latinam plenius comprehendendam, praeter januam aliquid amplius ingenia puerorum et juvenum sint desideratura. Itaque non tantum extrema tua praefatione, exoptabas hominem, qui seminario tuo adjungeret viridarium; sed tua quoque manu ianuae vestibulum, avidissimus juvandi teneram aetatem, praestruxisti; et mihi, ut jam in fronti spicio hujus scripsi, reliquam veluti aedilitatem dedisti. Quae omnia me animarunt; ut sperare coeperim: si quorum super ea re mihi in mentem venerunt, paucis exponam, minime te aegre laturum.

Cum primum igitur manum admovissem linguae latinae theatro, ut tute volebas, aedificando, semel, iterum, totius ejus linguae ratio mihi esse videbatur; quae magnifici alicujus et celebrioristempli. Cui meae meditationi tanto indulgebam plusculum; quod poeta non infimi subsellii totam philosophiam hoc nomine appellavit, trito illo eruditorum auribus.

Edita doctrina sapientum templa serena.

Accedebat etiam illud, quod tu nominando vestibulo, januaque, linguam omnem latinam sub imagine amplae alicujus domus proponi posse, jam ante judicaras. Itaque sic ratiocinari.
Ut templi diversa membra sunt; sic diversis etiam libellis literisque comprehendi posse, quicquid ad latinitatem animo imprimendam eo usque pertinent: ut adolescens suo deinde, quod ajunt, vimine navigare; et in bonorum autorum lectione versari, cum fructu, sineque

multo impedimento, et taedio possit. Arridebat res etiam hoc nomine; quod ipsius quoque latinae linguae, et qui eidem operam navent, non iidem gradus sint, metaeque. Quemadmodum enim fieri solet: ut non nulli in ipso templi vestibulo pedem referant; quidam, presso primis digitis limine, recedant; aliiper valuas ingressi, ultra atrium navimque templi non progrediantur; sint deinde, qui in odeum usque, in ipsum denique aditum penetrent: sic videmus ex iis, qui latine discere dicuntur, non eandem sibi omnes metam figere, quo excurrant. Sunt enim qui satis sese ejus linguiae assecutos arbitrantur; si eo vsque ejus provehantur: ut latinas quasdam voces sententiasque interspergere, quasi condimenta quaedam, nativae suae linguae possint. Alii hoc quaerunt, ut grammatice sciant sensa animi exprimere; alii, ut pure etiam; alii, ut pingere quoque calleant sermonem: alii, ut eundem variare. Invenies denique, qui tum demum latine se didicisse sentiunt, si pure, eleganter, copiose, variate, sciant loqui et scribere: et in autorum lectione interpretationeque, possint versari expedite. Quod tam diversae ergo latine discentium metae esse deprehenduntur, par sane est ut intra diversos iidem, sed tamen suos quisque carceres, decurrant: qui ita sint sive contigui, sive continui, ut ad primam metam progresso, excursus ad seundam: a secunda, ad tertiam, et deinceps, sine omni repagulo, liber pateat. Pergebat placere opinio etiam hac de causa: quod libelli illi, librique, eo responsu commensuque scribi posse videbantur: ut nullius non reipublicae scholis servituri sint. Non est enim cujusque communitatis ea conditio, eae facultates: ut erudiendis suis quiritibus, multos magistros

---

Page 322, image: s194

Alere vel possit, vel debeat. Hinc est, ubi juventus scholastica in duas tantum classes cogitur: est ubi intres, in quatuor; est etiam ubi in plures distributa palladi meret.

Haec, et his affinia permulta cum meditanti occurrissent, ausus tandem sum credere, pleraque et potiora, quae ad latmitatem pertinent, sex libris posse comprehendi; quorum primo, vestibulum; secundo liminis; tertio, ianuae quarto, atrii; quinto odei; sexto denique, adyti; nomen esset. Qui ita inter se devincti essent; ut ad posteriorem prior discipulum semper cum spe proemioque majoris progressus ablegaret; non secus ac in odeum, adytumque peneti andi facultas none est, nisi per vestibulum, limen, ianuam, atrium ingresso. Qui etsi ad unum eundemque scopum omnes collinearent, ita tamen inter sedifferrent; ut sive res spectemus, sive verba, discentium aetati, judicio, memoriae, metae essent accommodi.

Atque hic jam nunc provinciam mihi dari arbitror: ut totius latini templi vestigia describam, et quae cujusque libelli librique structura futura sit, paucis exponam.

De vestibulo itaque non attinet hic quicquam dicere, quandoquidem ipse in ejus praeloquio abunde significasti: quu consilio, quuque modo illud struxeris; qui in eo tractando versari debeat docens, quid utilitatis inde sibi polliceri possit dicens. Adjiciatur tamen, si ita videbitur, pinacidion, vocum in ipso comprehensarum latinum, idque pro exercitiis latino-germanicis. Parem ob causam, nec de janua operae pretium est, ut quicquam dicatur, nisi hoc unum: posse accessionem aliquam jucundissimae utilitatis ad eam fieri. Praemittatur nempe cuique titulo, certus aliquis expatrum, quos vocant, celebriorum, censu: qui titulum illum enarrare fingatur. Subjungatur autem fabella una atque altera tituli propria: dicendi charactere a ianuae non multum abscedente. Illud tyroni quasi aliud agentiingereret aliquam historiae ecclesiasticae notitiam: hoc praeter oblectationem non pateretur ullum ianuae titulum abire sine aliquo, sive bene vivendi, sive recte judicandi, sive prudenter agendi praecepto.

Sequitur, ut ordine de iis templi latini membris agam, quae tuis, vestibulo januaeque, ad concludendas linguae latinae opes, astrui debere videntur.

Ex iis primum limen est. Id loco inter vestibulum et januam sit medium. Structura isthaec. Conscribantur dialogi tot numero: quot in ianua tua sunt tituli. Colloquentium nomina sumantur ex iis: quae apud christianos usu sunt vulgaria. Adjungatur iis significatio germanica. Res in dialogis contentae, vulgatissimae sint: et quarum inter pueros commercium solet esse frequentissimum. Dicendi genus sit prope etiam infia tenue: specteturque hoc praecipue; ut grammatice aliquid loqui discat puer. Compositio per commata fiat et cola: absint periodi, saltem plurimum membrorum. Vocibus titulo propriis, maxime vulgaris, liceat ex aliis quoque adjungere quasdam, argumento colloquii ita postulante. Phrases adhibeantur vix dum aliquae. In margine sinistro ascribantur nomina tituli [gap: greek word(s)] (h. e. propria et velut domestica:) in dextro verba; et si quae occurrunt conjunctae voces. Habeant haec adjunctam significationem germanicam, et addatur nominibus, genus et declinatio, in nonullis et genitivus; sed verbis genus, praeterita, supina, conjugatio. Ad calcem colloquii cujusque sententiae sacrae annectantur, una, altera, tertia; sed quae verbo substantivo, out uno certe alio, absoluantur; caeterum nominibus constent aut verbo etiam titulo propriis. Voces phrases, titulo domesticae, alio exscribantur charactere, quam peregrinae: id quod in reliquis omnibus generatim ob servandum fuerit. Textum sermonis in segmenta distribuatur; quae ut plurimum denas voces, rarius plures, saepius pauciores habeant, suisque sese adjunctis numeris prodant. Indicem libellus habeat tantum germanicum vocum simplicium, conjunctarum, pro exercitiis germanico-latinis.

Limini, interveniente ianua, succedat atrium. Hoc, ut limen, item in dialogis scribatur. Colloquentes inducantur tres; qui nomina sua sumant, sive ex sacra, sive ex profana historia; quorum significata, si modo invenire totidem hujus generis liceat, titulo aliqua rationere spondeant. His significatio adjungatur, ubi opus erit, seu latina, seu germanica; etymis etiam vocum nonnunquam adjectis. Res tractandae, ita sint: ut aetatis in atrium hoc ducendae captum ne superent. Sermonis character, inter tenuem

---

Page 323, image: s195

Grandemque medius, quo ad rerum ratio feret, incedat. Quaeratur hoc cumprimis, ut pure loqui discat tiro, et quodam modo eleganter. Structura verborum ex incisis, colis, periodis etiam sit, sed his raro productioribus. Phrases adhibeantur plusculae utriusque generis: hoc est, et propriae titulo, et per translationem usurpatae. Fas jam sit in spergere sententias, adagia item tituli domestica. Voces modificatae atque inflexae, certo aliquo semate discriminentur a propriis et rectis: quod commune huic erit cum reliquis etiam libris. Corpus sermonis in articulos distribuatur: qui plerique voces quindenas, aut non multo plures, nonnunquam etiam pauciores, habeant. Auctarii loco accedant cuique dialogo similitudines aliquot, et aenigmata titulo domestica. Indices libelli sunto: adagiorum, vocum utriusque generis alphabeticus, alter germanico-latinus, alter latino-germanicus: pro exercitiis germanico-latinis, latino-germanicis, sententia una eademque commutatis verbis saepius efferenda.

Ab atrio proximum sit odeum: conscribatur sermone non interrupto per colloquentes, sed continuo. Praefigatur nomen celebrioris alicujus ex veterum philosophorum cavea, cum aliquo ejusdem elogio; et, si quod haberi potest, elegantiori utiliorique dicto. Vocum, phrasiumque major hic sit, quam in atrio ubertas. Praeter sententias et adagia ingerere etiam liceat historias, ritus, veterum varia instituta: sed ea tamen, aut propria titulo, aut non longe

abeuntia. Privatim isthaec hic cura sit: ut in rerum, quae sunt ejus tituli, naturas inquiratur solertius, viresque et proprietates earundem exprimantur. Dicendi genus medio propius sit, quam grandi: et quo ad ejus fieri poterit, philosophicum structura verborum plerisque locis periodica sit: periodicis tamen, spirituque non exclusis. Immittantur formulae rhetoricae, potissmum quae pertinent ad dispositionem. Admittantur et loca nonnunquam bonorum autorum integra. Mantissa esto epistola: quae argumento sit a tilulo non alieno, sed praegnans formulis, quarum esse usus in epistolis scribendis solet. Textum verborum divellatur in sectiones: quarum quaeque vocum sit plus minus vicenarum. Indices plures liber hic habeat quam atrium: sintque, phraseologoicus latinus: phraseoligicus germanicus: adagiorum particularum periodicarum latino-germanicus, et germanico-latinus:formularum ad dispositionem pertinentium: pro exercitiis latino-germancis, gemanico-latinis; sententia dilatada transformandaque; epistolis scribendis.

Odeum excipiat adytum. Scribatur forma dialogistica. Dentur colloquendi partes quaternis: quibus nomina commodent, variae conditionis, sed ejus in historiis non adeo obscurae, homines: cum suo quisque elogio, ut in odeo; et si non apophthegmate, certe memorabili aliquo aut facto, aut eventu. Fiat hic voluminis nomini non injusta injuria, congeraturque huc, quanta fieri potest industria, quicquid in praegressis vocum, phrasiumque non fuit adductum. Ius sit vagari nonnunquam extra titulum: sed ita, ut ad eum non longis ambagibus commode redeatur. Fas sit, praeter[gap: greek word(s)], admittere etiam adagia, sententias, apophthegmata, descriptiones rerum, historias alius classis, et loca item classicorum celebriorum tota. Sit integrum inspergere nonnunquam sales. Idea sermonis varia erit, ex rerum conditione, et autorum, qui laudabuntur, genio. Itaque et structura sermonis varia: atque adeo oratio hic caesim, illic membratim fiet: alibi fufa, tracta, pendula erit: alibi justis periodis decurret. Admittantur praeterea variae rhetorum formulae, sententiarumque et dictionum figurae. Episagmatis loco sit problema aliquod, titulo domesticum, breviter excussum. In margine sinistro phrases elegantiores, rariores, difficiliores exscribantur, cum sua quaeque significatione germanica: sed in dextro autorum, qui citantur, loca: quod utrumque in reliquis, pari modo fieri debebit. Textum sermonis distribuatur per vocum, nisi ita disjungi metuant, triacontades. Indices subjiciantur varii, pro nullius non generis linguae latinae exercitiis. Sunto vero illi generales, redactis in eosdem etiam cujusque libri propriis ante nominatis: abeantque in duas classes: verborum et rerum:

Page 324, image: s196

I. Vocum simplicium latino-germanicus:

Hic

1. Etyma vocum, si quarum minus dubia sunt, adjungentur:

2. Significationes diversae subjungentur, propriis primo loco, translatis posteriore ponendis:

3. Rariores, minusue usitatae nec latinae originis, certo quodam indicio a reliquis disjungentur:

4. Syllabis, quae nisi autoritate cognosci possunt, temporum consuetae notae imponentur.

5. In margine sinistro voces, quota quaeque sit, cujusque literae, sed ejus cum una duabus-ve aliis conjuncta, asciriptis numeris definientur.

Ii. Vocum conjunctarum latino-germanicus: cui saltem hoc cum simplicium indice sit commune: ut phrases item suis numeris in margine, sub quavis litera, quota quaeque sit, distinguantur.

Iii. Vocum simplicium, conjunctarum: germanicus tantum, ita conscribendus: ut adjunctus cumlitera syllabave numerus, discipulum ableget in indicis latino-germanici numerum ejusdem literae eundem: quo latina germanicis respondentia exhibebuntur.

Iv. Particularum periodicarum germano-latinus.

V. Earundem latino-germanus.

Vi. Adagiorum, voce, ut plerisque sumitur, accepta, latinus.

Vii. Formularum epistolicarum, et quarum in disputando usus.

Viii. Rhetoricus troporum, figurarum, fomularum.

Sed rerum isti: atque ex his alii alpbabetici, puta

I. Fabellarum;

Ii. Aenigmatum;

Iii. Similitudinum;

Iv. Sententiarum incertos l. C. Reductarum;

V. Historicus personarum, cum ad eosdem pertinentibus;

Vi. Locorum, regionum et c.

Vii. Rerum observatu digniorum miscellus. Alii non alphabetici, et speciales:

1. Cujusque tituli germano-latinus, hoc ordine: ut simplici cuique voci suae subjungantur compositae.

2. Idiotismorum germanicorum et adagiorum cuique titulo propriorum, germanicus tantum.

3. Descriptionum variarum rerum ad quemque titulum pertinentium, latinus.

Caeterum hi ipsi indices, qui peculiare quoddam opus, atque illud satis grande procul dubio constituent, suum quoddam nomen ex architecturae analogia etiam forsan invenient. Certe utilitatem non exiguam studiosae juventuti abunde praestabunt. Uti enim iis poterit, quaecunque exercendae linguae latinae ratio oblata fuerit: atque ita, sive vernaculus sermo commutandus fuerit cum latino, sive cum vernaculo latinus: sive quae vox phrasisque aut paroemia, legendis autoribus, occurret minus nota. Praeterea, nec tam proclivis erit in errorem

lapsus, his indicibus utendis: quam plerisque, et in vulgus tamen usurpatissimis, thesauris, syluis, lexicis. Causa ista est; quod indices hi adolescentem semper ablegabunt ad ipsa, quibus vox aliqua phrasisque usurpata fuerit, loca: quibus intuendis, facile perspiciet, nisi ab omni judicio inermis fuerit, suine sermonis argumento commoda sit futura vox ac phrasis. Quo adjumento recti epithetorum phrasiumque usus cognoscendi, dum destituuntur non pauci ejus census libri: mirum

---

Page 325, image: s197

Non est, si juventus, male m exercitia infeciendis phrasibus et adjunctis, iracundiori magistro bilem moveat, mitiori splenem. Memini in ludo literario quodam, ante annos aliquot non incelebri, proponi discipulis sententias variandas hasce: christus est totius mundi servator: iohannes baptizavit aqua. Hic, ex discipulis unus, cum in sua, nescio qua sylua, inter adjuncta mundi inveniret illa, mathematicus, musicus, omnique doctrina eruditus; inter aquae autem, turbida, cadaveribusque inquinata: offerebat suo judicio eleganter dilatatas in hunc modum sententias: christus est totius physici, musici, mathematici, omni doctrina eruditi mundi servator: ioannes turbida cadaveribusque inquinata aqua baptizavit. Atque leguntur sane haec apud ipsum ciceronem: et alterum quidem in tusculanis l. 5. Quo loco refert, quod darius in fuga, cum aquam turbidam et cadaveribus inquinatam bibisset, negarit unquam se bibisse jucundius: alterum in de natura deorum lib. 3. Ubi cotta, cum zenonis rationem, qua hic mundum ratione uti probare solebat, elevare vellet; isto modo, inquit, etiam disertus, et quidem mathematicus, musicus, omni denique doctrina eruditus, postremu philosophus, erit mundus. Sed quia destituebatur adolescens omni subsidio cognoscendi, quo sensu, quoque modo et consilio ista essent ab autore usurpata, putavit licere sibi, illa cuivis aquae tribuere: haec autem, quae cicero cum adjunctione dixerat, ad mundi desiriptionem adhibere absolute.

Illud praeterea silentio praetereundum hic non est: cum fieri non possit, ut in ipso sermonis librorum illorum, quos scribere cogitamus, contextu, satis plene singula exp licentur: fore non tam ex juventutis studiosae utilitate, qaam ipsorum etiam illorum, qui illi poliendae admoventur, usu: ut annotationes, notae, scholia, animadversiones, sive quocunque tandem nomine appellare volueris, certae adjungantur: quibus si quae omissa, suppleantur; si quae obscurius dicta, illustrentur; si quae minus bene, apte, recte scripta, expungantur, corrigantur: si quae luxata suisque sedibus avulsa, restituantur. Nam tanto in opere non futurum, ut multa obrepant, quae limam mereantur: tum demum credam, cum praeter sacras literas ullum librum videro, in quo non liceat invenire quaedam, quae: rigidum examen et aristarchicum non ferant.

[note: in c. Plinii epist. Ad marcum.] Certe si jure dicere potuit plinius, nullum esse librum tam malum, ut non aliqua ex parte prodesset: dicere etiam licebit nullum esse tam comptum, in quo non liceat invenire aliquid naevuli. Hinc videas fieri, ut viris etiam ad nauscam (quod de gallo quodam theologo usurpabat italus) eruditis, protoplasta idem sit, quod protoplastus: et dictiones dicantur. [gap: greek word(s)], ubi dici debeant [gap: greek word(s)].

Dum templi autem latini structura hujusmodi fuerit, pro dicendi ratione, quam vocant, prorsa: poterit consimilem in modum exstrui quoque juxta, seu scena, seu theatrum, seu quaecunque alia appellatio huc magis quadrare censeatur, pro dicendi modo, quem vorsum nominant, pro usu nimirum poetico. De quo ne longius sermo mihi excurrat, quam ferat epistola, addere plura nunc haut lubet,

[gap: greek word(s)],

Transferri in nos et torqueri possit. Illud tamen non ero temerarius, si anticipando asseram: libros eos omnes ita fore comparatos: ut facile admissuri sint eam tractandi rationem, quae nec discipulum, nec praeceptorem nimium gravet, neutri taedium pariat; autores bonos non proscribat; praecepta grammatica non excludat; exercitia non eliminet.

Page 326, image: s198

Atque haec est rudis illa templi latini ichnographia, et partium singularum orthographia: quae mihi tum demum plene placebunt: ubi vobis ammadvertero probari. Tum enim certe operam omnem dabo: ut titulis, quos in hunc modum affectos aliquot habeo, indies accessio aliqua fiat: quantum quidem per horas succiswas licebit, et per domesticas difficultates, quas temporum iniqua facessunt, libebit.

Enimvero haec potissimum fecerunt, quo minus, meritissime comeni, praestiterim mature, quod dudum debebam: etsi pridem cicerone magistro didiceram, fides [gap: greek word(s)] quod haberet.

Quod restat a vobis id unice peto, viri clarissimi: ut minime vobis molestum sit, sequestratis tantisper gravioribus curis, meditando vestigare: tantumne commodi sperandum juventuti, ex tali opere sit: quantum quidem mihi in eo perficiundo devorandum erit laboris. Pervelim vobis usque hic animo obversetur: quod silenum, vinum ab odore laudantem, idem ulysses, quem in fronte hujus laudabam, monebat:

[gap: greek word(s)].

Faxit vero deus optimus idemque maximus: ut extincto tandem belli civilis incendio, quod pietatem, pudorem, bonas literas, jura omnia, bella omnia, tot annos pessundat, et abunde hominum parit, apud quos nec ara, nec fides: exoptata tandem et fida pax redeat: quae faecunda sit mecaenatum: quorum tantum sit in recreandis a tam foedo exilio, religione, virtute, fide, musisque studium: quantum hisce revocatis sperari potest emolumentum.

Valete, viri clarissimi, et feliciter porro, animis corporibusque vegeti, suo quisque loco, pro bono literario publico excubate.

Scribebam in elysiis, ad sprottae confluvium et boberae: qui a dithmaro, nisi fallor, slavonicae vocis (bobr) vim sequuto, castor appellatur: anno nati [gap: greek word(s)] mdcxxxvi. Mense martio: sub ipsum spei, quae nos fovebat, cultus evangelici publici ab augusto impensissimis precibus recuperandi, crepusculum: ecclesiarum et scholarum ministris, loco ante trimestre motis, nunc tandem etiam vertere solum, atque ire intra tridui spacium jussis.

Sequitur jam ipsum, cujus semel, iterum, facta est mentio, proplasma: atque illud quidem tituli, qui in janua quintus est, de igne.

Ut pateat etiam quousque hic vocum simplicium, conjunctarum, adagiorum, progressi simus, subjungitur,

Pars indicis generalis vocum simplicium latini alphabetici, complectens voces titulo de igne plerasque domesticas. Si quae omissae videbuntur, eas tituli de domo, culina, suppliciis etc. Supplebunt.

Pars indicis specialis germano latini, exhibens conjunctas, sed eas aliquas tantum ejusdem tituli voces.

Index adagiorum et quasi de igne.

In his, quae occurrunt literae solae.
L. Limen. I. Ianuam. A. Atrium. O. Odeum. A. Adytum notant.

Caeterum in ipso orationis textu, voces tituli, qua ipsis domicilium proprium est in loco de igne, ubi in alienum migrant, suo quodam ad marginem indicio, puta adjectis notulis (") internoscentur.

Page 327/328, image: s199

Liminis linguae latinae, titulus v. De igne. Andreas mannlich: dapffer. Judith: bekennerin.

J. I cur ploras? A. Adussi digitos. 7. Quomodo. A. Volebam mihi hoc pomum igne mollire: 2 et carbo mihi in manum cadebat. 7. Carbo non urit. 3 pruna fuit. A. Erat lignum ardens. 7. Ergo torris fuit. A. Mater etiam me verberabat. 4 j. Quam ob causam. A. Fodiebam ignem. I. Noli plorare. A. 5 rogo, molli mihi hoc pomum flamma. I. Molliam: 6 sed tu ante dic sententiam aliquam ex bibliis. A. Non unam, sed tres.

Deus ignis consumens est. Ebr. 12. 29. Homo puluis et cinis genes. 18. 27. Dies nostri sicut sumus deficiunt, psalm 102. 4.

Januae linguae latinae, titulus v. De igne.

1 ignatius martyr et antiochenae ecclesiae praesul. 2 ignatius, ut nonnulli putant, ex eo appellatus fuit: quod igne caritatis semper exarserit.

44 incendium ex quavis scintilla, si permittis, oritur. 45 nam quicquid ignem concipit, id primum gliscit: dein ardet: tum flagrat et flammat: postremo crematum redigitur in favillas et cineres. 46 lignum ardens torris appellatur, extinctum titio: particula ejus carbo; et quamdiu candet, pruna. 47 fumus ardens flamma est: camino adhaerens fuligo.

Fabula i.

1 candens scintilla flammae vi in sublime leyabatur. 2 hinc impensius sibi placebat: ac mox inter sidera se relatum iri putabat. 3 verum, ut ad mediam camini gulam ascendit, extinguitur, et cinisfacta decidit.

(4) valebit contra praefidentes, et sui nimium amantes.

Ii.

5 quidam in aestate multum a muscis vexabatur. 6 itaque impatiens, accensis stramentis, ubique in casula flammam circumfert. 7 sed dum ignem incautius tractas, tugurioli arida materia incenditur: et domuncula tota conflagrat.

8.) Plerique vitantes parva detrimenta, in maxima damna incidunt: 9 et, quod proverbio dicitur, fumum sugientes in ignem delabuntur. [ap. Platon. Polit. 6.]

Atrii linguae latinae, titulus v. De igne.

Vriel, hoc est, ignis sive lux dei: avus abiae regis iudae: 2 paral. 13.

Pyrodes, cilicis filius. 2 qui primus rationem ignis e silice excutiendi invenisse legitur apud plinium, lib. 7. C. 56.

Cajus carbo, orator romae: 3 cui nemo gloria praestitisset. Si ralis mens in eo ad rempublicam bene gerendam fuisset: 4 quale ingenium ad dicendum fuit. Cic. In bruto.

P. Quis iste concursus hominum? Et clangor insolens, tinnitusque extra numerum. C. 5 incendium excitatum est. P. Ubi ergo exarsit? C. In aedibus, nescio cujus: in platea, cui ab arce nomen factum est. V. 6 atque hoc quomodo. C. Quaeris? Non nosti, summi saepe periculi flammam ex minima scintilla, si permittas, oriri. V. 7 non equidem ignoro; quippe qui non semel [note: pindar. Iacob. 3: vers. 5. Sirac. Ii. Vers. 33.] Illa legi multum inter se affinia: 8 parva scintilla saepe magnam syluam comburit: ecce, exiguus ignis quantum materiam incendit! 9 itaque hoc volebam, domus illa [note: ob es aus verwahrlosung angangen/ oder angeleget sey.] Fortuitone incendio ardeat, an oblato? P. 10 dicunt fuisse, qui ignes illis tectis intulerit. Sed, si placet, adeamus ipsi locum. (proh!) Ii tam, elegantes aedes totae jam incendio conflagrarunt. Et vicinae quoque jam stammis corripiuntur. V. 12 valde metuo, ne totus hic vicus incendio absumatur; cum pauci appareant, qui incendio subvenire. Conentur. 13 aedes profecto illae sublimiores, quas modo flamma invasit, [note: dieses hauß verrathet die gantze stadt.] Ardore suo toti oppido deflagrationem minantur. P. Idem et ego metuo eam ob causam; 14 quod in plerisque domibus multum lini est: quod perfacile est ad exardescendum. C. Ego vero bene spero, fore 15 ut incendium brevi sit remissurum. Nam et multi jam accurrerunt, qui incendium. Compescant; et 16 video adhuc plures ad id restinguendum accedere. Praeterea quia tranquillum est, flamma latius sese non diffundet.p. 17 sed crassior ille sumus, et, ut quidam appellat, [note: dueker und schwartzer rauch.] Flamma vapor, unde? C. Ista [note: wann der rauch sich drehet/ und wie eine wolcke aufsteiget.] Fumi volumina indicio sunt, 18 invasisse ignem sumosam aliquam materiam:

Page 329/330, image: s200

Nisi tamen ab aqua sunt copiosius infusa. P. 19 jam ponit vires incendium. Obnituntur enim cives strenue, ne saedius grassetur. C. 20 utinam tantam suo quisque loco alacriratem

afferremus ad sedandum belli civilis incendium: [note: der krig wahret nun so viel jahr.] Quo continenti tot annorum patria ardet. V. Quemadmodum subditis, aut admotis ignibus aquae effervescunt: sic dei ira peccatis inflammatur. 22 volumus ergo, ne illa longius saeviat, patria in plures annos bello uratur, arces crementur, pagi deurantur, urbes exurantur, 23 age subtrahamus, quae igni alendo serviunt.p. Nempe enim ubi desunt ligna, extinguitur ignis. V. Recte sentis 24 flamma sumo proxima, cum comico vulgus, suo sensu dicit. Nos ita interpretemur: peccata proximos esse poenae prodromos c. 25 ego diem hunc carbone notabo, ut inselicem: quo [note: der brant hat sie sehr betroffen/ mit genommen.] Non leve damnum bonis quibusdam hominibus ex incendio fuit! Qui non facile aedes ab incendio resuscitabunt. [note: wieder auffbawen.] V 26 eundem vero et creta notare debebis, ut felicem: cum praeceptum andieris restinguendi furoris divini, 27 minime illud [note: in wind schlagen.] Cineri inscribendum: sed memoriae firmiter potius imprimendum.

Similitudo i.

27 adolescentes sic mori videntur: ut cum aquae multitudine vis stammae opprimitur: 28 senes autem sic, ut sua sponte, nulla adhibita vi consumtus ignis extinguitur. Cic. De sencect.

Ii.

29 ut ignis in aquam conjectus continuo restinguitur et refrigeratur: 30 sic refervens falsum crimen, in purissimam et castissimam vitam collatum, starim concidit et extinguitur. Pro rofe. Com.

Aenigma i.

31 devoro nutricem: sceleris sed mox luo poenam.

Nam mors illius morte parata mea est.

32 mirum est, cum caeci inveniunt quid luce serena:

Me vel mediis inveniunt tenebris.

Ii.

33 sunt mihi, sunt lacrymae: sed non est causa doloris.

Est iter ad coelum, sed me gravis impedit aer:

Et qui me genuit, sine me non nascitur ipse:

Odei linguae latinae, titulus v. De igne.

1 zeno, pater et princeps stoicorum, 4. Academ. Naturam definiebat ita: ut diceret esse ignem artificiosum, ad gignendum progredientem via. 2. N. D. 2 inter multa ejus praeclare dicta, etiam illud est: virtus ad beate vivendum se ipsa contenta est. De finib. 5.

3 de igne mihi sermo erit; non illo, quem elementarem vulgus, cicero autem elementum ignis, quartamque mundi partem, vocat: quae et ipsa tota natura servida sit: 4 et caeteris naturis omnibus salutarem impertiat et vitalem calorem. De igne dicam, quem adhibemus ad

victum: (5) quique in physicorum scholis focalis et focarius appellatur. Igitur est hic noster ignis, quem usus vitae requirit, confector et consumtor omnium: idemque, quocunque invasit, cuncta disturbat, atque dissipat. (6) ex quo illud natum arbitror: ut hominem efferatum, iraque aestuantem, [note: er spriet unnd speyet lauter fewr.] Spirare ignem: ipsum autem ignem, populari, grassari, baccari, furere, saevire dicamus. (7) atque est hic ille ignis, qui pastus indiget: nec permanere ullo modo potest,nisi alatur. (8) magna illi naturae cognatio intercedit cum oleo: quo affuso, tantum abest, ut mitigetur: ut gliscat potius, viresque inde sumat. (9) hinc; qui remedia adhibent, quae malum exasperent non leniant, [note: auß ubel arger machen.] Oleum camino affundere aut addere; oleo ignem exunguere perhibentur. Stipulas avidissime et corripit, et depascitur. (10) itaque ille, cum significare vellet, rem multi esse peficuli: si juveni potestas fiat cum iis versandi, qui libidinum flammis aestuant: (ii) ignem, dixit, stipulae apponere haut tutum. Vere, nec minus eleganter. Est enim hoc natura commune plerisque adolescentibus: ut incendiis cupiditatum facillime inflammentur. (12) jam latet ignis, quibus minime putes, saepe rebus abditus: ut lapidibus, quorum frictu atque attritu elicitur: ut lignis, e quibus igniaria fiunt. (13) exploratorum hoc usus in castris, pastorumque reperit: quoniam [note: man kan nicht allzeit einen stein zum fewerschlagen haben] adexcutiendum aut excudendum ignem non semper lapidis occasio est. (14) teritur [note: fewr drahen.] Ergo lignum ligno, ignemque concipit attritu: quem deinde excipiunt, materia aridi fomitis, fungi, vel fohorum. (15) quin arburibus etiam ventorum vi inter se collisis expressus ignis legitur. Adeo [note: fewer entstehet leichtlich.] Faecunda est ejus ratio, adeo seipsum parit. Quam ejus avidissimam voracitatem proculdubio intuebatur

---

Page 331/332, image: s201

(16) p. Syrus, cum diceret: suhum est vicinum ulcisci velle incendio: itemque alter ille: nam tua res agitur paries cum proximus ardet. (17) quod utrumque, etsi de una certa re positum est, transferri tamen in permultas alias potest: non minus ac illa quoque communia: (18) pati [note: bey einen feuer holen.] Ab igne ignem capere: ferrum cum igni candet, tundendum: culex lychno se committens aduritur: cineres vitans in prunas incidi. 19 hic non possum non laudare veteres romanos: itemque illum [note: suebon. In aug.] Caesarem: cujus patri, cum per secreta thraciae exercitum duceret, 29 in liberi patris luco, barbara ceremonia, de filio consulenti, affirmatum a sacerdoribus legitur: quod infuso super altaria mero, tantum flamme emicuisset: 21 ut supergressa fastigium templi ad coelum usque ferretur. Ut apud illos enim lege xii. Tabularum vetabatur: ne homo in urbe ureretur: 22 ita iste adversus incendia, nocturnas excubias, vigilesque commentus est.nec plinium juniorem hic praeterire debeo: qui cum nicomediae complures ades incendio consumtae essent, 23 trajano imperatori consilium suggessit, [note: ep. 42.] Ad incendia adhibendapercommodum. Nicomediae (scribit) vastissimum incendium multas privatorum damos, et duo publica opera, 24 quanquam via, interjacente, absumsit. Ect auem [note: der wind hat das fewer fortgetriben.] Latius sparsum primum violentia venti, deinde inerua hominum: 25 quos satis constat otiosos et immobiles tanti mali spectatores perstitisse. Et alioqui nullus usquam in publico sipo,nulla hama, nullum denique instrumentum ad incendia compescenda. [note: (h) allerley zeug/ so man in fewersnoth zum leschen und wehren brauchet.] 26 et haec quidem. Ut jam praecepi, parabuntur. Tu, domine, dispice, an instituendum putes collegium fabrorum, duntaxat hominum centum quinquaginta. 27 ego attendam, ne quis nisi faber recipiatur: nec jure concesso in aliud utatur. Haec ille. Nec dubito, quin consilio paruisset optimus princeps, 28 nisi metus majoris incendii sive mali inhibuisset: quod facultate in collegium coeundi facta, ansam [note: meuterepen.]Haeteriis praeberi fierique sic posse praevidebat: 29 ut vixdum sopiti factionum civilium ignes denuo vegetarentur. Itaque satius putabat comparari ea: quae ad coercendos ignes auxilio esse possunt: 30 admonerique dominos praediorum: ut et ipsi inhiberent: et si res poposcerit,

concursu populi ad hoc uterentur. 31 omnino singularis veterum,
in opprimendis mature incendiis, et sagax industria fuit. Quo illnd pertinet: quod cum acuminata ferramenta, pedibus aut genu aptarent, quibus nixi, muros ascenderent, 32 spongiis pectus muni visse legnntur, ne laederetur. Quod si quovis loco, magistratu curante, subsidia reprimendis ignibus, in propatulo quisque haberet: 33 si certi homines ignis restinguendi curam gerenet: ut si quam domum ignis corriperet, a reliquis eum arcerent: 34 profecto, non tot urbes, incendiis seu vastarentur, seu de formarentur; arces igni delerentur; oppida incendiis exurerentur. Quanquam negari nec debet nec potest: fieri saepenumero,
ut incendia, nulla arte, nullisque viribus comprimi possint, vereque tum locum habeat, 36 quod proverbio, inanis, aut parum utilis, nonnunquam etiam damnosae operae, dicitur, ignem dissecare aut diverberare. Id vero tum fieri solet: cum supremum numen in
homines incensum est: (37) ejusque imperio, incendia, ut plinius loquitur, luxum, et caetera hominum vitia puniunt: [note: es hat auf eine zeit das fewer in unterschiednen ortern grossen schaden gethan.] Saepeque idem tempus, diversa loca gravi igne adsicit. (38) enimvero est ignis res multae utilitatis: nec temere ab aeschylo [gap: greek word(s)] (universarius artifex) anpellatus: quod sine ejus auxilio, nulla possint confici instrumenta, 30 aut artium opera: quibus quotidie utimur. Itaque etiam, qui amicitiae conjunctam necessitati summam utilitatem voluit paucis exprimere, (40) non aqua, dixit, non igni, pluribus locis utimur, quam amicitia: quod plurimorum deinde voce vulgatum fuit. Sed idem ignis quantam non vastitatem efficit; quantam non infert excisionem: cum deus exarsit? Quorsum vero haec? Ut tanto diligentius caveamus: ne divini furoris ignem, aggerendis peccalotum lignis, foveamus; (42) aut sepultum etiam, discussis vitiorum flabello, clementiae cineribus, exuscuemus. Solet namque deus, etiam cos, quos genuit, si vitiorum fuliginem bibant, flamma persequi, (43) liceat enim ad deum transferre: quod de fortuna, ex judicis errore, dixisse demetrius ille poliorcetes legitur: 44 cum toties victor, in hostis tandem potestatem venisset: arque procedente tempore, in adagium abiit, in eum usurpandum; qui damno assicit, quem ante opera et re adjuverat. (45) obversentur igitur animi oculis divinae in scelera ultionis vestigia: quae cum diversis locis, tum expressissima omnium in palaestina exstant, (46) everfis igne, coelitus in imbris morem irruente, sodoma, gomorrha, adama, zeboimque urbibus. Historia ex sacris annalibus nota est: ut minime opus sit adducere. 47 addam tamen, quae de harundem urbium supplicio, apud profanos etiam autores invenire [note: histor. 5.] Licet. Haut procul ab asphaltite lacu (scribit tacitus) campi sunt: (48) quos certum est olim uberes, magnisque urbibus habitatos, igne coelesti flagrasse, fulminumque jactu arsisse. Manent vestigia, terraque specietorrida vim frugiferam perdidit. (49) nam cuncta sponte edita, aut manu sata, sive herba tenus sive flore, seu solitam in speciem adolevêre, (50) atra et inania velut in cinerem vanescunt. Solinus

---

Page 333/334, image: s202

Autem, ille plinii aemulus, in eundem prope sensum: longo ab hierosolymis, inquit, recessu, tristis panditur sinus: (51.) Quem de caelo tactum testatur humus nigra, et in cinerem soluta.gignuntur illic poma, quae licet speciem habent maturitatis, mandi tamen non possunt. (52) nam [note: oepffel/ so von aussen ein schon ansehen haben/ inwendig aber vol ruß seind/ wan man sie ein wenig drucket/ geben sie einen rauch von sich/ und zerfahren zu aschen. Lib. 16. C. 40.] Fuliginem. Exinsecus favillaceam, ambitio tantum extimae cutis cohibet: quae vel. Levi tactu expressafumum exhalat, et fathiscit in vagum puluerem. (53) vellem quovis horto, quovis nemore, ad angiportus, ad templa, ad curias, ad viarum divortia, ad denique nullas non aedes arbor staret: quae poma ferret ejusmodi: (54) ut perpetuo hoc et nulli non obvio divinae irae monumento, tandem vel poenae fomidine, majori pietatis studio flagraremus. (55) tum enim operam daremus, neflagitia gliscerent: ut improbitas, ut cupiditalum ardor restingueretur; avaritiae, odiorum, libidinum stammae opprimerentur. (56) inhibendum quibus cunque potest modis, peccatum. Minimisenim, quod de igne a plinio dicitur, crescit

scintillulis: et, quacunque via datur, irrumpit. Ignis ad torrem, tuio ad ignem dicimus: cum negotium confectu facile; 57 cum ad ea aliquem studia applicari, ad quae natura proclivis sit, significare volumus. Utrumque non absurde ad peccatum, hominemque transferri posset: 58 quorum hic, peccandi fomitem, nullo non tempore circumfert; hoc, nunquam non quaerit.

Epistola.

Rogas me, ut eripiam tibi dolorem: quem inustum tibi scribis: cum hostilis stamma. Bibliothecam tuam, (59) sive; [note: atic. E. 16] ut tu cum cicerone appellas, [gap: greek word(s)] tuum, depasceretur. Vellem is essem: quem nimium amaus me fingis: atque, ut amaltheae cornu facultas erat; (60) ut quicquid [note: nat. C. Myth. C. 2.] Ab eo optaretur, qui illud haberet, sive potus, sive cibus, continuo nasceretur: sic mihi suppeditaret flumen gravissimorum atque optimorum verborum, (61) quibus dolorem quo in hac tua calamitate exarsisti, possem extinguere. Expues ergo ipse ex animo dolorem, mentemque abstersa quasi fuligine ad hilaritatem traduces. (62) et est tibi domi tuae luculentus focus: ut minime opus habeas, a meo exiguo igni, sive ut vereri utar verbo, [note: lucubrum, ein geringes fewrlein.] Lucubro, ignem capere; aut ad eum te pandere. Nosti enim, nec me monenre, quae tu vulcano ab impio milite data tantopere doles, non esse exiis, quae combusturae nonsint obnoxia. [note: lipsius in bibliotheca.] (64) incendio certe cremabatur alexandrina illa: cujus quota pars tua fuerit, facile exputabis: qui non ignoras: nobilem ilsam pergamenam, (65) quae ducenta milia librorum singularium habebat, ab hac ipsa, quinque millium centuriis, fuisse superatam. Nec est, quod manu scriptos aliquot poetas ambustos, adeo lugeas. (66) erat in bizantina bibliotheca draconis intestinum, centun et viginti pedes longum: cui homeri poemata aureis literis inscripta fuerunt. (67) etiam hoc, igne hostili manu in urbem immisso, communi cum bibliotheca tota incendio arsit, cines actum est, periit.

Cum corinthum, illud graeciae lumen, illum alterum orae maritimae oculum, 65 incendium non vexaret sed aufferret, procul dubio hujus generis infiniti flammis absorbebantur.
Templo autem, coeli deo sacro, hierosolymis, manu hostium deflagrante, 68 quot putas, et eos quanto illis tuis diviniores, in cineres fuisse redactos. Quid? Nullaene unquam bibliothecae vivae, et ambulantia musaea, flammis perierunt: ut diffusae eruditionis hominibus, 70, hoc elogium commodet, qui primus meruit, longinus rhetor. Quid? An non ipsae naturae liber, quem vocamus, ad extremum ignescet, deflagratione coeli et terrarum futura? 71 memineris etiam hic: dudum te evadere ex hoc belli incendio potuisse: si exuri tibi vetus illud verbum potuisset: patriae fumus igni alieno luculentior.

72 quanquam nemo nostrum usque adeo instructus est a prudentia: ut rectam semper viam et tutam secet: atque ita, quod calypso apud homerum, ulyssen monet, 73 extra fumum et undas.cogitabis praeterea: saepenumero a nobis ipsis causam esse: cur hujusmodi dolorum faces deus in nos jactet.

74 an non enim saepe faces admovendae sunt, quae nos excitant, vere pietati indormientes? Quam paucis precum ignibus arae labiorum nostrorum adolescent? 75 quam parce adolemus deo debitas laudes! Quam pleraque nostra sacra sunt sine sale imperatae integritatis! Ut, quemadmodum ille, convivium tenue, a pauperculorum sacris, sacrum sine fumo, vocavit, 76 ita mihi liceat appellare: quae nunc passim adolevit ratio, dei, externis tantum professionis publicae et sacrorum officiis, honorandi. 77 his atque hoc genus aliis meditandis, dolor quo nunc aestuas, quemque tibi in dies regliscere magis magisque scribis, si non restinguetur, saltem refrigerabitur.

Page 335/336, image: s203

Adyti linguae latinae, titulus v. De igne.

1. Prometheus. Hic, ut in fabulis est, minervae beneficio in caelum evectus, ferula, quam secum attulerat, rotae solis admota et accensa, primus ignem in terram detulit: et ob hoc furtum lemnium [hoc est, sive nefarium, sive quod multorum gravissimorum malorum causa fuit] 2 a jove caucaso affixus suit. Frater illi adjungitur epimetheus. Utrumque factum quodammodo appellativum. Prometheus enim quilibet dicitur, cui consilium suppetit, ad videndum, quid facto opus sit: epimetheus contra, qui re peracta, 3. Tum demum videt, quid facto opus fuerit. Oriuntur ab eodem nomine, diversis praepositionibus. [gap: greek word(s)] [in compositione [gap: greek word(s)] viritur in [gap: greek word(s)]] cura est; [gap: greek word(s)] ante, [gap: greek word(s)] post.

Amphiaraus: a quo divinatio ex inspectione
ignis, graecis pyromantia, plinio ignispicium, inventa legitur, apud plinium lib. 7. C 56.

4 vulcanus poetarum commento ignis praeses: unde et ignipotens a virgilio appellatur. Romae certis diebus sacra illi fiebant, dicebanturque vulcanalia.

Pyracmon, unus ex vulcani ministris: cui a poeta aeneid. 8 brontes et steropes, laborum socii, adjunguntur.

P. 5 ut placet vobis, amici, tritum hoc: tria sunt mala, aequor, ignis, foemina. [note: ex gnom gr.] Equidem non dubito: quin, qui dixit, dixerit expertus in se. A. De aqua facile assentior. Nondum decem menses sunt: [note: vid. Pers. Sat. I.] 6 cum tertiam tabulam circumferebam naufragii indicem, rogandae stipis causa. D foemina velim vos judicetis: inprimis, si quis vestrum domi, [note: sie mann/ oder sie herr. Menand.] Tanaquil aut afraniam habet. V. Haut facile conjugem nansciscier bonam. Py. 7 quam vere hic usurpari illud posset, ignem palma! Nam simul ac verba ista amphiarao effluxerant, statim in se dici putabat vulcanus. Nimirum sic illi, quorum manibus per lusum ignis aut flammula admovetur, subito sensu excitati resiliunt. A.

[note: plaut. Amphit] 8 quod dictum est per jocum non aequum est id te serio praevortier. Si quid tamen deliqui, veniam dabis. P. Quam tu rogando prudenter facis! Monitus, ut opinor, vulgato illo, ignis igni non extinguitur. Sed quid dubitabimus, 9 quin foemina in malorum classe poni debeat: cum sola etiam ejus men tio faciat: ut vulcanus noster ira effervescat. V. Non irascor: sitque per me malum mulier: sed necessarium. Etiam venustaris elogium maneat 10 illi nescio cujus laconis: qui cum uxorem duxisset perpusillam, e malis, dicebat, minimum esse eligendun. P. Sed de igne quid? Py. Eum vero in malis numerare ego tanto minus dubito: quanto illud tritius est: 11 ut negotia, difficulratum, periculorum plena, ipsa item pericula, ignis, flammae nomine saepe significentur. 17 hinc cicero, cum summam doloris vim exprimere vellet, ardentes eum faces intenare scripsit. Hinc eidem, ut vulgo, dicitur, venire in ipsam flammam, qui in praesentissimum periculum venit: incedere per ignem, calcare ignem, qui in magno periculo est, aut in negotio versatur periculoso: currere per flammnam, qui quidvis perpetitur, cuivis deservit, dum quod petit, assequatur: 13

prudens manum in flammam immittere, qui sciens se discrimini exponit: per ignem erumpere, qui quidvis periculi subit: veste circumferre ignem, qui suum ipsius malum fovet: aliera manu ferre aquam, altera ignem, 14 qui coram blandus est, occulte nocet: et, quod parasitorum proprium est, e flamma cibum petere, qui quidvis cibi causa facit, patiturque: servari e media flamma, qui aut litibus irretitus, aut periculis implicitus, explicatur. 15 multa hujus generis apud ciceronem invenies. Cum enim dicere potuisset, nullis sese non, patriae servandae causa, etiam gravissimis periculis, objecisse, maluit dicere, excepisse sese stammam temporum et pro patria exarsisse: 16 esse in eadem invidia, esse in eadem invidae flamma: certo et magno periculo objicere, mittere in flammam magnam ac inveter atam: morte subduci miseriis, mori et tanquam ex incendio effugere fortunae: invidia premi, invidiae. Incendio conflagrare: 17 esse adjumento alicujus nequitiae aut incitamento, ardentes faces alicujus furiis ministrare. P. Itaque exiguos in iis humanitatis igniculos, et commiseratioms scintillulas esse dixerimus: qui spectandis incendiis non commoventur. Me certe horror dolorque summus persudisset: 18 si spectator fuissem, considentis in cineres dianae ephesinae templi, illius e septem mundi miraculis non postremi, a tora asia ducentis viginti annis facti. Etsi enim timaeus, [note: h. Deor. 2.] Postquam in historia dixisset, qua nocte natus alexander esset, 19 eadem dianae ephesiae templum deflagravisse, minime id esse mirandum, subjecit: quod diana, cum in partu olympiadis adesse voluisset, abfuisset domo: mihi tamen semper visa sunt verba illa, hominis parum

---

Page 337/338, image: s204

Curantis cladem tanti operis: 26 cujus ornamenta plurium librorum instar obtinebant. A. Nisi forte, vir sapientiae laude celeberrimus, ridere hoc modo voluit vulgi stultitiam: quod dianae divinum honorem attribuebat: quae a domo tamen sua ignes abstinere, 21 et ab incendio flammaque tutam, nisi praesens, praestare non passet. V. Ego nec ferri stricturas metuo, nec igneos aetna vomit globos. Dudum etiam deprehendi verum esse: quod etsi a comico alio sensu dictum est, latissimi usus est potest, 22 fumo comburi nil potest, flamma potest. Nam quod quintus cicero t. Catieno minabatur, se curaturum, ut fumo, applaudente tota provincia, combureretur, ad ea, quae per abusionem dicuntur, referre liceat. 23 sed tamen quoties theogenis illius recordor numantini, toties non mediocri dolore exardesco. Audite enim. Vir, omnes cives nobilitate, pecunia, honoribus praestans, perditis et afflictis rebus numantinorum, vicum suum, qui in urbe speciosissimus erat,coniractis undique nutrimentis ignis, incendit: 24 strictumque gladium prodtinus in medium ponit: ac binos inter se dimicare jubet: ut victus, incisa cervice, ardentibus tectis, superjaceretur: et cum tam immani lege mortis omnes absumsisset, ad ultimum sese flammis im, mergit. Py. 25 movere hic casus non te unum, sed quemlibet posset: atque adeo ipsos etiam indiae sapientes, qui cum se ad flammam applicarent, sine gemitu adurebantur. Quanquam non minus miserabile fuit excidium carthaginis: cum tanta illa urbs, 26 et de terrarum orbe cxx annos romae aemula, in flammas abiret: et unius pomi argumento everteretur. Nam quanta urbs deleta sit, ut de caeteris taceam, vel ignium mora probari potest: quippe per continuos decem et septem dies vix potuit incendium extingui: quod domibus ac templis, sponte miseri cives immiserant. P. Mihi totius historiae ea potissimum pars lacrymas excutit: qua narratur, quomodo hannibalis uxor, comprehensis duobus liberis, a culmine domus in medium se incendium miserit, 28 reginam quodam modo imitata, quae urbem condiderat. A scilicet hoc praemium esse solet fractae fidei, hi fructus percipi: cum non memores sumus ejus, quod pythagoras dicebat: ignem gladio ne fodito: 29 ira incensum, odio tui flagrantem, ne lacessas. Erant enim carthaginienses in acerbissimo apud romanos odio: et tamen contra foederis legem audebant, adversus numidas quidem semel parare classem et exercitum; frequens autem masanissae fines territare. 30 exciderat proculdubio tum animis illud vetus verbum: est et ignis plus altero

igne urens, lupusque saevior aliis lupis: et velocior accipitre accipiter in volando. Quo docemur, neminem tam esse ferocem: quin alius ferocior reperiri possit. V. 31 quod de odio populi romani in carthaginem, mentionem fecistis, fecit ut in memoriam revocer catonis: cujus quantum in eam urbem odium fucrit, luculentus in eam rem testis plinius prodeat: quem tanto alacrius audietis, quod eadem opera intelligetis, 32 quomodo pyracmon dixerit, unius pomi argumento eam eversam. Cato (scribit) perniciali odio carthaginis flagrans,nepotumque securitaris anxius cum clamaret, [note: so offt der rath zu sammen kam.] Omni senatu, carthaginem delendam, attulit quodam die, praecocem ex ea provincia ficum, ostendensque patribus, 33 interogo vos (inquit,) quando hoc pomum demptum putetis ex arbore? Cum inter omnes recentem esse constaret: atqui tertium (inquit) ante diem scitote decerptum carthagine: tam prope a muris habemus hostem: 24 statimque sumptum est punicum tertium bellum, quo carthago deleta est. P. Quemadmodum video catonem non temere tanto odio exarsisse in illam tyriorum coloniam: sic miror, quid animi fuerit neroni, cum romam (quam ipsam, non multis ante annis, sub tiberio ignis violentia ultra solitum adfecerat, 35 tam palam incenderet: ut plerique consulares, cubicularios ejus cum stupa taedaque in praediis suis deprehensos, non attigerint: et quaedam horrea circa domum auream, quorum spacium maxime desiderabat, bellicis machinis labefactata atque inflammata sint: 36 quod saxeo muro constructa erant. A. Sunt, qui ossensum deformitate veterum aedificiorum, et angustiis flexurisque vicorum, jussisse scribunt: ut ignes iis tectis subjicerentur. Py. 37 ego cum tacito facio, qui casu-ne an fraude caesaris, urbs incendio hausta fuerit, asserere non audet. Si lubet recitabo locum illum totum. V. Facile audiemus. Py. Sequitur clades, forte an dolo principis, incertum: nam utrumque autores prodidêre: 38 sed omnibus, quae urbi per violentiam ignium acciderunt, gravior atque atrocior. Initium in ea parte circi ortum, quae palatino caelioque montibus contigua est. Ubi per tabernas, quibus id mercimonium inerat, quo flamma alitur, 39 simul coeptus ignis, et statim validus, ac vento citus, longitudinem circi corripuit. Neque enim domus monumentis seprae, vel templa muris cincta, aut quid aliud morae interjacebat. Impetu pervagatum incendium plana primum, deinde in edita assurgens, rursus inferiora populando, [note: das fewr nam so schleunig vberhand/ daß man zum leschen nicht kommen konte.] Anteiit remedia velocitate mali, (40) et obnoxia urbe artis itineribus, hucque et illuc flexis, atque enormibus vicis, qualis vetus roma

---

Page 339/340, image: s205

Fuit. Eo in tempore nero antii agens, non ante in urbem regressus est: 41 quam domui ejus, qua palatium et mecaenatis hortos continuaverat, ignis propinquaret. Neque tamen sisti potuit, quin et palatium, et domus, et cuncta circum haurirentur. Sexto demum die, apud imas esquilias, finis incendio factus, 42 [note: kundten dem fewer anders nicht steuren/ als daß sie die hauser weit unnd breit herumb abbrachen/ dz das fewer nichts mehr anzugreiffen hatte.] Proruptis per immensum adisiciis: ut continuae violentiae campus, et velut vacuum coelum occurreret. Nec dum posito metu redibat. Levis rursum grassatus ignis patulis magis urbis locis eoque strages hominum minor. 43 delubra deum, et porticus amoenitati dicatae, latitus procidere. Plusque infamiae incendium illud habuit: quia praediis tigellini aemiliams proruperat. Ex quatuordecim, in quot regiones roma dividitur, quaruor integrae manebant; tres solo-tenus dejectae: 44 septem reliquis pauca tectorum vestigia supererant, lacera et semiusta. Fuere qui annotarent, xiv. Kal. Sextiles, principium incendii hujus ortum: quo et senones captam urbem inflammaverant. P. Facile adducor, ut incendium jussum credam: dum ingenium cogito principis, et immaniratem naturae. 45 qui dicente quodam in sermone communi,[note: sueton. In nerone.] Me mortuo terra misceatur igni,

Imo, inquiebat, me vivo. Qui ipsum hoc incendium ê turri mecoenatiana prospectans, laetusque flammae, ut ajebat, pulchritudine, [gap: greek word(s)] ilii, 46 in illo suo scenico habitu, decantabat. De alexandro miror illo, cui res et actae, et auctae magni nomen fecerunt, quis furor regem agitarit: cum opulentissimae torius orbis regiae faces ipse admoveret a. Carebat tum vinum clavo: [note: athenae.] 47 quod a graecorum varrone usurpatum est: cum exprimere vellet: quam ebrietas nihil consulte moderateque, vel faciat, vel dicat. V. Ignem igni, quod in proverbio est, addiderat alexander: postquam ad aetatis fervorem, naturamque paulo acriorem, et quandam vindictae libidinem, calor etiam accesserat vini. A 48. Tibi hoc dicenti non possum non assentiri: [note: curt. L. 5.] Cum is ipse qui vitam ejus libris aliquot persequutus est, id maxime in eo reprehendat: quod ingentia animi bona, haut tolerabili vini cupiditate, faedarit. P. 49 et erat alexander, homo summa potentia: sed ignarus, quemadmodum rebus secundis uti conveniret: quod judicium [note: tuscul. Q. 3] theophrastus de eo ferebat: cum sodalis sui callisthenis interitum deploraret. Sed observemus hic illud: 50 quod inter adagiones arripiendae occasionis, numerari solet, vivit, incende ignem: monebimusque amphiaraum: ut, quoniam curtii mentionem injecit, ex eodem nobis reddat: quae de persepoli, ignito alexandri furore, et aliorum furoribus inflammato, deleta notavit. A. 51 lubens sane reddam. Rex de die inibat convivia: quibus faeminae intererant pellices, licentius quam decebat cum armato vivere assuetae. Ex his una thais, et ipsa temulenta, maximam apud omnes graecos gratiam, regem initurum affirmat: 52 si regiam persarum jussisset incendi: exspectare hoc eos, quorum urbes barbari delessent. Ebrio scorto de tanta re referenti sententiam, unus et alter, et ipsi mero onerati, assentiuntur. Rex quoque fuit avidior, quam patientior. Quin igitur ulciscimur graeciam, 53 et urbi faces subdimus? Omnes incaluerant mero. Itaque surgunt temulenti, ad incendendam urbem, cui armati pepercerant. Primus rex regiae ignem injecit: tum convivae, et ministri, pellicesque. Multa cedro erat aedisicata regia. 54 quae celeriter igne concepto late fudit incendium. Quod ubi exercitus, qui haut procul urbe tendebat, conspexit, fortuitum ratus, ad opem ferendam concurrit. Sed ut ad vestibulum regiae ventum est, vident regem ipsum adhuc aggerentem faces. 55 omissa igitur, quam portabant, aqua, aridam materiam in incendium jacere caeperunt. V. Egregium vero facinus, et ab ipso autore multam laudem habens. Rex tantus, vino animum praecipitante, [note: curt. Ibid.] Ad incensionem ruit regiae totius orienris: 56 unde tot gentes ante jura petebant: quae patria erat tot regum, unicus quondam graeciae terror: molita mille navium classem, et exercitus, quibus europa inundata est, contabulato mari molibus, perfossisque montibus: in quorum specus fretum immissum est. Quod si causa erat, quamobrem incendium offerret arci, saltem ne vino plenus ignes illi subjecisset. Py. Quique paulo ante suis jusserat, abstinere corporibus et cultu faeminarum, atque adeo videbatur injuriae, graeciae olim a persis illatae, jam oblitus 58 ollaeque vestigium, quod proverbio dicitur, in cinere confudisse, unius scortilli voto incensus, nobilissimae regum sedi inflammationem infert. P. Urebat tum alexandrum aliquid, ut dicitur, sine torre: obscaenum, pudicitia prostituta, faemi nae desiderio gratificandi studium, 59 et pudenda ultionis sumendae libido. A. Sed mittamus de istis dicere incendiis. Tu, vulcane, si quid praeterea habes, quod de igne disputes, fac audiamus. V. Vultis ergo ignem humidum vobis exhibeam. Py. In si tu feceris, 60 abrogandum in posterum erit illud absurditatis significandae adagium, igni aquam miscere. A. Vulcanus ignem intelligit, ut puto, qui graecus vulgo dicitur: quique quod in aquis vivit, humidus dici posset, graecorum imitatione. Pyracmon ignem mallet lapideum.

Page 341/342, image: s206

V. 61 sed carbunculum illae propter siciliam meae vulcaniae insulae non ferunt. Placet-ne ignis sacer? Py. Hoc vero corripiantur incentores et incensores turbarum: qui propter rei familiaris implicationem, [note: cic. P. Sest.] Communi incendio malunt, quam suo deslagrare: 62 qui

cum catilina, catoni alicui, judicium minitanti ac denuncianti, respondere audent: si quod fuerit in suas fortunas incendium excitatum, id se non aqua, sed ruina restincturos. A. Vulcanus de igne loquitur illo, 63 quem sacrum persae vocabant [note: curt. L. 3.] Et aeternum: qui dario, in aciem contra alexandrum ituro, argenteis altaribus praeferebatur. P. Sed hoc ignis genus [note: in tuscul. Q. 5.] Non opus erat quaerere apud illos populos: qui xenophonte teste, nihil adhibebant ad panem praeter nasturtium: 64 et romae enim, ignis foci publici sempiternus, a virginibus custodiebatur, in vestae delubro: a quo, cicero, oppressa catilinaria conjuratione, facibusque ad urbis extinctis, gloriatur se pestiferam illam ac nefariam flammam depulisse: 65 passumque minime [note: orat. Pro d. 5.] Esse, ignem illum sempiternum, aut civium sanguine restingui, aut cum totius urbis incendio commiscere. A. Pyracmon noster leo est: nihil perinde metuit ac ignem. P. Quid si, vulcane, diceres illi illud illius illo loco, accede ad ignem hunc et calesces plus satis: py. 66 non abnuerem, si sensu diceret; quo bibones solent; cum suos invitant combibones. V. Non item eo, quo ipse [note: sueton. In de grammat.] Comicus. Py. Regeram ego in te: quo sensu orbilii solent: cum virgas quatiunt, jam jam in gibberosi alicujus muraenae, aut domitii marsi morituras sive pyga sive puga. V. 67 pyracmon, ut sentio, igne caeco carpitur. Py. Quo tu urebare; cum minervam insano amore deperires. Ut vivo igne, ut vivis carbonibus ustuletur ille absurdus erichthonis parens! A. 68 hoc quidem est, igni, quod dicunt, ferroque minari. P. Lucubri instar est pyracmon: quod veteribus erat, quicquid facile ignem concipit. Adeo minima saepe de causa effervescit iracundia et stomacho. A. Talis est, atque aphya piscis: 69 qui admotus igni, quod mollis est ac tener, protinus decoquitur: atque hoc ipsum propter, proverbio locum fecit, inter festinationis numerari solito: aphia ad ignem. Py. Sic sane de fumo ad flammam tendo: ut in vulgus loqui solemus. 70 ita enim vos si perrexeritis, ardentes cavillorum faces vulcano adjicietis: quas in me deinde jaciet. Valete ergo. Est mihi necessarium [note: plin. L. 4. C. 12.] Iter in delum: quae et pyrpyle dicitur, igne ibi primum reperto. P. Nec ante vulcanum tibi reconciliabis. Py. 71 [note: cic. Philip. 13.] Prius undas flammamque, ut ait poeta, nescio quis: prius denique omnia, quam cum illo redeam in gratiam. A. Quid facturus in illa insula. Py. Ibi cives, excitandis passim ignibus, testabuntur suum de adventu meo gaudium. A. Per me etiam [note: racheten werffen.] Ignes missiles fundant: 72 siquidem moris est apud eos: ut is honor deferatur: qui ignem folle excitant, aut reficiunt. P. Quam bene ennius iram initium dixit insaniae: nec enim nosti, quid de te amphiaraus quaesiverit. Py. Quid ergo? P. Quid facturus sis apud delios. Py. 73 conflaturus hephaestia sive vulcania vincula: quibus vos, qui veluti in velabro olearii solent, adversus me conspirastis, ita constringam: ut expedituri vos non sitis: non aliter ac curruca vulcanus, nodis inextricabilibus martem ac venerem irretiebat. A. 74 sed exibunt contra te, vulcano duce, omnes aetnaei fratres. Py. Eos ego omnes ita delebo: ut ne ignifer, quod dicitur, reliquus futurus sit. P. Mittamus thrasonem. Et tu nunc, si placet, perge hephaeste. V. Ordiar ab hephaestiis montibus. [note: plin. L. 2. C. 106.] 75 hi in lycia, taeda flammante tacti, flagrant adeo: ut lapides quoque rivorum, et harenae in ipsis aquis ardeant: aliturque ignis ille pluviis. Baculo si quis ex iis accenso traxerit sulcos, rivos ignium sequi narrant. Flagrat in phaselide mons chimaera, 76 et quidem immortali diebus ac noctibus flamma. Ignem ejus accendi aqua, [note: l. 1. D. 2. N. D.] Extingui vero terra et foeno ferunt. P. Quid tu nobis hic monstri narras. Sane chimaeram aut fuisse unquam, aut omnino etiam esse posse, pernegat apud ciceronem cotta. A. 77 de monte vulcanus loquitur: non de illo apud poetas decantatissimo ectrapelo animali. Quanquam ab ipso monte factus est locus fabulosae illi caprae. Quia enim in vertice globos flammarum voluit; medio pauscuis abundat; ad radices fontibus scatet atque aquis; sumsit apud poetas caprae imaginem, 78 quae esset, prima leo, postrema draco, media [note: plin. Eod. L.] Ipsa chimaera. V. In medio mari hiera, insula aeolia, sive una ex aeoliis juxta italiam, cum ipso mari arsit, per aliquot dies, sociali bello: donec legatio senatus piavit. 79 reperitur apud autores, subjectis ariciae (oppidum est italiae) arvis, si carbo deciderit, ardere terram. In salentino oppido egnatia, imposito ligno in saxum quoddam ibi sacrum, protinus flammam existere. Apud aethiopas jugum est, theon ochema 80 (puto [gap: greek word(s)], deorum vehiculum) dictum. Id maximo ardere

incendio legitur: torrentesque solis ardoribus flammas egerere. Quod subjungo, prope [note: plin. L. 7. C. 2.] Fidem excedit. In faliscorum agro familiae sunt paucae, quae vocantur hirpiae: 81 quae sacrificio annuo, quod sit ad montem soracten apollini, super ambustam ligni struem ambulantes non aduruntur. A. Difficile

---

Page 343/344, image: s207

Hoc ad credendum. V. Tibi-ne hoc difficile ad fidem? Atqui vulcanus loquutus est, a. Est ita: 82 verum haut scio, an hic locus sit dandus illi, quod in proverbiis numeratur: vulcanus dixit, aut vaticinatus est: quod suspicatur non nemo tum dici: cum quis credit se rem habere certam, velut ex oraculo auditam. V. 83 careat sane per me apud te fide: dum autore non caret. Plinius profecto ita narrat: quasi quod sua etiamnum aetate fieret. Et ob id, inquit, perpetuo senatus-consulto militiae omniumque aliorum munerum vacationem habent. A. 84 similes ego erant [note: l. 10. C. 67.]Salamandrae: cui tantum rigorem esse idem scribit plinius: ut ignem tactum extinguat, non alio modo, quam glacies. V. Etiam hoc nomine plinium rides: qui primus tamen non scripsit. 85 certe enim, etiam aristoteles, hoc lacertae genus nullis obnoxium flammis, prodidit. Quin aegyptii, [note: apud horum apollon.] Hominem flammis obsessum, non tamen consumptum significaturi, salamandram [note: l. 2. C. 57.] Pingebant. A. Malo ego dioscoridem sequi: qui falso creditum, salamandram non cremari igne, testatur. 86 galenus quidem [note: 4 [gap: greek word(s)]]perridiculus fuisset: quo loco cinerem conflagratae salamandrae requirit: siquidem igni esset impervia, et ad cinerem amburi non posset. Quod ista vero opinio apud veteres adeo irroboravit, putem ex eo factum: 87 quod ob terreae cutis duritiem, aliquantisper ignem ferat. Nam diutius admota in cinerem tandem crematur. Multa sunt hujus commatis apud veteres: quae nisi intra limites reducantur, multum distant a re ipsa et veritate. 88 muscis humore exanimatis, si cinere condantur statim, redit vita, non reditura, si plusculum temporis intercesserit. Aqua marina incendium excitari potius, quam restingui certum est: si magna tamen ejus vis affundatur, [note: l. 16. C. 10.] Fiet ut flamma stranguletur. 89 larix, plinii judicio, nec ardet, nec carbonem facit: [note: giebt keine kolen. Apud vitr. Lib. 2.] Nec alio modo ignis vi consumitur, quam lapides: flammamque vitruvio teste, ex igni non recipit. Credebat idem caesar: cum ad larignum castellum, turrim ignibus obvallatam, cerneret superesse citra nocumentum: 90 ligna vero, sarmenta, et fasciculos ex virgis alligatos, flamma depavisset. Sed si perrexisset caesar facere: ut magna horum [note: polyand. Ad vitr.] Congerie flamma convaluisset: vidisset proculdubio turrim ardore flamma conflagrare. Videtur enim larix primo flammas dedignari, et quasi a se discutere: 91 sed si largiore spacio ustuletur, ardet: estque apud multos, plurimus larigni carbonis usus, excoquendis ferri venis. V. Quid tu vero ad isthaec promethee? Cur a te uno tam diuturnum est silentium? An uni tibi adjungere his nostris [note: ap. Iuni. In adag.] Nihil licet: 92 perinde ut democari cuidam, inter athenienses uui, legitur non fuisse integrum, ignem vestae sacrum inspirare: ex quo, si quem improbum, et sceleribus opertum, notare volumus, sacrum illi ignem inflare nefas dicimus. P. Licebat quidem, sed non libebat. 93 versabar enim in meditanda amphinomi et anapiae fratrum pietate: [note:senec. L. 3. De benef. Cap. 38.] Qui, cum aetna majore vi peragitatus, in urbes, in agros, in magnam insulae partem effudisset incendium, parentes suos vexisse leguntur. Dissedisse creditum est ignes: et [note: daß fewer habe sich getheilet/ und gleichsamb eine gasse gemachet.] Utrinque flamma recedente limitem adaperium, 94 per quem transcurrerent juvenes, dignissimi, qui magna tuto auderent. V. Tu vero ista animo et cogitatione percurrere interea: dum nos de fumo fumique umbra quod ajunt, et re non multi momenti, disceptamus? Sed, dicite tamen nunc mihi musae, 95 quomodo [note: wie ist es doch immer zugangent ad attic. L. 1. E. 16.] Primo ignis incidit: ut quem tullius ab homero mutuatus est locum, cum, cujus opera absolutus esset clodius, vellet exponere, ab eo ego mutuem ex te auditurus: unde tibi istorum siculorum juvenum in mentem venerit. P. 96 igneus menti vigor est. Ut ergo ignis in

materiam veluti insilit, si quae objicitur ad incendendum facilis: sic, cum de igne vos dissereretis, vocabatur animus in memoriam rei, quam dixi. A. Sed tamen, quod de hirpiis narrabatur, quo loco habes? P. 97 quo vos [note: l. 29. C. 4.]Illud, quod de gallinaceis idem refert: si circulus e sarmentis auri addatur collo, non canere. V. Audivi: sed comperisse me non audeo dicere. Et vero gallos facile patior vocales: dum xantippe faucibus faveat. A. Mihi vero nec licuit experimentum facere: 98 quippe cui incendium, quo [note: ich bin unlangst abgebrand.] Non ita pridem afflatus sum, quicquid erat ejus metalli, cujus sacra fames quidvis mortalia cogit pectora, absumsit. P. Non tamen doctrinam, non optimarum rerum scientiam: 99 quibus si bene munitum pectus habeas, patienter feres, etiam, si quid, quod ajunt,igne ferventius. A. Semper ego laudabo sapientem illum, biantem, [note: cicer. In parad.] Ut opinor, qui enumeratur in septem: cujus cum patriam pirenen cepisset et inflammasset hostis: 100 caeterique ita fugerent: ut multa de suis rebus secum asportarent, cum esset admonitus a quodam, ut idem ipse faceret: ego vero, inquit, facio. Nam omnia mecum porto. P. Probo judicium. Nec enim est, ut imbecilla ista, et commutabilia pecuniae membra tanti faciamus: 101 quae, quid tandem in plerorumque animis excitant, nisi, quod in proverbium cessisse scribunt, flammas sine vulcano, hoc est, curas, angores, libidinem augendi, amittendi metum. Sed bonorum animi possessione nemo nos dejiciet: etiamsi avaritia sit tam ardenti: ut vel ignem, quod inter adagia numeratur, praedari

---

Page 345/346, image: s208

Audeat. V. Et cum eruditione prudentiaque ita comparatum est: ut jure de illa usurpari queat hoc: scintilla etiam exigua in tenebris micat. P. Non aliter ac de viro constanti, suaque sibi virtute sufficienti illud alterum: 103 ignis cineribus alitur suis.

Problema. An ullum in igne animal gignatur.

Citius mare exuretur, prius phocensium ignitus lapis, sive mydrus, enatabit: quam adducar, ut credam: ulla in igne animalia generari: 104 quae aeliano eapropter pyrigoni dicuntur; latinis, adhibendo, quod apud ovidium est bacchi adjunctum, ignigenae vermes dici possent. Videtur tamen hoc stetisse quorundam ex veteribus opinioni. Nec enim ignoro, quid ea dere [note: lib. Ii. C. 36.] Plinius scribat. In cypri aerariis fornacibus, 105 ex medio igni, majoris muscae magnitudine, volat pennatum animal: appellatur pyralis suo ipsorum judicio, loquuti videntur. Peripateticorum [note: 2 de gener. Anim. C. 3.] Quidem princeps, 112 quo loco de viventibus in igne et nive disserit, statim de salamandra loquens, addit, ajunt. [note: i. Nat. D.] Nec minus caute cicero: sunt quaedam etiam, quae igne nasci putentur: appareantque in ardentibus fornacibus saepe volitantes. Sed quae de pyroto 113 (pyrotus enim a nonnullis pro pyrausta legitur) a plinio scripta sunt: ea etiam ad pyraustam, ut vulgo nascitur, pertinere dixeris. Advolat lucernis, ignique alludit: et quia amburendis alis ipse sibi perniciem struit, locum fecit proverbio, pyraustae gaudium gaudere:114 quod in eos usurpari potest: qui momentanea voluptate, longam saepe, saepe perpetuam miseriam obsonant. Quod si tamen cui ignis usque confoetat, nolim cujusquam ingenium contra ejus opinionem exardescat. Anticyram naviget aut oetae pyram adeat: [note: lib. 25. Cap. 4.] 115 circa quem ejus montis unum locum, optimum nasci helleborum scribit: qui pyraustas in igne nasci, aliorum sequutus fidem, scripsit.

N. B. Addebatur index trinus.

I vocum latinarum simplicium ex titulo de igne.

Ii vocum germanicarum.

Iii adagiorum sub hoc titulo occurrentium.

De sermonis latini studio, per vestibulum, ianvam, palatium, et thesavros latinitatis, quadripartito gradu pleno absoluendo, didactica dissertatio. Cui additur in usum iuventutis formatorum, de editorum jam in lucem vestibuli et ianuae, usu debito, informatorium. Autore i. A. Comenio.

Page 347, image: s209

Amplissimae wratislaviensium reipublicae amplissimis patribus conscriptis dominis consulibus, camerariis, syndicis, coeterisque senatoribus: in primis autem scholarum curatoribus et ephoris. Viris nobilissimis, strenuis, magnificis: qua natalium splendore, qua prudentia et rerum usu, praestantissimis. Dominis et fautoribus observanter colendis felicitatem perpetuam! Amplissimi domini,

Laudabile illorum esse institutum, qui longum, perplexum, asperumque puerilium studiorum iter, arte aliqua methodi ad brevitatem, facilitatem jucunditatemque revocare laborant; nemo id omnium qui rebus humanis quam optime consultum esse volunt, negaverit. Nam quia vita hominum non discendo, sed agendo et utendo, transmittenda est: agere vero et uti is solum potis est, qui didicit: didicisse autem solus is, qui recte fuit doctus: patet utiliter omnino eos ponere operam, qui faelici aliquo successu id agunt, ut docentibus et discentibus quam optima saluberrimaque suggerantur, et utrique nausea et taedio (quae a minus ordinata horum laborum pertractatione nimis quam ubertim proveniunt) liberentur. Plus dicam, quia dicendum est: qui id praestent, utdocentes minus doceant, quam vulgari [gap: greek word(s)]: discentes autem plus discant, quam usitata ingeniorum tortura.

Hoc quum nos praesenti etiam opusculo agamus, aut certe quomodo in scholis agendum sit, certa indagine exquiramus, certasque rationes et vias commonstremus: vestro id honori, amplissimi domini, vestraeque literariae pubis (quae florentissimae reipublicae vestrae seminarium est) usibus consecramus. Habeant sane id sibi commune, si volent, alii quoque: sed ita, ut quidquid inde utilitatis sperari, aut percipi poterit, id splendori prudentiae vestrae acceptum feratur: quorum laudabilis pro recta juventutis institutione cura, his cudendis, et in lucem edendis, ansam dedit.

Valete patriae lumina et columina. Supremus rerum humanarum praeses, ter optimus maximus deus, faxit, ut omnia vestra, publica et privata, in primis autem ecclesiae et scholae,

---

Page 348, image: s210

Floreant in perpetuum! Quo vestrae sapientiae ac prudentiae radii, successivo lumine, ad seram usque posteritatem feliciter se exporrigant!

Sic animitus vovet nobilissim. Et amplissim. Dignit. Vestrarum observantissimus iohan. Amos com. [gap: greek word(s)].

1637, dec. 22.

Ad virum clariss. J. A. C. Post vestibulum ianuamque latinitatis, commonstrantem ulterius elegantiae latinae palatium ac thesauros: denique pansophiae opus emolientem.

Vestibulo solo sine cultu posteriorum,
fertur epicteti clara fuisse domus.
Vestibulum solum potuit te reddere clarum:
vis tamen ut per te splendeat ampla domus.
Ianua proestructa est. Nunc deinde palatia monstras;
thesaurosque mones, qui pote, subjiciat.
Cedat epictetus nomen tibi, clare comen i:
sint ut epicteti tu dabis innumeri.
Annuat e coelo deus; ut sapientia per te
indatur posthac omnibus omnigena.

Scribeb. Georgius vechnerus th. D.

De latinae linguae studio perfecte instituendo dissertatio didactica.

Apellem plinius autor est, picta opera sua exponere solitum in pergula, atque post tabulam latitantem subauscultasse judicia: non tam ut se laudibus titillaret suis, si quas audisset, quam ut vitia quae a vulgo, curioso rerum censore, notari animadvertisset, corrigeret.

2 quod exemplum cum liceat cuivis artificiose aliquid tentanti imitari, ut censuras publicas, in artis profectum transferat; putabam etiam licere mihi, circa rem publicae utilitati nuper a me cogitatam et effictam, novam scilicet illam linguas compendiosius docendi formam, quam (aliorum idem antenos tentantium exemplo) linguarum januam appellari contigit.

3 exposui proinde opellam meam luci, meque abdidi, sexennio toto varia variorum judicia explorans: quae in tria omnino abierunt genera.

4 alii enim et quidem plerique, inventum laudarunt, hanc linguas docendi et discendi rationem talem rati, qua non detur melior: quippe ad normam rerum ipsarum accommodatam.

5 unde factum, ut non solum variarum linguarum versione ornata, variisque in locis typis descripta, sed et passim in scholas, non triviales duntaxat, verum et illustres recepta sit.

6 unus et alter repertus est, qui defectus notare, publiceque non ita plaudendum esse, monere coepit: opus esse inchoatum, non perfectum, quod perfici et emendari publica literarum salus postulet.

7 fuerunt denique, qui nec laudare nec vituperare sustinuerunt: id solum mussitantes, non pervidere se, qua ratione libellus iste promissum praestaret usum, ut ejus beneficio facilius, jucundius, celerius, in autorum lectionem immitti queat latinitatis tyro.

8 unde factum, ut cunctantius reciperent: exspectantes videlicet, vel consummatius

Aliquod, et magis ad scopum accommodatum, opus: vel saltem de vero et genuino hujus opusculi usu, informationem. Qua de re variis e locis, etiam transmarinis, admonitus sum.

9 quid egoigitur ad haec omnia? Primum, patior commune fieri, adeoque factum esse laetor, quidquid utiliter adinvenire dedit is, qui dat omnia.

10 non enim sapere possunt beselcel et ooliab, ad excogitandum quidquid affabre fingi potest (exod 31. V. 2.) Nisi dono ejus, qui fabricat mutum et surdum, videntem et caecum (ib. 4. 11.)

11 et quia servator noster dixit; ignem veni missurus in terram, et quid volo nisi ut ardeat? (luc. 12. 49.) Ardorem hunc caritatis omnes christi servos imitari fas est, ut quascunque luminis scintillas excussisse dedisset luminum pater, eas in flammam abire optent et gaudeant.

12 quod autem sint, qui quod carpant inveniunt, illorum quoque opera grata est; dummodo non livore, sed publici profectus amore, agant quod agunt: (quanquam et zoilorum den e perpoliri potest, cui undecunque prosiciendi occasiones cap are est animus:) ut quidquid mendorum au defectuum animadvertunt, suppletum et correctum eant: sive autorem, aut qui succenturiant, admonendo, sive ipsimet aliquid elaboratius, cui nostra haec jure merito cedere debeant, concinnando.

13 quod a quocunque fuerit factum, credat me pro defensione meorum non verbum unum esse perditurum: laudabo potius melioris inventi autorem; et gratulabor seculi profectibus; et dei bonitatem, quae ita gradatim dona sua communi cat mortalibus, celebrabo; et denique ipsemet omnibus ad haec quae certioris fuerint usus sequendum (quantum in me erit) serius hortator ero.

14 interim tamen, dum tale quid adornatur, placet illis qui circa nostrorum u sum haerent gratificari, id, quod non satis se videre fatentur, clarius commonstrando.

15 quod ut commode fiat, totius propositi nostri rationem plenius recognosci opus erit: non in eo solum quod jam factum est exstructa illa latinitatis ianua, et praestucto ei vestibulo) sed et quid praeterea fieri posse, atque adeo debere, dies nos docuit, ipsumque jam adauctius et defaecatius redditum didacticum lumen.

16 dicam igitur distincte. Primum, de moliminum nostrorum scopo et fine. Deinde, de mediis ad hunc finem. Tandem, de mediorum modo seu ratione et methodo, data media sic dispensandi, ut a scopo aberrari non possit.

17 finis didacticae hujus disquisitionis est, ut linguae latinae (quae postquam unius gentis propria esse desiit, communis europearum gentium mercurius, scholisque inclusa, eruditorum vinculum, et eruditionis vehiculum, facta est) studium reddatur expeditius: h. e. facilius, celerius, fructuosius, quam hactenus.

18 nempe, ut non tanta cum docentium et discentium molestia, fastidio, nausea; nec tanto cum aetatis annorumque dispendio; nec denique tanta cum remora et jactura scientiarum realium, uti sit, ad linguae hujus usum veniatur: sed ut cito et nito, facile et jucunde in optimos autores, illorumque auxilio in divinarum et humanarum rerum scientiam, deducatur christiana iuventus.

19 non enim psittacos suscipimus formandos, quos sine mente sonos tinnire satis sit:
sed creaturam rationalem, rerum dominam, expansae per omnia sapientiae dei spectatricem,

testem, interpretem. Quam verbis distendere, non rebus implere, est a divini consilii scopo aberrare, hominis majestatem diminuere, menribusque pro rerum scientia imagines et umbram instillando, turpiter imponere.

20 hoc ergo agendum est, ut linguarum (latinae inprimis) studium in restendat: quo non in loquacita em vanam, sed in sapieniem eloquentiam, desinat.

21 id quod nulla ratione alia impetrabimus, quam si perpetuo verba rebus connexa tradantur: quo una eadem opera mens et lingua semper erudiantur.

22 verba sine rebus, putamina sunt sine nucleo, vagina sine gladio, umbra sine corpore, corpus sine anima.

23 verborum proin copia, qui eruditionem metitur, quoties loquitur, nihil nisi loquitur, h. e. Garrit.

24 sapientia rebus constat, non verbis: sapiensque et vere eruditus res cogitat, res loquitur, res agit.

25 unde conficitur, verborum a rebus divortium cavendum esse: librosque, qui vocabulis solum occupantur et juventutem occupant, ad sacram hanc intentionem esse inutiles. Vulgaria intellige vocabularia, dictionaria, nomenclatores, syluas, phraseologias, abstractasque illas grammaticorum varias et operosas speculationes et commentationes.

26 res e rebus discendae sunt: sermo vero de rebus ex idoneis, qui res discripserunt, autoribus; ex his eleganti compendio,

---

Page 351/352, image: s212

Usuque solidissimo, cum rerum cognitionem, tum de rebus, sapienter, varie, prompte, disserendi facultatem simul nobis comparare possumus: alias nunquam.

27 stet hoc igitur fixum, latinam linguam, ut hauriendae realis eruditionis reale sit instrumentum ex autoribus esse discendam: et proinde, autorum bonorum enarrationem, scholis [gap: greek word(s)] esse.

28 opera ergo danda est, ut optimi quique autores, qui necessarias eruditioni materias pertractarunt, deligantur, et aliqua insigniter facili methodo propositi, in mentis succum et sanguinem converti doceantur: quo juvenes schola egressi, aeque animo ac manu et lingua prompti reperiantur, idoneique tum ad sapienter de rebus judicandum, nun ad statum vitae feliciter inchoandum.

29 hic siquidem verus scholarum est, esseque debet finis, ut nos vitae praeparent, et negotus vocationis quemlibet parem reddant: quod alia ratione fieri haud potest, quam ut alienis cogitatis, observatis, inventis, nostrum exsuscitemus genium et conformemus ingenium, ad optima quaeque similiter (quisque enim homo natus divinos in se fovet igniculos ipse quoque) cogitandum, loquendum, agendum.

30 quemadmodum enim lumen a lumine accenditur, et magnetis virtus ab admoto ferro provocatur, ita ingeniorum affrictu excitantur ingenia et exserunt vim suam.

31 maneat ergo, latinam linguam non nisi rebus et cum rebus, docendam discendamque esse: nempe ex autoribus res tractantibus.

32 verum enimvero, quia quidquid fit, gradatim fit; (ut naturae et artis exempla ostendunt) adeoque etiam, quod discitur, non nisi gradatim disci potect: in evidenti est, latinitatis tyronem in vastum illud autorum mare propelli non posse, sine praeparamentis, et praemunimentis quibusdam.

33 alias, vel allidetur difficultatum (quas nondum superare didicit) scopulis, vel insuetae adhuc et abyssi ad instar hiantis, varietatis fluctibus absorbebitur.

34 discat ergo in exiguo ludere cymba lacu, antequam se committat pelago.

35 sinatur pusio equitare prius in arundine longa, quam phaleratos fraenaque mordentes conscendat sonipedes.

36 discat ante balbutire infans quam loqui: et puer ante loqui, quam dicere: quia et cicero (tantus alias docendi artifex) negat se eum docere posse dicere, qui nesciat loqui.

37 et quomodo possit? Omnia non nisi gradatim eunt, quae sursum cunt.

38 e plantae semine, aut nucleo, nihil nisi virga primum nasci potest: e virga demum lentis auctibus arbuscula, ex hac arbor.

39 et in humana vita, nemo viriles annos, staturam, robur, assequitur, nisi qui prius embryon, infans, puer, adolescens, fuit.

40 nec aliter aedificia surgunt, quam ut primo loco rude ponatur, sed solidum, sundamentum; huic post super erigantur parietes; parietibus addantur trabium aut fornicum concamerationes; ultimoque loco omnia illa communiantur tecto.

41 etiam qui ad turris, rupis, aut montis alicujus fastigium conscendit, non nisi gradatim se elevando scandere potest: adeo natura et ars, nusquam saltum faciunt, nusquam ferunt.

42 manifestum inde fit, latinae linguae studium non ab integris completisque operibus, puta autoribus, auspicandum esse: sed a rudimentis et tyrociniis quibusdam, quae ad majora illa rite animos praedisponant ac praeparent.

43 sed et praeparamenta haec non unius esse posse generis patet: quia valde distantia unius alicujus interventu conjungi vix possunt.

44 altum certe aedificium dum erigitur, diversis aliquot contignationibus operarii habent opus, antequam fastigium imponant.

45 et quemadmodum vitae hominis certi sunt gradus seu aetates, distinctae; plane: ita culturae animorum et linguae, necesse est certos constitui gradus, coordinarique ita, ut alter ab altero surgar.

46 quemadmodum enim non ideo praemittitur aurora diei, ut maneat aurora, sed ut paulatim clarescendo tenebras in lucem, noctem in diem, commutet; et pictor non ideo lineamenta prima ducit, ut lineamenta maneant, sed ut magis magisque diducta, distinctam omnium

membrorum formam accipiant, eoque totam rem perfecte uti est repraesentent: ita linguae formatio a rudimentis incipit, ut ulteriore progressu perficiatur, tandemque in eloquentiam terminetur.

47 commodissimum autem videtur latini studii gradus, seu aetates quatuor constitui: ut nempe sit

Aetas prima infantilis, balbutiens.

Aetas secunda puerilis, adolescens.

Aetas tertia juvenilis, florida.

Aetas quarta virilis, valida:

Page 353/354, image: s213

Ubi discant loqui. Qualitercunque.

Ubi discant loqui. Proprie.

Ubi discant loqui. Eleganter.

Ubi discant loqui. Nervose et potentner.

48 primus itaque et infimus gradus erit, aliquid latini intelligere, et qualiterenque efferre posse. (verum enim maneat oportet illud: quidquid incipit, rude est. Item: qui nunquam male, nunquam bene: et: nemo non errat, nisi qui quam saepissime erravit.)

49 secundus gradus altior erit, quasuis obvias res, omnesque usitatiores mentis conceptus, exprimere posse, vero, proprio, genuinoque sensu: sine ullo noxio in vocum significationibus errore, earundemque formationibus vitio.

50 tertius gradus sublimior etiam docebit unam eandemque rem et rei conceptum, aliter atque aliter esserre, et veluti coloribus variis varie pingere.

51 quartus denique et supremus gradus erit, didicisse, quomodo sermo non ad luxuriem se diffundere et diluere; sed potius accurato verborum et sententiarum facto delectu contrahere se, et circa res ita solidare, debeat, ut se, secumque res, valide mentibus imprimat.

52 quod apex eloquentiae est, res quasque narivis suis, non spuriis aut fucatis, coloribus ad vivum depingere, eoque mentes sub rerum imperium captivare posse. Unde salomonis illud: verba sapientum sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi (eccles. 12. 11.)

53 ita erunt quatuor distinctae quasi latinitatis scholae, aut classes: prima pro balbutie, secunda pro loquela, tertia pro facundia, quarta pro eloquentia latina, comparanda.

54 quibus singulis sua deputanda sunt demensa, metaeque, unde incipere, et quousque progredi debeat, quaeque: modusque describendus certus et exquisitus, quo intra tempus datum, necessario ubique attingatur meta.

55 distincta haec sunto et sua propria singulis, tam metae quam media, et media applicandi modus: harmonice tamen sibi invicem succedentia et respondentia.

56 hoc enim volumus omnibus illis classibus esse commune, ut iisdem proportionate auxiliis instruantur: libris nempe omnia scienda gradatim, majori semper plenitudine, proponentibus,consimilibus fere exercitiorum generibus pertractandis.

57 libro pro classe prima nomen dedimus, vestibuli; pro secunda, januae; pro tertia, palatii; pro quarta thesauri latinitatis.

58 horum cujusque structuram conveniet esse tripartitam.

59 prima et fundamentalis pars contineat [gap: greek word(s)] materiale seu demensum rerum et verborum illi classi debitorum, hoc est, textum seu autorem: secunda pars explicet [gap: greek word(s)] formale, seu mensuram et directorium verborum, h. e. praecepta et regulas, quibus ratio structi sermonis in autore praemisso detegatur, ad faciliorem verioremque ejus intellectum. Tandem, adjungatur index contentorum, qui sit omnium praecedentium veluti repertorium, celerem eorum usum et praxin adjuvans.

60 ratio hujus methodi prima haec est, quod mollius, melius, essicacius, exemplis docemus, quam praeceptis: (quippe exempla sensu intellectum formant, quod naturale ect: praecepta intellectu sensum, quod contra naturam.) Praecedat igitur oratio facta: eamque demum praecepta, quomodo facta sit, et ad imitationem ejus alia similiter fiat, illustrantia, sequantur. (nb. Illustrantia dico: debent enim talia esse, quae lucem huic studio inferant, non tenebras; adjumentoque illi sint, non remorae; nec offerant ingeniis novam, ipso textu graviorem, luctam, sed luctam a verbis illatam soluant.)

61 deinde, quia non omnia simul memoriae sic imprimi possunt, ut inde queant ad usum expedite depromi; succurrendum est imbecillitati, annexo inventario, ut quidquid reassumere sit opus, ad manum sit.

62 ita vestibulum primo loco continebit balbutiei latinae materiam, vocabula aliquot centena, sententiolis inclusa. Deinde formalis loco, declinationum et conjugationum tabellas, cum aliis grammaticae rudimentis primis. Tandem vocum comprehensarum indicem vernaculum: nec praeterea quidquam. Horum enim ope metam attingemus pulchre: nec opus est ullis additamentis inutilibus augeri, libro molem, ingeniis laborem, tenuiorum marsupiis redimendi difficultatem.

63 janua similiter proponat, primum loquelae ad necessitatem materiam: omnia scilicet usitatiora linguae vocabula, circiter decies mille, redacta in sententias, structura et sensu faciles: quippe quibus res ipsae summatim, ordine suo, simplicique et nativo vultu, exprimuntur.

64 nihil ergo hic admiscendum tropicum, figuratum, insolens, particulare nimis. Non enim aliud adhuc agitur, quam ut adaperiatur janua, suo tempore et loco distinctius res cognoscendi et eloquendi. Cujus consilii immemores quidam, aut incuriosi, januam hanc inutilibus additamentis onerarunt: nescio quid non huc

---

Page 355/356, image: s214

Infarcire volentes, cum certa discentium remora et fastidio. Quod cavendum posthac erit.

65. Potius hoc agendum, ut habeamus vere januam (quod in praefatione ejus prima promiseram) rerum ipsarum solidis postibus bene firmatam; volubilibus lexici cardinibus expedite apertilem; praesentaneaque grammaticae clave prompte reserabilem: h. e. ut januae textui addamus grammatica praecepta, et lexicon illud promissum; ut quicquid hujus classis usus requirit, simul habeatur.

66 nempe constituenda sunt grammatica praecepta brevissima et lucidissima, veram et genuinam simplicemque sermonis latini scribendi, pronunciandi, formandi, construendique rationem, planissime ostendentia; sed tamen nihil insolens, figuratum, valde anomalum, attingentia. Exemplis enim e sole januae textu, (ubi nihil adeo anomalum et figuratum habetut) illustranda erunt.

67 indicis demum loco addatur, lexicon etymologicum, vocum latinarum, janua comprehensarum, radices, seu verba primigenia: cum sua derivatorum et compositorum serie, significandique rationibus, ob oculos pandens.

68 pro tertia classe, palatium erit latinitatis, specialiorum jam rerum, verborum, phrasium, regularum, diductionem exhibens, cum omnibus praecipuis orationem ornandi artificiis, et materias quaflibet, varie eloquendi modis.

69 instituendi ergo erunt varii de rebus discursus: et quidem rerum ipsarum methodo, quam centum illis rerum titulis janua designavit.

70 tum addendum ([gap: greek word(s)] jormalis loco) quidquid grammaticarum praeceptionum restat, de anomaliis, syntaxi figurata, hellenismis. Etc. Nec non praetcepta rhetorices, de sermone ornando, et prima logicae rudimenta, populari methodo (qualem partim grammatica ipsa subministrare queat, partim rhetorica necessario ante se requirat) concinnanda. Cujus rei in juventutis commodum egregie praestandae, jam hic ausim fieri de non nemine expromissor.

71 commodum autem videtur hoc latinitatis purae palatium quadruplicatum conctrui secundum styli gradum.

72 nempe ut latinitatis candidati discant, in palatio primo stylum epistolarem: cursorium quidem illum neg ligentioremque, purum tamen et fluidum. In secundo stylum historicum, altius paulo assurgentem, magisque cum cura elaboratum. Intertio stylum oratorium plane accuratum, gravem, sublimem. Tandem poeticum, numeris adstrictum: tum simpliciorem et magis planum, (qualis est in elegiacis,) tum grandem et pomposum, (qualis est in heroicis, lyricis, tragicis carminibus.)

73 omnia vero illa non verbis et sententiis nostris, sed autorum classicorum.

74 ita lente gradatim, per cancellos ducti, facilius discent styli characterem, et discernere, et distincte aequaliterque imitari.

75 palatium igitur epistolicum contineat centum epistolas, singulas singulis janvae titulis respondentes: per quas distribuatur quidquid elegantiorum est salutandi, resalutandi, narrandi, petendi, gratias agendi, etc. Formularum: ut quasi totum epistolare artificium hic exstet: cum adjunctis brevissimis, de arte epistolas scribendi monitis.

76 palatium historicum insigniores contineat iisdem de rebus enarrationes: assignatis ad marginem autorum et locorum, unde unumquodque desumptum sit, allegationibus.

77 atque hos tales de rebus discursus forma dialogistica concipi, quatuor haec suadent.

78 primum, nihil est homini naturalius colloquio: quo sensim sine sensu perduci potest quocunque. Facilius ergo haec adaptari poterunt, puerilibus ingeniis, ne sibi hanc rerum seriarum tractationem vel impossibilem, vel arduam nimis et difficilem, imaginentur.

79 secundo colloquia excitant, animant, foventque attentionem. Idque ob quaestionum et responsionum varietatem, earundemque varias occasiones et formas, intermixtis subinde quae oblectent. Inescandi sunt igitur his illecebris animi, ut per has operas sine fastidio progrediantur.

80 tertio serviunt dialogi, cum rerum impressioni firmiori, tum repetitioni (etiam inter discipulos ipsos privatim) faciliori. Quemadmodum enim facilius memoramus rem gestam, cui interfuimus ipsi, quam acceptam auditione sola: ita discentium animis tenacius haerent quae per modum comoediae aut colloquii, (cum et hic non tam res audire quam ipsimet videre, loqui, agere, nobis videamur) addiscuntur, prae illis quae nuda recitatione imbibuntur.

81 denique, quia potior vitae nostrae pars conversatione constat, eleganter compendioseque ad eam manu ducitur juventus, si

---

Page 357/358, image: s215

Res non solum intelligere, sed et de illis expedite disserere consuescat.

82 volumus ergo hic totum docte colloquendi, et de rebus discurrendi artificium tradi: conquisitis undique interrogandi, respondendi, insinuandi, se res explicandi, urgendi, excipiendi, digrediendi, ad propositum redeundi etc. Occasionibus et formulis.

83 sed et hoc pulchrum erit, ut pro colloquetium personis assumantur autores, qui res illas tractant, aut quorum de rebus variis, variae sententiae exstant: maxime autem, quorum libri citantur. Ita enim eadem opera et catalogum autorum, et praecipua eorum de rebus testimonia, eleganti compendio addiscentur: gradusque ad autores ipsos evidentior fiet.

84 palatium oratorium easdem repetatt materias, eadem titulorum serie, sed in declamationum forma: congestis e cicerone, quintiliano, seneca rhetore, et aliis probatis oratoribus, apteque digestis (jam in didascalico, jam in demonstrativo, jam in deliberativo, jam in judiciali genere) variis, iisque optimis, exordiendi, narrandi, proponendi, confirfirmandi, transeundi, concludendi etc. Formulis. Ut pariter hic, totius artificii oratorii exstet idea: citaris

iterum ad marginem a quo autore veniat unumquodque: et ad calcem annexis de orationum artificiosa compositione brevissimis regulis.

85 palatium poeticum eadem relegat vestigia, easdemque illustret materias, stylo ligato: adjunctis iterum de carmine condendo praeceptiunculis.

86 videtur a. Factu optimum, non nova cudi carmina, sed exantiquis poetis sententiosos desumi versus, et in unum continuum redigi textum: ad eum modum, quo rossaeus angius integram evangelii christi historiam meris virgilianis versibus elegantissime contexuit

87 usus poetici hujus palatii erit: primo ad reddendam discipulis familiarem syllabarum quantitatem: ut poeseos studiosis, pro smetio et similibus prosodicis libris, sufficiat. (hoc enim agimus et agere suademus, ut discipuli cujusque classis omnia sua secum portent, sine mentis a multitudine et varietate librorum veniente distractione.) Secundo clarius illis patescet, quid poeticus character oratorio distet: ut dicendi genera in autoribus, ad quos jam mittentur, facilius discernant. Denique elegantissimarum sententiarum, quarum per totam eruditionem creberrimus usus est, jam hic sibi copiam insignem parabunt.

88 index contentorum quaterni hujus palatii, meo judicio, erit lexicon phraseologicum: sive quidem illud vernaculo latinum, sive latino latinum. Puta in quo simplices rerum appellationes (alphabeti ordine positae) elegantioribus permutantur: hoc est ostendatur, quomodo rerum appellationes propriae, synonymie, periphrastice, tropice, et omnino varie et ornate, efferendae sint. Ubi semper praemittantur humiliora, ad epistolarem vel historicum stilum spectantia: tum phrases sublimiores, oratoriae; tandem poeticae: assignaris palatii locis, ubi occurrant, si occurrunt.

89 quo fine, idem poterit in palatii constructione observari, quod in vestibulo et janva: ut textus sermonis in segmenta distribuatur, puta periodos: quae signentur numero continuo, per diversa etiam capita, a principio libri ad finem; nempe ob citandi commoditatem. Qualiter et doctissimum d. Baldovium in medulla grammaticae hebreae fecisse video.

90 ut pateat melius, quale illud latino latinum lexicon velim, apponam exempli causa, quomodo verbi dubito varietas et elegantia gradatim exprimenda esset.

Dubito. Haereo, haesito. Ambige. Fluctuo, incertus sum quid agam. Incertum mihi est. In ancipiti sum. Non mihi consto. Animi pendeo. Incertus pendeo. Sus pensas habeo rationes. Voco in controversiam. In magna quaestione id habeo, an etc. Haec me res in diversum trahit. Incerlior multo sum quam dudum. Poerice, sum dubius. Virg. Dubius feror. Ovid. Hoc me dubium dat. Plaut. Hoc meum incertat animum. Idem.

91. Atqui ita esset studii latini classis tertiae palatium.

92 sequetur tandem ipse latinitatis thesaurus, cujus [gap: greek word(s)] materiale erunt autores latini, omnem rerum et sermonis varietatem explicantes: physici, geographi, ethici, medici, politici, theologi, historici, oratores, poetae et c. Veteres et novi, nati aut nascituri, quicunque aliquid insigniter utile adserunt, vel allaturi sunt, atque tersa et pura dictione utuntur.

93 omnia enim autorum genera huc. Non solum admitti, sed accersi, postulat inchoatae methodi ratio.

94 amplos scilicet studio huic posuimus fines, totam rerum et verborum, h. e. sapientiae et eloquentiae, quanta esse potest, plenitudinem. Huic ergo fini media ut capacitate sua respondeant, necesse est.

95 et quoniam in vestibulo ponimus rudimenta, in thesauro autem complementa, rerum et verborum; intermedia vero illa, janua et atrium, seu

---

Page 359/360, image: s216

Palatium, interponuntur saltem ut huc veniri possit: sequitur, quemadmodum janua nihil est nisi supplementum vestibuli; et palatium supplementum januae: ita autores necessario afferre debere supplementa omnium praecedentium.

96 non autem afferent, si tantum historicos cum oratoribus et poetis admittimus, (qualiter fere adhuc scholis mos fuit) quia illi omnia, quae ad eruditionis amplitudinem spectant, non persequuntur, sed circa certam aliquam specialem materiam eorum quisque deliciatur.

97 si methodus nostra solam et nudam styli concinnitatem intenderet, sufficeret illi vel unus idoneus autor, usque adeo familiaris redditus, ut ejus dictionem ad vivum exprimamus. Verbi causa terentius: quem verbis et phrasi purum esse et tersum, suavemque omnes norunt, ut etiam cioeroni fuerit in delitiis. Quem tamen materiae parum habere, nemo non videt, qui cum judicio legit. Unde scaligerum dicere solitum refert quidam, quod inopia latinae linguae terentium adeo celebrem fecit.

98 plena vero methodus quia plenam proponit eloquentiam; haec autem sine plena rerum cognitione haberi nullo modo potest; patet ab eloquentiae plenae candidatis totum rerum circulum exambiri oportere.

99. A toto enim et perfecto nihil excipi potest. Eloqui autem velle, quod non intelligas, quam insulsum est?

100 nec metaphorae, adagia, gnomae, apophthegmata, hierogly phica; allusiones variae, (in quibus singulis multa eloquentiae vis sita est) vel satis vere intelligi, vel satis commode, adhiberi, et satis acute stringi, possunt, sine justa rerum, unde petitae sunt, praecognitione.

101 sunt autem petitae a rebus naturalibus, artificialibus, mathematicis, logicis, etc. Et quae circa haec aliquando acciderunt. Quae unde melius quam ab autoribus suis cognoscas?

102 si quis e locis communibus (polyanthea langii et similibus) rerum cognitionem, in quantum sat est, hauriri posse putat, nae ille parum quo consilia haec tendant recogitat! Solidam nos hic jam, et virilem, sibique ipsi intra se cohaerentem, rerum cognitionem, et res interpretandi potentiam quaerimus; non illam puerilem, frustillatam, laceram, confusam, obtusam.

103 habent loci communes, omnesque similes illi subsidiarii libri, (praesertim si recte conformentur) suam laudem et usum: mempe ut sint autorum indices generales, ad inveniendum quis autor, et quid, de hac vel illa materia scripserit: aut eruditionis jam partae promptuaria, breviter varia de variis subinnuentia insignis utique hic usus est.

104 at si se pro autoribus ipsis ingerant, (quae deceptio ut pervulgata est, ita jucunda: imponit enim specie compendiosae ad eruditionem vitae) tum plus nocent quam prosunt: quia ad

veriorem et pleniorem eruditionem praesentissimo sunt obstaculo, fiuntque ut dicuntur, compendia dispendia. Hinc et illud: parum sapit, qui ulira locos communes non sapit.

105 nisi forte hic tamen langii polyanthea, ut a grutero tomis pluribus aucta sunt, alium mereri censum videantur. De quo judicare et statuere poterunt, qui periculum fecêre: num ita ad omnem materiam volumina illa suppetant, quemadmodum de fronte promissum gerunt.

106 interim tamen, quis non delirare credat theologum, qui concordantiis biblicis, aut collectaneis nescio quibus, satis sibi prospectum esse credens, ipsum sacrum bibliorum codicem posthabeat? Aut quis bonorum terrestrium haeres usque adeo desipit, ut assignatis sibi alieno arbitrio certis proventuum portiunculis, integros proventus, uha cum fundis, unde redeunt, videre negligat? Non bona ipsa sua integre poscat?

107 praestat utique rebus uti, quam rerum fragmentis; messes agere, quam spicilegia; hortos floriferos vindemiare, quam flosculos decerptos, et dispersos, vietos plerumque et exsuccos factos, recolligere.

108 accedit, quod ex methodo nostra classicis in scholis seu gymnasiis, omnia quae universali eruditioni fundamenta conferunt, absoluenda sint: nihil academiis et peregrinationi, praeter propriam cujusque facultatem, in qua transigere vitam et servire deo humanaeque societati decrevit, reservandum. Nempe ut ad magnos faciendos in propria facultate profectus, et in ea post excellendum, nec tempora justa cuiquam, nec debita praeparamenta desint.

109 cum ergo catholicae illi eruditioni materiam omnigenam ferant autores, advocandi sunt, et in ordinem redigendi, ut quisque in medium deponat, quidquid utiliter et pulchre, aut invenire, aut cogitare illi datum est: quo ex omnibus particularibus in unum redactis, universalis colligatur, et intra mentis abdita deponatur, sapientiae thesaurus.

110 operosum id, aut simpliciter impossibile, dicet aliquis. Utique, si rem tantam impetu aggrediamur, non consilio et arte.

Page 361/362, image: s217

Iii at nos, primum, non omnes intelligimus autores, qui exstant, sed de omni genere quosdam, optimos nempe: et tantum ex quibusuis etiam seu omnibus optimum, vel illud, quod apud optimos alias desideretur: siquidem nec optimus auctor aliquis optime aliquando aliquid tradidit.

112 deinde, nec selectos illos omnes totaliter totos, sed quosdam per indices tantum, aut potius per compendia, quae in usum illum construi optamus: ne scilicet academiae se praeparans juventus, nomina, libros, numerum, ordinem, contenta, opti morum quorumque autorum, qui de singulis materus scripserunt, ignoret; sed omnium illorum de omnibus praecipuis mentem, tractandique modum, jam hic praesciat.

113 ad academiam delatis, licebit philosophis futuris philosophos; medicis medicos; politicis politicos; theologis theologos, tandem plene aggredi et eviscerare, ad particularem et solidam omnium quae suae professionis erunt notitiam et praxin sibi comparandam.

114 tertio, nec illos qui integre proponentur, aequali cura dignandos existimamus: sed in styli magistros deligendos ex optimis optimos tantum, e. G. Pro autore primo et perfecto asiatici styli sumatur cicero, cui ita se adsuefaciant ingenia, ut ejus (si non phrasin per omnia, nam haec undecunque petenda est: tamen) compositionem per omnia imitari, et exprimere consuescant. Pro laconici autem styli autore principe habeatur seneca (vel ex quorundam opinione lipsius:) quem imitari ad unguem crebra lectione et relectione, versione et reversione docendi sunt. Ita in poesi, styli heroici exemplar primarium virgilius sit; lyrici, horatius etc.

115 hac, aut simili ratione, nec impossibile, nec difficile erit, optimos quosque autores classicos a classicis nostris discipulis intra breve annorum spatium exhauriri, atque in succum et sang vinem converti.

116 atque hoc erit materiale colligendorum scholasticae eruditionis thesaurorum, autores boni.

117 to\ formale, omnia hic in ordinem cogens, optamus exstrui clavem intellectus humani; continentem generales quosdam canones, omnia quae usquam sunt et fiunt, dicuntur et cogitantur (aut etiam esse et fieri, dici et cogitari possunt) in proportionem quandam generalem (qua sibi invicem harmonice respondeant res, rerum conceptus, et sermo) reducentes: ut eo modo ex omnibus particularibus, hactenus auditis, visis, agitatis, et post in autoribus legendis et observandis, universale quoddam sapientiae lumen exsurgat mentibus.

118 indicis contentorum loco, sit hic lexicon catholicon, ex omnibus autoribus memor abilissima quaeque recensens: sed eleganti vocum et rerum, ut se invicem consequuntur, ordine.

119 ex. Gr. Sub voce olympus, memoretur breviter quidquid inde vocum et rerum descendit: vel hoc modo. (1) olympus, est mons altissimus in thessalia, nubes cacumine superscandens. (dictus quasi [gap: greek word(s)], totus splendens, scilicet a sole, aut a nivibus:) 2 hinc poetae pro coelo usurpant; vocantque iovem olympium, coeli praesidem, supremum deum. (3) ab hoc sortita fuit nomen vrbs olympia, in qua jovis istius templum etat. Atque hic in honorem jovis instituerant ludos equestres seu certamina heroum (4) olympia dicta, repetenda quarto quovis anno exeunte, quinto ineunte. Hinc ergo. (5) olympias dictum fuit quadriennale illud spacium, assumptum in epocham numerandi regum successiones, et res gestas graecorum: initio nempe sumpto a tempore primi olympiadum institutoris, iphiti, anno mundi 3174. Aera haec apud graecos et latinos scriptores usitatissima est. (6) fuit et alexandri m. Mater dicta olympias etc.

120 ita de omni scibili, praecipua quaeque brevissime memorari possunt, ut habeatur vere catholicum rerum et verborum omnium repertorium.

121 haec ita si constituantur, quis non videt, totam scholasticam juventutem ad verissimam literaturam (rerum scilicet variarum cognitionem, purissimamque latinitatem) agminatim, et modis facilimis, promoveri posse? Modo praenominati libri, scholasticae hujus erudilionis feliciter propagandae optima instrumenta, satis accurate constituantur.

122 quantum quidem ad vestibulum et januam (fundamenta scilicet hujus studii) attinet, in iis solide ponendis nos pro tenuitate nostra desudavimus: quantumque operae restat (in perpoliendo textu: adjungendisque ianuae grammaticis canonibus, et etymologico illo lexico) id nobis propediem, quanta maxime licebit dexteritate, absoluendum reservamus.

123 forsan et clavis intelectus humani, quam pro dirigenda universali autorum lectione fabricandam supra (§117) diximus a nobis expectari possit: qualis quidem a primo conatu expectari potest. Erit enim idem illud quod antea rerum januam, et christianae pansophiae epitomen, vocare libuit,

---

Page 363/364, image: s218

Aut etiam universale rationarium vocare liceat: ordinem rerum talem ostendens, quo omnium quae unquam fuerunt, sunt, et erunt; aut esse, dici, et cogitari possunt, inventorum jam et porro inveniendorum, fontes, venae, metae, rationesque, recluduntur.

124 quod dum nos, dei ope freti, agimus, ut interea latinitatis palatium aruficiosum illud, elegans, amaenum, exstruatur, audeam hic publice nunc jam [correction of the transcriber; in the print nunc jam] (occasione ita ferente) compellare te vir eruditissime, david vechnere; qui scitulo tuo templi latinitatis proplasmate egregium ingeniosae tuae solertiae specimen dedisti, plurimosque eruditorum in spem splendide in fastigium manu tua surrecturae molis, erexisti.

125 et quia doctissi. Ni aliquot diversis e regnis viri, suis ad te privatim hoc nomine datis literis te hortati sunt, ut pulchre coeptum pulchre absoluas opus: nec non me monent, ut faces subdere, teque instigare, non desistam; patienter feres, quod in facie reipublicae literariae te datae fidei commonefaciam, ne grave sit admorsis unguibus conscribere opus, quod plurimorum utilitati inservire possit.

126 cur enim non sequamur (scribit clarissimus apud dantiscanos rhetor, mochingerus noster) istum electorum autorem, qui inquit: ego semel laboravi, ne tu semper laborares? Taceo alios, quia non ignoras tu, diligentiae tuae exstimu latores.

127 quorum ego suffragiis, et publicis quasi desideriis, animum tibi refricans publico scholarum nomine te oro, perque haec sacra juventuti christianae quam optime consulendi studia, et debitam deo et vocationi fidem, obtestor, ne admotam feliciter aratro manum retrahere, promissam scholis opem invidere, tam multorum servida desideria frustrari, aut diutius remorari inducas animum.

128 sed inscriptionis mutandae vides necessitatem, modumque: ut nempe templum commutetur in palatium, quemadmodum aristarchorum nostrorum non neminem monuisse meninisti. Quid ni obsecundemus amici consilio, ratione non carenti? Tutius a rebus profanis, inquit, metaphorae. Petuntur: sacris, quantum potest, parcendum.

129 addam ego: thesauros (ad quos per januam nostram, et atrium tuum veniri volumus) non in templonrum adytis asservari solere, sed in palatiorum regiorum abditis recessibus. Servemus ergo allegoriae continuationem.

130 etiam hoc cogita, romam, cum in flore esset, superbiisse palatiis, ad stuporem aliunde venientium, et inusitatam urbis splendorem demirantium. Quem moderna e ruderibus

antiquae. Resuscitata roma, e longinquo licet, aemulatur tamen, palatiisque suis magnifice se ostentat.

131 tu igitur si nobis e librorum romanorum reliquiis splendidum facundiae romanae palatium exstruxeris, majus te opus facturum crede, quam qui lapideas illas restituunt moles.

132 et quia eruditorum nostrorum censorum, uni et alteri, multiplex illa partium templi distinctio minus necessaria, minusque juventuti sructuosa (metuentibus, ne ambages verius faciat quam semitas) visa est, simplicius poterit in palatii structura procedi; omnibus nihilominus quae diligentia tua cogitavit, aut jam congessit, locum hic invenientibus.

133 sed pluribus his immorari quid opus? Industriam tuam tibi in omnibus his ducem (post deum sapientiae ducem, et sapientum rectorem, sap. 7. 15.) Relinquo.

134 excitet vero pariter aliquem deus, qui reserandis studiorum reconditioribus thesauris, utilem scholis navet operam! Autorum nempe bonorum, e quibus, cum linguae puritate rerum utilium succum hauriat juventus, prudenti delectu, coordinatione bona, talique omnio ad usum accommodatione, ut quidquid, cum sapientiae tum sermonis elegantiae, e diversis illis, antiquis et novis, fonticulis, scaturit, id omne communi alueo scholarum nostrarum perfluat hortos! Ad efficiendum quam plurimos vere sapientes; vere eloquentes.

135 cujus rei nescio an optari debeat alius, aut sperari possit melior artifex, illo, qui sibi publice spartam hanc deposcere, eamque adeo jam ornare orsus est: florentissimus in efflorescente gerana academia eloquentiae et historiarum professor, d. Joannes rave.

136 qui editum nuper in lucem, notisque illustratum, et indice pulchro instructum, cornelium nepotem, non solum titulo illo, autorum primus, quipost comenii januam, pro inchoando apud iuventutem stylo posthac edentur, ornare voluit: sed et in praefixa operi de emendatione vitiosae per germaniam eloquentiae dissertatione, (paragrapho 18.) Sibi provinciam hanc illis verbis despondit dabunt alii in aliis operam: ego pro mea, et bono cum deo, annitar, ut in latinis auctoribus adolescentia a me quoque adjuta sit.

137 macte vero hac promptitudine pietateque in patriam, vir optime! Deus tibi annos et animos addat, ut feliciter, quam professus es operam, compleas.

Page 365/366, image: s219

138 habes utique argumentum amplum explicandi vernantis ingenii tui vires, et bene merendi de patria germania; imo de omnibus christianis regnis, ubicunque culturae ingeniorum ulla agitur cura.

139 si quid tibi bonae observationis est circa januam ipsam castigandam et complendam, confer in commune, structoribusque suggere: ipsi vero tibi has potissimum assignari partes, ut pleniora sapientiae gazophylacia artificiose recludas, penitioresque thesauros in publicum proferas, ne displiceat.

140 ita demum insigne aliquid preastari poterit, si partitis operis, non aedem agamus omnes (alius sic, alius aliter idem, confundentes nos invicem) sed diversa diversi tractemus, ad eundem tamen communem scopum omnes, animum intendentes, operamque impendentes.

141 tenendum autem erit, non jam immediate a janua in autores veniri, sed interponi (maturo satis consilio) atria sive palatia; atque ex his demum in thesaurarios illos carceres (ut ex herode sophista coelius vocat) transitum fore.

142 cujus rei meminisse, eo serviet, ut scias minutiorem illam curam, de styli rudimentis, jam tibi praetergressam; et quidquid agendum restabit, id solidiorem rerum ipsarum cognitionem maturioremque eloquentiam, spectare: adeoque fastigium hujus scholasticae eruditionis tibi committi.

143 non obliviscendum vero erit repertorii catholici, pulcherrimi illius pretiosissimique universalis eruditionis thesauri.

144 faxit ter maximus optimus deus, ut sive tu hanc susceperis ornandam spartam, sive alius, fiat id cum laude nominis divini, et publica scholarum utilitate; perque id certa cum spe prolapsas in deterius res humanas, (germaniae vero nostrae nunc plane collapsas) in melius restituendi! Multitudo enim sapienium salus est orbis terrarum (inquit sapiens, c. 6. V. 26.)

145 ubi adornati fuerint hi libri, designandae erunt certae temporum metae, intra quas cuilibet classi sua periodus absoluatur: et conscribenda pro docentibus hypomnemata, recte his libris utendi methodum praescribentia.

146 quantum ad primum: putamus vestibulo dandum esse praeter propter semestre; januae annum; palatio sesquiennium: autoribus triennium. Ut nempe compleatur sexennium illud, quod inter scholam vernaculam et academiam ponunt, classicisque his exercitiis assignant, rationes nostrae, expressae c. 27. Didacticae.

147 quod si spatia haec nimis angusta esse praxis ostenderit, ampliari poterunt ad necessitatem. Nunc enim consultamus, nondum leges figimus.

148 quantum ad hypomnemata, quia non omnium est in consiliorum rationes penetrare, et ultro, quid loco quovis saciendum sit pervidere: submonitiones ejusmodi (quas informatoria vocare liceat) in gratiam illorum, qui non nisi ducti ducere alios norunt, conscribendae sunt.

149 qualiter mihi nunc jam ratione vestibuli et januae faciendum est: praemissas tamen generalioribus quibusdam, circa utrumque pariter (imo et post, circa palatium et autores) observandis, monitis.

150 non enim omni ex parte verum est illud: scire volunt omnes, operam dependere nemo. Sunt qui volunt, et studia, labores, sudores, offerunt: modo sciant modos viasque laborum difficultates superandi: quomodo autem sciant nisi doceantur? Ut omnino ad doctores provincia haec, labores discipulis allevandi, devoluatur: didacticis vero incumbat modos illos investigare, et investigatos praemonstrare, ut docentibus in promptu sint. Pueris nihil relinquendum, quam ut scholam non per antiphrasin ludum dici, sed revera esse, intelligant et experiantur.

Generalia pro praeceptoribus monita.

151 docens, non doceat quantum ipse docere potest, sed quantum discens capere. Non enim ego vasi infundere possum liquoris quantum velim, sed quantum vas capit: nec pro interiore capacitate simul infundendo, sed prouti oris angustia permittit, instillando. Et cum aliquid humi jacens manu cupio attollere, ego me demittam necesse est, illud ipsum elevare se ad manum non potest. Plane igitur praeceptor condescendat discipulo in omnibus: et habeat se active: discipulus passive. Tabula nihil pingere potest in se ipsa, sed pictor: praestat illa satis, si stet immote, et pigmenta excipiat dextre. Unde aliud sequitur: nempe ut,

152 quidquid difficultatum et molestiae adferunt scholastica studia, eas humeris suis praeceptores sustineant: discipulis nihil praeter imitandi aviditatem, facilitatemque relinquentes. Nempe quo nutrices solent modo, infantulis suis non nisi praemansos ingerere cibos, ut sola illis blanda digestio supersit.

153 quidquid (ergo) a discipulis volunt sciri, id eis qua maxime possunt perspicuitate ostendant, et velut coloribus vivis depicta ad oculum demonstrent; ut non possit non videre, tam rem, quam modum rei. Ita non poterunt non gaudere nova luce, et ad ulteriora semper extendere appetitum.

Page 367/368, image: s220

154 quidquid (vero) a discipulis volunt fieri, idipsi faciendo praemonstrent viam. Naturalissimum enim est, ut quisque duci suo, (vel tacitus) dicat, i prae, sequar: quia facile est praeeuntem sequi: protrudi autem, sine praedesignata semita, durum.

155 nunquam (proinde) aliquid tam facile videtur, quod praeceptor non aliis atque aliis modis magis etiam perspicuum, imitatuque magis facile, reddere allaboret. Non enim tam facile est discenti, atque scienti. Et quamvis sit, non tamen sibi fidit nondum satis confirmatus animus, an recte concipiat, aut efformet, quae jussus est: sed cum toties iterando praeire videt ducem suum, sequitur animose. (trepidationem autem abesse, in omni opere, valde conducit.) Atque hoc vere erit [gap: greek word(s)] quam blandissime manuducere pusillos.

156 nunquam discipuli praegraventur discendorum mole: nihil alioqui reportaturi praeter nauseam, et ingenii cruditatem. Quemadmodum enim non qui multa vorant saniores sunt illis, qui tantum edunt, quantum concoquere possunt: ita non qui multa legunt, audiunt, memoriae mandant, docti fiunt, sed qui quod legunt, audiunt, memoriaeque mandant, id simul intellectu recte imbibunt, concoquunt, digerunt, prompteque ad omnem usum reddunt.

157 tria semper formanda sunt in discipulo: mens, manus, et lingua. Mens, ut rem quam discit, intelligat. Manus, ut quod intelligit, scripto exprimere discat. Lingua, ut quod intelligit et scit, promte edisserat.

158 quae ita gradatim eunt: ut intelligere aliquid sacillimum sit: imitari manu, difficilius: difficillimum, sed persectioni proximum, lingua efferre. Nam quod manu sit, moram habet, et admittit deliberationem et auxilia, si ad manum sint: linguae opera plane extemporanea sunt, et praerequirunt habitum aliquem.

159 ita latinum sermonem (in quovis illo § 47. Indigitato gradu) prius possibile est intelligere, quam vel scribere vel loqui. Et cum tentanda est intellecti jam praxis, prius tentanda est calamo, quam lingua. Quia inter scribendum non deest deliberandi quale quale spatium, et consulendi potestas: vel se ipsum, memoriam vellicando; vel alium assidentem, interrogando; vel denique libros, inquirendo. Atque ita exercitatis aliquamdiu, demum venit extemporanea illa, quae lingua fit, animi sensa exprimendi facultas.

160 quod pariter in addiscendis artibus et scientiis observandum est. Vbique enim haec cadem gradatio obtinet: quod nempe ante omnia nobis formatur,
mediante sensu, rerum intellectus; et mediante intellectu, memoria. Tum operationem dirigente memoria, manus opus suum tentat, et peragit. At sermones de rebus instituere, non nisi ei competit, cui circa rerum usum confirmatus jam intellectus et memoria, tam prompte res et verba suggerunt, quam prompte lingua sufficit eloqui. Omnino ergo supremus gradus, et profectuum apex est, res probe intellectas lingua prompte reddere.

161 attendant ergo praeceptores, ut quidquid addocere feliciter volunt discipulos, per gradus istos inconfuse eant: confusionem alias parituri, sibi et ipsis.

162 vbique autem praecedant exempla, ut materia; sequantur preacepta et regulae, ut forma: quemadmodum supra (§ 60.) Dictum est. Praecepta enim et regula directoria quaedam sunt mentis, circa res et sermonem: regi autem et dirigi quomodo potest, quod nondum est? Et quis non fateri cogitur, omnem regulam ab exemplis accipere lucem? Eccur ergo non praefertur?

163 quidquid agendum occipitur, ne dimittitor nisi peractum. Nam si per intervalla reditur ad negotium, labor non minuitur, sed iterando augetur: quia eadem, eodem relicta loco, easdem iterabunt molestias. Fac periculum, quam facile impleturus sis vas aliquod aqua, si quotidie unam et alteram solum guttam immittas: cum tamen implere facile possis, si continuo fundas.

164 ergo, praeceptor nunquam plus materiae sumat, quam quantum eadem hora possit et proponi, et exponi, et exercitiis debitis intellectui et memoriae imprimi: ne ad haec redire sit opus, nisi repetendo. Quae; tamen repetitio aliud agendo post fiet, et nova cum utilitate: nempe cum his jam praemissis sequentia superaedificabuntur. Ordine enim procedi, et gradu nusquam interrupto, vera haec (quam intendimus) methodus postulat: ut praecedentia sequentibus semper faciant viam, sequentia praecedentibus semper addant robur.

165 prima rerum fundamenta accurate prorsus ponenda sunt, nisi totum quod superstruxeris, vacillare velis. Norunt medici, errorem concoctionis primae non corrigi in secunda, neque secundae in terria. Et mathematici, errorem ab operationis initio admissum, prorogressu in infinitum augeri: nec tolli, nisi tota operatione destructa, et adprincipia regressu.

166 ergo quidquid incipit docere praeceptor, operam dabit ut sit accuratum, eoque tam firmum,

---

Page 369/370, image: s221

Ut ei sequentia turo inaedisicari possint. Prius discendum est recte, quam ciio. Satis festinat, qui recto tramite ad scopum tendit. Praestat discentes primum esse tardos, dummodo accuratos: celeritas post veniet, fundamentis firmis. Omnium certe crescentium haec indoles

est, ut primos motus, primaque augmenta, insensiliter agant: progressu demum vim et impetum sumant, si bene radicata fuerint. Proinde,

167 si quid perperam ap prehensum, aut usurpatum est, cavendum ne radices agat, sed mox evellatur. Solet enim mens, quidquid arripit, memoriae commendare, et fit idolum, aegre se patiens evelli.

168 ergo quidquid docetur, doceatur accurate, ne possit in errorem rapi. Tum actutum magister examinet, quomodo perceptum sit, nequid forsan erroris subrepserit. Et si quid animadvertit, corrigat mox: detecta simul et destructa in errorem illum prolabendi occasione (quam prudens ingeniorum plasmator facile ex circumstantiis odorari potest): ea scilicet ratione, ne post aliquando similiter erretur, praecavendo.

169 eadem diligentia in formandis et corrigendis styli exercitiis adhibenda est, ut ne quid minus recte a discipulo usurpatum, in exemplum illi aut regulam abeat.

(error quippe nimis facile se infinuat, post autem tenaciter nimis haeret.)

170 exemplar (proinde) quod ad imitationem proponitur, non nisi probum sit: imitatio vero tentetur non nisi praesente et inspectante magistro. Mox etiam revisio solemnis instituatur, sine dilatione in crastinum, aut etiam in dies aliquot, ut in considerate fieri adsuevit. Pernoctare nobiscum errorem periculosum est.

171 longe vero maximum facilitatis compendium est (pro toto docentium et discentium coetu) si praeceptor neminem unum solum doceat, quidquid docet, sed omnes simul. Aut si unum, occasione data, in omnium tamen conspectu: ut quidquid dicitur uni, prosit omnibus.

172 ut enim typographus una eademque typorum compositione mille chartas scriptura implet, omnesque illas accuratissime: ita praeceptor una eademque rei alicujus dilucidatione mille discipulorum mentes collustrare, uno eodemque exercitio omnium stylos expolire potest.

173 quod ut fiat, duo necessaria sunt. Primo non admitti in eandem classem discipulos vel inaequali profectu, vel tempore diverso: sed omnes similis profectus simul recipi, simul duci: eo modo quo in agris semina, quae eidem messi parantur, simul sparguntur, simul rigantur, simul perflantur, simul fruticescunt, simul crescunt, simul maturescunt.

174 secundo, arte opus est ad reddendos discipulos usque adeo in ea quae fiunt attentos, ut nemo sit omnium cui non omnia quae traduntur solide innotescant, et usum ferant.

175 cujus modi attentio excitari potest, et retineri, octuplici via.

176 primo, si praeceptor operam det, ut semper afferat aliquid, quod et delectet et prosit; ita enim inescabuntur animi, ut semper cupide, et parata cum attentione, veniant.

177 secundo, si sub initium cujusque operae, aut demulceantur animi, materiae proponendae commendatione, aut vellicentur, quaestionibus motis, sive de propositis jam, quo per cohaerentiam ad praesentem veniatur materiam; sive de proponendis, ut animadversa ea parte ignorantia sua, ad excipiendam avidius rei declarationem accendantur.

178 tertio, si magister, editiore consistens loco, oculos circumferat, et neminem aliud agere quam in se vicissim defigere oculos, permittat.

179 quarto, si attentionem juvet, sensibus quotquot potest rem quamlibet praesentando: nempe non auditui soli, verbis prolatis, sed et visui, picturis; et tactui, rem praesentem contrectandam sistendo; et olfactui etc. Quoties ejusmodi objecta explicanda sunt. Talis enim rerum ad sensus, et sensuum ad res, applicatio, imaginativam perpetuo vellicat, et rei praesenti adstringit, ut evagari et torpere vix ac ne vix quidem possit.

180 quinto, acuet discipulorum attententionem praeceptor, si inter operas subinde, sermone interrupto, dicat: tu aut tu, quid modo dixi? Repete hanc periodum? Tu, dic qua occasione huc ventum est? Et similia, pro cujusque classis profectu. Si quis non attendisse fuerit deprehensus, increpetur, aut castigetur, illico: ita attentionis studium omnino acuetur.

181 similiter, si unum aliquem interrogasti, et is haeret, ad secundum, tertium, decimum, trigesimum quemque transili, et responsum posce, quaestione non repetita: omne id eo fine, ut quidquid uni dicitur, omnes attendere, inque usum transferre, allaborent.

182 fierietiam potest, (septimo) ut si quid unus vel alter ignoret, quaeratur ex tota turba: et tunc qui primo, aut optime, responderit, collaudetur in omnium conspectu, ut exemplum aemulationi serviat. Si quis aberraverit, corrigatur, erroris etiam occasione (ut ante dictum) detecta et revulsa. Incredibile quantum hoc sit futurum celerrimi profectus compendium.

Page 371/372, image: s222

183 tandem lectione finita, copia fiat discipulis ipsis praeceptorem quidquid volunt rogandi: sive in lectione praesenti scrupulum nactus fuerit aliquis, sive ante. (privatae namque requisitiones non ferendae: publice praeceptorem confulat cuicunque opus est, ut omnia omnibus usui sint, tam quaesita quam responsa.) Si quis crebrius utilia moveat, collaudandus erit saepius, quo caeteris diligentiae exempla et stimuli non desint.

184 tale attentionis exercitium quotidianum, proderit adolescentibus non in praesens solum, sed per totam vitam. Assueti siquidem annorum aliquot continuo usu id semper agere quod agitur, omnia semper facient animo praesenti, non expectatis alienis monitionibus aut instigationibus. Et tales si sint scholae, quid ni sit solertissimorum hominum uberrimus proventus?

185 verumenimvero de his generalibus plura accuratioraque in didactica nostra generali: nunc ad specialem vestibuli et januae didacticam, veniendum est, quam expediemus paucis.

Informatorium de vestibuli l. L. Usu.

186 meta primae latinae classis est, ut puer vernacule legendi et scribendi gnarus (hoc enim praesupponimus) cum latinis literis primam, eoque difficillimam (quia omne principium grave) absoluat luctam: hoc est addiscat latinum sermonem (1) pronuntiare legitime. (2) legere expedite. (3) scribere accurate. (4) intelligere ac interpretari qualitercunque. (5) discernere orationis partes mediocriter. (6) declinare et conjugare analoga exacte. (7) sensa animi puerilia eloqui etc. (8) proposita jam imitari stylo, aliquomodo.

187 ad hoc obtinendum conceptae sunt jam ante aliquot centenae sententiolae, latinitatis vestibulum dictae: perficiendae posthac in eum modum, ut (1) accentus vocibus expresse superimponantur. (2) de pronuntiatione legitima observationes adjiciantur. (3) exemplaria alia earundem sententiarum iisdem typis, sed colore aliquo diluto, (viridis conveniret forte cum maxime) exprimantur: e quibus pueri latinae scripturae fundamenta discant, literarum ibi expressos ductus atramento superinducentes, eaque ratione ad similes efformandos manum sibi comparantes. (4) singulis sententiis versio vernacula praejungatur. (5) alio charactere nomina, alio verba, alio aliae voculae, exprimantur. (6) declinationum et conjungationum tabellae, cum monitis necessariis, appendantur. (7) sententiarum bene multae in collotquii forma disponantur. (8) ad calcem libri vocum contentarum index vernaculus apponatur: utque voces latinae e libello ipso citari queant, sententiae per totum librum numeris suis (eo quo in janua modo periodi) distinguantur.

Nb.

188 haec talis vestibuli structura commode serviet assequendo fini: si intra assignatum semestre decies percurratur libellus: quavis vice tyronum intellectu, memoria, manu, et lingua, altius semper promotis.

189 loci hujus est monere, exercendis intellectui et memoriae (ut alibi, ita in hoc tyrocinio) tribuendas esse horas matutinas; stylo et linguae, pomeridianas.

I.

190 primum ergo libellum percurrant solius lectionis et rectae pronuntiatiouis causa: hoc modo. Legat praeceptor unam et alteram pagellam, clare, distincte, lente, ut discipuli suos inspectantes libellos sufficiant auribus, oculis, attentione, subsequi. Ubi absoluerit lectionem praeceptor, incipiant eandem discipuli: sed singuli sententiolas singulas, in orbem.

191 hoc dum fit, praeceptor diligenter attendet pronuntiationi, ut plane recta sit et accurata: ideoque non praefestinata, sed lenta. Et quisquis male pronuntiaverit, jubebitur repetere, toties quoties haesitat, donec expedita sit ad latina haec sonandum omnium lingua.

192 adjungatur vero ex elementali grammatico (vestibulo annexo) caput primum, de literarum et diphthongorum latinarum potestate.

193 pomeridianis horis eadem illa mane lectitata describent: nempe impressa illa programmata (de quibus paulo ante, § 117. (2) innuimus, si ad manum fuerint) imitando, aut etiam libera manu. Cujus exercitii triplex erit finis. (1) addiscent accurate. Latinam effingere scripturam. (2) accentum quoque scribendo firmabunt. (3) intellectus vocum jam sese paulatim insinuabit, sensu circa eandem rem diutius occupato.

194 quodsi vernaculam simul calligraphiam exerceri placeret (quod utique displicere non debet) res foret elegantiae plena, si vestibuli textus germanicus non vulgaribus illis typographicis characteribus, sed qui in scribendo germanis usu veniunt, depingeretur. Cujusmodi characteres alicubi haberi scimus: vel de novo comparari sane operae pretium fuerit.

195 tempore vero scriptionis obambulabit

Page 373/374, image: s223

Praeceptor, et singulorum operas inspectando, calamum recte prensare, literarum apices accurate observare, omnes ductus exacte formare, docebit. Quae cura, eleganter literas pingendi, toto hoc semestri imo et post) continuabitur, ut omnes quam maxime potest venustam sibi comparent manum.

Ii.

196 absoluto ita per nudam lectionem et scriptionem libello, reditur ad initium ejus, ut relegatur ac describatur donuo, diligentius etiam quam ante: quippe cum adjuncta interpretatione,accuratiore vocum, initiali etiam rerum.

197 ac ut de posteriore prius moneam (rerum interpretatione) poterit praeceptor (lectione et interpretatione discipulis praeeundo) hinc inde subsistere, et aliquid auditu jucundum et utile interserere: (lingua nempe vernacula, quia latinam nondum intelligunt.) Ex. Gr ad sententiam primam, venite pueri, monebit, linguas in pueritia optime disci. Puerum enim anni spatio addiscere quamvis linguam, quod vir factus vix tota aetate potest. Ergo venire ad scholam gaudeant: ubi latina discitur, pulchra illa et elegans prae omnibus, etc. Ad illud, deus vos juvabit, dicet; carissimi filioli, nihil possumus nos sine dei ope. Deus tamen prompte juvat illos, qui eum timent et invocant, etc. Talia subinde monere, serviet ingeniis excitandis, delectandis, et ad majora gradatim praedisponendis, quo familiarius blandiusue haec fuerint explicata, eo magis.

198 pergant interim discipuli legere et interpretari sententias, ex ordine iterum, sed praemisso vernaculo textu (nam et sic typis exscribi suademus libellum, ut vernacula praecedant latinis) duas ob causas. Primum, quia non vernaculam discunt latinae ductu, sed latinam ductu vernaculae, praecedat ergo dux. Haec etenim aeterna est et immutabilis methodi lex, ut intellectui in rei ignotae tenebras penetraturo, alicujus ante notae rei lucem praeferri necesse sit: (quidquid enim discitur, e praecognitis discitur.)

199 secundo, prodest methodus haec memoriae; cujus natura est progredi, non regredi. Nam si a puero quaeram, in oratione dominica, post vocem fiat quid sequetur? Statim respondeit (memoria prompte suggerente) fiat voluntas tua etc. At quaere, quid vocen illam fiat, antecedat? Haerebit etiam nostrum quisque: quia nempe memoria regredi nescit, aut saltem non adsuevit.

200 ergo, quia tam intellectus, quam memoria per nota ad ignota se porrigunt (per vernacula ad peregrina) absolutae necessitatis est nota praemitti, ut ignota ultro sequantur. Komt her ihr knaben.venite pueri. Lernet die lateinische sprach/ discite latinam linguam, etc.

201 sed et hoc melioris profectus gratia observandum: ut cum ita sententiam sententiae reddere discent, etiam verbum verbo reddere jubeantur. Ita nempe: kompt her ihr knaben: venite pueri:kompt her/ venite: ihr knaben pueri. Et sic ubique.

202 ratio hujus consilii est. 1. Ut eidem voci diutius immoretur lingua (adhuc enim firmanda est pronunciatio recta, et lectio expedita): eidem autem rei, quam designat vox, imaginativa facultas, quo melior impressio fiat. 2. Ut eadem impressio, et conceptus, distinctior sit, extraque confusionis periculum. Quia enim quandoque latina vox duabus germanicis redditur,

aut fit in germanico vocum trajectio, posset puer non satis considerare, quo spectet unumquodque, si permitteretur generaliter tantum pronuntiare sententias integras.

203 verbi gratia; sententia vestibuli octava, deus vos juvabit, trium vocum est, et tamen germanice non nisi quatuor exprimi potest; quia futurum illud (juvabit.) Voculam futuri indicem (wird) assumit. Praeterea, fit vocum transpositio: gott wird euch helffen. Pro, gott euch wird helffen. Ergo, ut puer ista discernere adsuescat, haec quam dixi expositio iterata (qua vox voce redditur) proderit: gott/ deus; wird helffen/ juvabit; euch/ vos.

204 easdem sententias, eo modo coordinatis verbis, si pomeridianis horis diligenter describant, triplicem inde fructum reportabunt. 1 calligraphiam et 2 vocum intellectum sibi firmabunt. 3 constructionem autem vocum discernere, aliud agendo, incipient.

Iii.

205 tertio, percurratur vestibulum, repetendo interpretationem e latino invernaculum, inverso scilicet a priori ordine, sed simili sententiarum numero, pro vice una: itidem reddendo primum sententiam sententiae, deinde verbum verbo.

206 causa, cur nunc a latinis ad vernacula regressum suademus, est, ut hac ratione vocum latinarum vis, et ad vernaculas analogia, melius patescat. Ut enim viator melius addiscit viam meando et remeando: et operis alicujus structura melius innotescit texendo et retexendo: ita sermonis peregrini

---

Page 375/376, image: s224

Ad nostrum habitus, ab hoc ad illum, et ab illo ad hunc, regressu.

207 praeeat igitur praeceptor iterum interpretandi exemplo (tenelli enim adhuc sunt tirunculi nostri, formari illis labia oportet) sic: venite pueri, komt her ihr knaben/ venite, komt her: pueri, ihr knaben/ etc. Ad hunc eundem modum totum illius horae demensum interpretando. Tum jubeat eos idem illud (unoquoque suum libellum inspectante) agere, ex ordine. Et facient expedite, mirabundi quod tam facilia sibi injungantur; quia non animadvertent, quam sensim sine sensu eo ducantur, quo deductos se post gaudebunt.

208 a meridie scribant easdem sententias in libellum exercitiorum, eodem ordine et modo, quo exponebantur mane. Ita poterit intra octo decemve dies libelhis. Totus percurri.

Iv.

209 quarto, reassumatur vestibuli textus memoriae jam pertentandae causa, an, et quantum, se illi insinuaverit latinarum vocum intelligentia. Repetant sibi tamen pueri (id quod ex ordine sequitur) ante scholam, ut memoriae imprimant: ingressesque jubeat praeceptor libellos occludere, et quaerat: tu n. N. Quid significat, venite pueri? Tu n. Quid est, sapientiae semina? Et sic aliquoties pensum illius horae percurrendo, sursum et deorsum, et per saltus.

210 tum eodem modo vernacula proponat, quae illi reddant latine. Du n. Wie sprichstu lateinisch/ komt her ihr knaben? Du n. Wir sprichstu/ gott wird euch helffen? Etc. Abstineatur adhuc a variatione casuum aut temporum: singulaque tantum requirantur, ut in libello exstant. Quippe nondum de variegatione quidquam audierunt.

211 eadem illa describent a meridie, ad firmandum latinae scripturae usum, et intellectum, memoriamque.

212 ita habebunt tyrocinii sui materiam: cui jam forma introducenda erit, h. e. inchoanda vocum formatio. Et primo quidem nominum declinatio.

213 ergo ubi quinta vice adeundum erit vestibulum, praelegat illis et explicet praeceptor caput secundum et tertium elementalis grammatici, vestibulo annexi: ut discant nominis et verbi differentiam: et nominum genera, et variandi, seu declinandi, necessitatem, usum, formam. Idque inspectatione perpetua tabellae declinatoriae, omnes nominum declinatorum terminationes repraesentantis. Nullo enim modo ad ediscendum declinationes cogendi sunt, antequam eas usu sibi reddant quam familiarissimas. Quod ita fiet.

214 doceantur sex esse terminationes, (pro numeri varietate variabiles) in quas nomen quodvis deflecti potest. Aliter enim terminari, cum rem simpliciter nominamus; aliter fere, cum eam vocamus: aliter quum ei aliquid tribuimus, etc. Loco ergo casuum (hac prima vice) usurpent vel quaestiones, wer? O du! Wessen? Wem? Wen? Mit wem? Vel formulas illas generales, quae menti ultro quid sequi debeat suggerunt nempe (1) ecce (2) o tu (3) pars (4) da (5) vide (6) aufer ab. Ut

Ecce, puer, siehe ein knabe

O tu puer, o du knabe

Manus puer-i die hand deß knabens

Da puer-o gib dem knaben

Vide puer-um siehe den knaben

Aufer a puer-o nim von dem knaben.

215 hac namque serie casus recensendi sunt prorsus, ut vocativus immediate nominativum sequatur, nisi evidentissimae rationi refragari, et discentibus data opera cruces figere, volumus. Quippe duo illi recti dicuntur, caeteri obliqui: maneant ergo una quae unius ejusdemque sunt census. Et quia a genitivi singularis terminatione omnes reliqui, utriusque numeri casus, terminationes suas accipiunt, non item vocativus singularis; praecedat ergo ille, ne post aliorum flexum turbet, etc.

216 ostenso tabellae declinatoriae usu ex introitu petitis exemplis quomodo solitaria nomina puer, lingua, res, sapientia, deus, praeceptor, etc. Declinentur: poterunt e capite sequenti (ubi adjectiva substantivis connectuntur) combinatim utraque declinari, sed primo (facilitatis gratia) ea solum quae ejusdem declinationis sunt. Ut primae; latina lingua, lingua pulchra. Terra infima. Nebula propinqua. Area lata, etc. Tum secundae: deus aeternus. Mundus temporarius. Coelum supremum. Dehinc tertiae: homo mortalis. Pondus grave, etc.

217 tandem, ubi in puris illis profecerint, veniatur ad mixtas declinationes: lingua elegans. Res varia. Medium facile. Finis jucundus. Angelus immortalis, etc. Ubique vernacula simul variando, ut declinandi finem et usum omnino perdiscant.

218 pronomen, hic, haec, hoc, inter declinandum nominibus nullo usu, certo autem cum tenellorum ingeniorum tormento, praeponi, evicerunt ante nos alii: silentio ergo transimus.

Page 377/378, image: s225

219 exercitia styli hic erunt, (omnibus pomeridianis horis) earundem declinationum accuratissima descriptio, praesentibus semper, inspectantibus, dirigentibus, et corrigentibus, magistris. Urget enim praesentia turni.

Vi.

220 eodem modo pertransibitur vestibuli texius vice sexta, conjugationum addiscendarum causa: praemissa iterum ex elementali grammatica capitis quario praelectione et explicatione. Sed hac vice sola pri mae formae verba, activa puta cum neutris, conjugari docebuntur: dissimulatis, et silento transitis, passivis et deponenubis. Gradatim enim eundem est, multisque et diversis simul addiscendis nunquam oneranda sunt ingenia.

Vii.

221 septima demum vice repetendo vestibulum eatur ordine per verba, uti obveniunt. Ubi de passivis erunt generaliter informandi, quem sensum et usum habeant, juxta annexum elementale grammaticum, etc.

222 a meridie eaedem conjugationes transscribantur in exercitiorum libellos: more jam designato.

223 atque hic jam etiam inchoari commode poterit linguae exercitium. Non quod ante prohibitum sit, sed quod posthac intermittendum non sit. Ante fuit liberum illis qui volebant (sunt enim alii aliis ut ingenio ita lingua praecociores) latine garrire: posthac non liberum erit non garrire. Si quis pejus caeteris, castigetur ab illis qui melius balbutient, et a magistro ipso: non severitate aliqua, sed joco, vexatione, risu. Hanc poenam esse volumus barbarismorum et soloecismorum hoc loco, ut exercitatio sit jucundior et liberior.

Viii.

224 octavo repetatur libellus, ut recitent memoriter vel integra solia, ad percurrendum quam celerrime. Adjungaturque declinandi et conjugandi exercitium, itidem jam memoriter, sine tabellarum inspectatione: ut jam sine cortice natare consuescant. Exceptis tamen verbis formae secundae nuper inchoatae, nondum firmatae, sed demum firmandae. Hic proinde tabella uti, serperastrorum instar, adhuc liceat.

225 exercitia styli (pomeridiana) per hos dies erunt variatio sententiarum per numeros, singularem commutando in pluralem, et viceversa. Ex. Gr. Introitum vestibuli sic describant: veni puer, disce linguas pulchras et elegantes: et comprehende pro tuo captu rem variam, sapientiae semen. Deus te juvabit, praeceptor amabit, alius (quilibet) laudabit, ipse

gaudebis, etc. Ecce quam facilia haec! Per quae tamen multarum difficultatum ambages evitari, et a tergo relinqui, res ipsa docebit.

Ix.

226 nona vestibuli iteratio tota quasi. Examinatoria erit; ad cognoscendum, quid profectum sit hactenus in rerum intellectu, et verba interpretandi, discriminandi, variandi, promptitudine.

227 horas ergo matutinas percontando transiget magister: tu n. N. N. Quid est, venite pueri? Pueri, est ne nomen an verbum? Cujus casus? Cujus numeri? Cujus declinationis? Cujus generis? Quacunque autem ratione hic aliquis haerebit aut errabit, id semper ad aliquid necessarium et utile monendum occasio esse poterit.

228 quoties ad particulas indeclinabiles venitur, etiamsi de illis nihil adhuc traditum est, pergat tamen quaerere. Tu n. N. Pro (et, ergo, ubi, etc.) Estne nomen an verbum? Si haerebit, dicet praeceptor, nec nomen nec verbum, sed vocula invariabilis: cujusmodi multas esse (recenserique potissimum capite iv. Vestibuli) monebit; nondum differentiam adverbiorum, praepositionum, conjunctionum et interjectionum, attingendo, hoc enim reservatur grammaticae. Nunc satis erit differentiam nominis et verbi et generum casuumque, temporum modorumque usum nosse, atque insuper declinando et conjugando esse promptos.

229 exercitium styli hic jam altius ibit. Commutabunt nempe verborum modos, ex imperativis indicativos, et ex indicativis subjunctivos, formando: eoque intervenientibus particularum subjunctivarum (si, ut, quod, quanquam-tamen, etc. Quae illis praeceptores suggerent) vinculis, connectendo. Verbi gr. Ex introitu vestibuli proponendum erit argumentum styli vernaculi, in quo in latinum transferendo nihil requiratur, praeter dictam illam modorum permutationem: hunc fere in modum. Pueri veniunt ut discant latinam linguam, quae pulchra est et elegans. Si comprehendunt pro suo captu res varias, sapientiae semina, fit ut deus eos juvet, praeceptores ament, alii lauden, etc. Sed hoc vernacule proponatur, ut latine reddatur. Ita per totum libellum.

Page 379/380, image: s226

X.

Decima et ultima vestibulz repetitio conceriatoria erit, inter discipulos ipsos. Liceat inferiorum cuicunque provocare superiorum quemcunque. Atque tum provocans jubeat provocatum sententias, quas ei (e praesentis tamen horae demenso) proponet, transferre in latinum: et permutare numeros: et verborum modos: et declinare: et conjungare, etc. Omnia ex tempore, memoriter, prompte. Tum post ille hunc eodem modo examinabit, etc. Brabeum sit loci praerogativa.

231 styli exercitium hic tale esto. Ex occasione eorum quae mane examinata sunt singatur epistola, seu narratiuncula quaedam plenior: ad quam tamen non requirantur alia verba quam quae. Vestibulum suppeditat; sive in praesenti ejus diei textu occurrant, sive alibi indicis beneficio (cujus usum hic jam demum sentient) inquirenda veniant. Ex. Gr. Ex occasione

introitus vestibuli dictetur ipsis epistola patris ad filium vernacule, sic: mein sohn/wo du fleißig lernest die schone lateinische sprach/ so werde ich dich gewiß lieben. Denn darin ist grosse weißheitt zu finden. Hastu doch einen gutten praeceptorem: der dich also unterweiset/ wie du es begreiffen kanst. So ist auch gar leicht/ wenn man nur ordnung helt. Zwar der anfang ist etwas schwer: das end aber wird gewiß lustig sein/ gott helffe dir mein kind.

232 cavebit ergo praeceptor ullam immiscere vernaculam vocem, quam non index vestibuli habeat, et latinam illi respondentem in vestibulo mox quomodo latine exprimenda sit.) Nec periodos formabit bimembres aut trimembres: sed simplices: meminisse enim oportet balbutiem latinitatis nunc formari, et cum balbutientibus esse balbutiendum.

233 index vocum ut sit tantum vernaculus, (non additis vocibus latinis, sed numero sententiae, ubi vox ea latine redditur, expresso) non sine causa suadeo. Primo enim, entia non sunt multiplicanda sine necessitate: cur ergo vocum interpretatio, quae in textu facta est, in indice repetatur? Deinde, utile est discipulos quam saepissime textum inspicere, et familiarissimum habere; omni igitur occasione eo revocentur. Denique, eo ipso brevior erit indecula, et libellus parabilior et portatilior.

234 in examinanda compositione praeceptor in causas etiam inquirat (ut rationabiliter scribere et loqui consuescant) gur hoc ita posuisti? Cur non ita? Ubi data opera vitiose terminationem fingat: verb. Gr. Cur ponis venite? Cur
non venante, sicut amante: aut venente, sicut docente? Respondeat, et respondere doceatur: quia venire, est conjugationis quartae, ubi imperativus terminatur in ite, etc.

235 hoc erit praeceptorum et regularum intellectum usu formare, ut usum ferant: et sint praecepta, vere praecepta; et normae, vere normae et directoria. Absque hoc sit, quantacunque cura evoluantur grammaticorum libri, non ad aliud conducent, quam ad macerandum, torquendum, hebetandum ingenia.

236 hoc modo ad latinitatis vestibulum decies dedolatus latinitatis tyro, ipsam januam ingredi judicabitur idoneus.

Didactica januae l. L.

237 secundae classis latinitatis metam ponimus, ut puer eo erudiatur, quo (i) omnes usitatis latini sermonis voces intelligat, earumque verum et genuinum sensum, h. e. significationem propriam, examussim teneat (2) sciat significationum (quod ad cum usu fieri potest) reddere rationes, vi originationis (3) tandem ut scribat et eloquatur congrue, (h. e. grammatice, sine vitiis) quidquid jam rerum intelligit.

238 quae tria si annuo spatio (quod ante designavimus, §146) pueritiam addocendi commodam ostenderimus viam, rem haud levem praestitam esse nemo prudens negabit.

239 tria enim haec universali illi, quam intendimus, eruditioni, et quae proxime sequi debet facundiae suavi, plenaeque post eloquentiae, plane viam sternent. Quod ut aeque pervideant omnes, ante omnia id hic, vel strictim, rationibus et sapientum virorum testimonniis comprobandum erit.

240 quantum ad primum, aperte ostendit in sua (de emendatione vitiosissimae per germaniam eloquentiae) dissertatione ravenius, totius mali caput esse, quod qui eloquentiae dant operam,

non a fundamentis incipiant, sed a fastigio: h. e. dicendi genus summum jam inde a primordiis affectent, grandiloquentium imitationi illico sese dedentes.

241 suadet ergo gradatim iri, a dicendi genere humili ad mediocre; et a mediocri, ad grande. Attamen (quod observandum probe) ne ab humili quidem incipiendo,

---

Page 381/382, image: s227

Sed primum ad genus commune, quod omni characteri competat, juventutem componendo.

242 propriis enim verbis, et iis communibus et vulgaribus, sensa animi efferre posse, non solum primum esse ad eloquenitam gradum, sed et totius eloquentiae fundamentum: quinimo potissimum fluentis jam et urgentis eloquentiae vim, non in extremis illis tropo rum et figurarum ornamentis, sed in communibus illis et proprius rerum expressionibus, sitam esse, ciceronis et quintiliani: lysiaeque et isocratis, exemplis et testimoniis, probat. Tademque sine hoc fundamento omnem pro eloquentia conatum ridiculum esse, et in nugas abire, ostendit.

243 quod in nobis ipsis experimur, quicunque non hac felici et facili via ducti, sed per devia quaevis raptati fuimus. Non solum qui jam tandem tenuitatem, siccitatem, scabritiemque nostram agnoscimus et deploramus: sed et sublimes illi, sua opinione, qui verbosa loquacitate praetumidi, quoties facundiae suae expromunt, et in publicum ostentant, vires, toties nil nisi vel alienas rhapsodias, vel proprias bullatas nugas, tumores puta meros, et verba inflata, varie crepantia et hiantia, adferunt: sibi solis, suique similibus, mirandi, sapientibus ridendi.

244 si ergo nostra haec secunda latinitatis classis apte satis docere poterit, quomodo sermone recto et puro (nativo scilicet et proprio vocum significatu) animi sensa (saltem in necessariis interim) exprimenda sint, quid ni recte fundamentum sequenti altiori structurae posuisse existimemur?

245 eo tamen haut ulla certiore, ac studii etymologici, via pervenire licet quandoquidem si usu solo vocum omnium significationes genuinae addiscendae relinquantur, cum temporis ampla nimis spatia requiruntur, tum memoria obruitur, non ad certas classes revocatis omnibus: sed et intellectus vacillabit semper, nullis rationum cancellis, ut cui cohaereant, quae cohaerent, videat, septus. At dum vides, unde ortum sit verbum, citius intelligis vim ejus rei, quam cupis introspicere, inquit isidorus.

246 clarissimus becmannus (in aureo suo de originibus latinae linguae opere) septem recenset, et exemplis illustrat, studii hujus, quod in vocum rationes inquirit, utilitates. Nempe quod (i) ducat in distinctam proprietatis vocum cognitionem, ne promiscue una pro altera infarciatur. (2) viam aperiat in rerum cognitionem: (quemadmodum agellius labeonem antistium innumerabiles in jure civili nodos, non alia re magis quam vocabulorum originis diligenti investigatione expedivisse, refert. Nullam enim propemodum dictionem temere esse confictam, sed consilio impositam: ut origo vocis plerumque sit index naturae, i. E. Proprietatis et finis, ad quem res ordinata est.) (3) oratoribus hoc praestare etymon, ut cognita proprietate, sciant quae vis et efficacia insit voci: ad melius instituendum verborum delectum, quam eloquentiae esse originem caesar apud ciceronem dicit: (4) servire ad cognoscendas syllabarum quantitates: (5) et ad exactiorem scripturam vocum. (6) et memoriae parari praesidium ingens, dum multae dictiones ad aliquam unam, simplicem, primam; et multi significatus ad aliquem unum principem, revocantur. (7) denique, rem esse voluptatis sincerae

plenam, et melle dulci dulciorem, cernere, quam apte res et verba alia ab aliis descendant, et se invicem amplexentur.

247 non mirum ergo, excellentissima ab omni aevo ingenia in vocum originibus exquirendis, non tam deliciata fuisse, quam seriam et severam posuisse operam. Plato puta, aristoteles, cicero, caesar, galenus, varro, festus, scaliger uterque, etc. Etiam theologi magni: isidorus hispalensis episcopus: d. Lutherus (vir magnus et [gap: greek word(s)] qui edito opusculo nomina propria germanorum e nativis fontibus declaravit; praefixa adhortatione, exemplum dedi vobis, ut plura et meliora faciatis) m. Martinius, g. Cruciger, ipse christ. Becmannus, d. Gregorius francus, etc. Scribitque i. C. Scaliger: qui verborum curam putat indignam essa viro sapiente, is homines nos esse dedocet.

248 omnia haec ostendunt, haec etiam subsidia juventuti scholasticae (quo promptius et efficacius ad scopum rerum et verborum veram et solidam cognitionem, promoveantur) invidenda non esse: dandam potius operam, ut rem utilissimam et jucundissimam, ex operosis criticorum officinis ad puerorum transferamus ludos: quo per leviora haec (verborum rationabilem speculationem) circa res ipsas philosophandi fiat initium. Nam recte dictum est: rertum potior, verborum autem prior, est contemplatio. Et galenus: sine nominis explicatione rem velle cognoscere, est tempus perdere. Etymologiae enim ratio, est optimum intelligendi princivium.

249 optime igitur puerilibus studiis consulemus, si eos circa vocum etymologias reddiderimus perspicuos et accuratos: quantum quidem ad ea, quae latinis e fontibus derivantur. Caetera, quae apud latinos pro thematibus habentur, satis

---

Page 383/384, image: s228

Erit deduci a graecis (paucissima etiam ab hebraeis) vocibus: ut pueri graecam esse matrem, latinam filiam, animadvertentes, in illius etiam, ut antiquioris et purioris, amorem rapiantur, sensimque illius accipiendo gustum legere et intelligere graecanica consuescant.

250 et quia voces per se non absoluunt sermonem, sed voces conjunctae, ordineque debito dislocatae; non etiam exactae vocum significationes, et significandi rationes, tenere sufficiet, sed connubia earundem legitima insuper nosse, necessum erit. Atque hoc erit tertium, quod sibi praestandum proponit secunda haec latinitatis schola, sermonis congruitas.

251 trinus ergo erit pro exercitandis hic ingeniis apparatus. Primum ipse januae textus, e totius latinae linguae vocabulis usitatis, et ordine rerum ipsarum digestis (ut unumquodque non nisi suo loco, et suo nativo significatu, intellectui se praesentet ac insinucet) contextus. Cui quidquid ad plenitudinem et concinnitatem adhuc defuisse, accuratior observatio, et uberior praxis, oltenderit, sensim perfici, nostra et aliena cura, poterit.

252 alterum est quod propediem, [gap: greek word(s)] dabimus, rationale vocum omnium: hoc est, lexicon etymologicum, contextum e praecipuis aevi nostri etymologistis, in primis martinio, becmanno, alstedio, et coldingo: sed majori (quod res ipsa testabitur) compendio et facilitate, atque adhuc factum: ut prudentes rerum aestimatores dicturos sperem, puerilia esse facta quae senum erant.

253 cui addituri sumus promissum illum de homonymis, paronymis, et synonymis (h. e. verbis ambiguis, quae aut eodem, vel vicino sono diversam habent significationem, aut rursum sono diverso eandem plane, aut proximam, significationem) tractatum, discipulis utilissimum.

254 tandemque grammatica praecepta et regulas, ad compendiosam facilitatem, celeremque praxin, ex veris naturalis didacticae legibus concinnatas. Quorum omnium usus legitimus hic jam docendus erit.

255 dehinc jam, aeque januam, ut prius vestibulum, decies iterato pertransiri volumus: non oculis solum et lingua, sed et manu, memoriaeque et intellectus exercitiis) ut ad immittendum palation vere idoneos reddamus.

256 primo, percurratur lectione nuda, ob pronuntiationem rectam et celerem, libellique totius generalem et confusam praecognitionem. Legant ergo discipuli ex ordine, singuli periodos singulas, in circuitum: praemisso ubique textu vernaculo. Magister sit praeses, pronuntiationem et accentum emendans.

257 hac ratione (nihil enim amplius requiritur) percurri poterit januae textus intra unam et alteram hebdomadam. Adjungenda erunt solum, et inter operas inculcanda, de parribus orationis, et de accentu, praecepta.

258 exercitium styli (quatenus a scribendo initium sumit, et nomen quoque inde habet) erit, textus ianuae transcriptio, vernacule et latine: ut jam quoque celeriter, nihilominus tamen ad relegendum accommodate, scribere consuescant.

Nb.

Qua occasione addam; cur omnia quae discuntur, propria discipulorum manu describi suadeam? Primo, ut sibi manum expeditam comparent (sola quippe crebro iterata actio habitum confert.) Deinde, ut parentibus et scholarchis evidentiori sit argumento, didicisse omnino quae debebant. Tertio, ad memoriae subsidium: quae omnia eo facilius rapit, et profundius recondit, quo pluribus sensibus, et diutius, uni rei immoratur. Unde philippum melancthonem ferunt, quoties libellum aliquem insigniter sibi familiarem reddere vellet, transcribere solitum, quamvis impressum in bibliotheca sua haberet. Denique, adsuefieri volumus pueros ad attente versandum in autorum lectione, et referendum in diaria, vel locos communes, aut alia ratione transferendum mox in usum, quidquid utile legunt. Inculcetur proinde jam hic illis perpetuo (semel id monuisse sufficiat) lectionem sine stylo somnium esse, et rem evanidam.

Nb.

259 monendum et hoc, atque legis instar figendum: in bac secunda latinitatis schola linguae exercitia requiri perpetua: ut nempe colloquia puerorum, tam inter se quam cum praeceptore (et praeceptorum ad illos) non nisi latina sint. Quemadmodum sancte olim magnus scholarum reformator, sturmius, sanxerat: cum in scholas ingrediuntur pueri (inquit) cum domum redeunt, cum colludunt, cum simul ambulant, cum obviamveniunt, sermo sit latinus (aut graecus.) Nullus veniae locus, siquis hic peccat petulanter. (epist. Classic. Lib. 3.) Quam quidem sanctionem dissoluti scholarum mores profanarunt: eam tamen in vigorem revocari, magnopere docentium et discentium interest.

260 secundo reassumatur ianuae libellus, rerum enucleandarum gratia. Nempe ut antequam res verbis recte exprimere disant, prius eas discant recte intelligere.

Nb.

Protestamur n. Perpetuo, nos formare homines, creaturam intelligentem: non ad garritum et nugas, sed ad rationabilem rerum usum, et sapientem de illis sermocinationem: quorum

---

Page 385/386, image: s229

Neutrum sine praevia, clara et distincta, rerum, ut se per suas differentias pandunt, cognitione, obtineri potest. Nam, si confusa erit rerum cognitio, consusus et sermo. Lingua quippe non immediate res attingit, aut exprimit, sed rerum conceptus, ut in mente resplendent. Conceptus proinde formandi sunt primo, ut sint recti: atque tum facile erit formare. Linguam, ut exprimat recte, quod mens intelligit recte.

261 simpliciter ergo necessarium est, ut antequam verba januae accuratius resoluantur, res sub illis contentae prius innotescant: quod praeceptorum aliquam requiret diligentiam quanquani enim nihil adeo supra puerilem captum janua continet: quia tamen pueri pueri sunt, quorum mens vagabunde fertur, et non nisi obiter et cursim superficiem rerum ubique stringit, captivanda est aliquomodo, ut rebus fixius attendere, earumque differentias exactius observare consuescat.

262 quod alia ratione haut fieri potest commodius, quam si praeceptores coram discipulis accurate censum rerum instituant, quid unumquodque sit, et quomodo ab aliis ejusdem generis differat, ostendendo: et si quid janua, more suo, pressius dicit, uberius ad necessitatem enarrando. (observato diligenter, ut sibi attentos omnino reddat discipulos omnes. Quod artificium ostendimus ante, § 175.)

263 exempli gr. Ante capitis ii. (de ortu mundi) explicationem, poterit dicere: sapientes (quos vocamus philosophos) admodum sollicite indagavisse mundi originem, essetne a seipso, an aliunde? Sed nihil certi potuisse deprehendere, cum nemo interfuerit, qui rerum illa primordia spectaret, etc. Deum tamen per mosen revelasse, quomodo res gesta sit, etc. (tum poterit summam capitis primi geneseos recitare: et addere) nostra janua ita hoc summatim expressit. Deus creavit omnia e nihilo, etc.

264 in relegendo autem textu januae, quoties in rem aliquam explicatione egentem incidet, explicabit, vel per exempla, vel per sensualem demonstrationem. Ut in capite, § 20. Inform caligine)addat: moses vocat misturam terrae et aquae, tenebricosam, inanem, vacuam: philosophi chaos vocarunt, h. e. confusum quid, etc. Item § 21. Ad illud ideam intra se conceperat) addat: solent enim artifices antequam opus fabricant, formam seu exemplar (ein muster/vorbild/grundrisz/ etc.) Mente confingere, aut etiam in materia effigiare, daß man eigentlich siehet/ was es werden soll/ etc. Item § 22. Assignavit cuique locum, modum, genusque suum) illustret per exempla, sic. Locum) ut terra sit loco inferiore, coelum superiore: in terra ut se contineant lapides, arbores, animalia, etc. Solautem, et stellae, et nubes, in sublimi, etc. Modum) ut aquae non sit plusquam oportet, neque ignis: sed ad temperaturam mundi. Ut mus non in felis staturam excrescat: neque bos in ovis parvitate subsistat, etc. Sed prout ordinavit creator, etc. Genus) ut ex tritici semine triticum nascatur, non avena: ex juglande juglans, non quercus aut salix: et ex homine homo, non asinus, aut simia, aut rana, etc.

265 impossibile est non oblectari et inescari talibus puerilia ingenia, si pueriliter (h. e. crassiuscula. Minerva, familiaribus et blandis gestibus et verbis) proferantur. Ut optandum sit tales in ianuam commentariolos ab aliquo confici, in usum praeceptorum non usque adeo in realibus versatorum: postquam infelici methodo quidam nusquam a grammaticalibus progressi, quories ad haec realia (naturalia vel artificialia) venitur, in alium sibi orbem delati videntur: ideoque talia aut fugiunt, aut misere expediunt.

266 exercitium styli per hos dies sit idem quod ante, descriptio textus januae.

Iii.

267 tertio percurratur ianua propter uberiorem etiam rerum et verborum intellectum: quod hoc modo fiat. Jussis omnibus claudere libellos, recitet praeceptor latinam sententiam, aut periodum totam, jubeatque hunc et illum (sine ordine) vernacule dicere idem. Deinde voces singulas, quomodo vernacule reddantur, examinet. Ita necesse erit omnes ad omnia paratos accedere, praemissa domi repetitione diligenti. Nam si aemulatione res agetur, cogitabit quisque, occupet extremum scabies! Malletque diligentiae exemplis alios antevertendo saepius collaudari, quam a tergo relictus rideri aut confundi.

268 exercitium styli hic sit, descriptio grammaticae, ianuae annexae: saltem partis ejus primae, quae etymologia dicitur.

269 quarta ianuae periractatio erit obinitium praxeos grammaticae: ut nempe quidquid ex etymologia residuum est, addiscatur. Puta, partium orationis omnium accurata discriminatio; nominum et verborum, praesertim anomalorum, declinatio; maxime autem ut verborum omnium tempora cardinalia (praesens, praeteritum, et supinum) probe ediscant. Eo igitur sine totus ianuae textus pertranseatur, ut voces et voculae omnes excutiantur, quid sint, et quomodo flectantur? Commonstrato, ex annexa grammatica et lexico, quidquid de ulla earum

---

Page 387/388, image: s230

Monendum est. Quod aliquousque praeceptor faciet, modumque observariones illas ex lexico et grammatica colligendi, ostendet: post exiget a discipulis, quo grammatica et lexico expedite uti, omnino addiscant.

270 exercitii scriptorii loco: sit continuatio describendae grammatices: ut sibi generalem et consusam jam sic omnium praeceptorum notitiam parent, antequam usus illorum monstrari et urgeri incipiat.

V.

271 quinta vice pertransibitur ianua originationum addiscendarum gratia. Quod ut succedat felicius praelegatur illis ante omnia lexici fundamentum; lexico ipsi praemissum: ut praecognoscant rationes, causas, modosque omnium derivatorum et compositorum. Hoc intra duas, tres, quatuorve horas absoluto, eatur per januam totam, examinenturque omnia vocabula sigillatim, unde veniat unumquodque, et quam habeat significatus sui rationem? Quod totum ita expediet lexicon, ut praeceptoribus et discipulis nihil testet, praeter inquirendi, relegendi, saepiusque iterandi, jucundum laborem, donec alte insideant omnia menti. Hoc enim studium, ut ante diximus, nihil difficultatis et nauseae, multum suavitatis, plurimum autem, et supra quam imperiti imaginari possunt, utilitatis, habet.

272 pomeridianis horis describant idem lexicon, praeceptore obambulante, et ut diligenter, munde, correcte, scribant omnes, inspectante.

Vi.

273 tractatus de homonymis, paronymis et synonymis, ut probe intelligatur, et usum cui destinatur ferat (h. e. nihil relinquat confusum in vocum significationibus, sed faciat omnia distincta et clara, quantum hoc puerile studium permittit:) relegendus erit et explicandus pueris: et mox percurrenda ianua tota (atque id jam via sexta) eo modo, ut discipuli jubeantur ipsimet inquirere, et monstrare, voces illas, homonymas et paronymas, earumque significationes distinguere. Quod alia ratione non poterunt, quam relegendo saepius, et omnino ante omnem lectionem, tractatum illum, cum annexo illi omnium homonymorum et paronymorum indice, donec memoriae omnia haereant. Tandem enim jubebuntur totum illum tractatulum recitare.

274 ut ergo haec melius se intellectui figant, per eosdem dies, horis stylo dicatis cundem tractatum describant et rescibant, quoties poterunt. Non enim ultra octo decemve foliola habebit.

Vii.

275 sed jam tempus erit structuram ettam vocum conjunctarum discipulis monstrari. Redeatur ergo ad ianuae introitum, et eundo (septima vice) per januam totam, ostendatur, in omnibus sententiis constructionis ratio, per syntacticas januae attextas regulas. Quod ut procedat expeditius, cogitamus totius syntaxeos regulas uno continuo numero signare: in ipso autem jacuae textu numeros illos assignare, ut per quam regulam unumquodque sic dicatur, illico pateat. Ita enim nihil relinquetur laboris, praeter constructionem quamvis cum regula conferendi, ut usu crebro tandem omnia illi in habitum transeant. Qua ratione consulturi videmur, tam diligentibus et ingeniosis, ut expedita omnia cernentes eo alacrius per syntacticum hoc studium volitent: quam ignavis et hebetioribus ut se quoque omnino progredi posse videntes, progredi pergant.

276 ut autem syntacticae illae regulae facilius memoriae haereant, describantur intrae hos dies, horis exercitio styli destinatis. At non regulae nudae, ut impressum exemplar habebit: sed cum adscriptis e januae textu exemplis, quae subjecti cuivis regulae numeri indicabunt. Hoc exercitium plus in recessu habebit, quam a fronte promittat.

Viii.

277 octavo percurratur janua orthographiae et prosodiae causa. Ergo, praemittantur utriusque ex annexa grammatica, praecepta: et in textu ipso relegendo ostendatur (paulo post autem examinando exigatur) literas, syllabas, voces, sententias, periodos recte scribendi et pro-nb, nuntiandi ratio. (omnia enim illa sub orthographiae et prosodiae regulas redigenda sunt: non orthographia ad literas, prosodia ad syllabas, restringendae: ut vulgo inepte sit. Quando quidem integrae etiam periodi et paragraphi, imo textus, suas rectae scriptionis et pronuntiationis leges habent.

278 sed adjungenda videtur hac vice recitation textus ianuae e memoria. Iam enim toties varie iterata lectione, relectione, expositione, resolutione, etc. Satis alte insediffe videntur omnia potuisse menti. Repetant ergo sibi privatim omnes, et publica recitent qui jussi fuerint, vel integra folia, bina aut trina capita intra horam unam. Ubi autem scire omnes constiterit,

reliquum horae tribuatur examini orthographico et prosodico, ut ante dictum: qub intra duas tresue hebdomadas iterum libelli finis attingatur. Omnia enim expedita fore, cum per praemissos gradus huc ventum fuerit, speramus.

Page 389/390, image: s231

279 exercitia manus hic etiam non alia erunt, quam regularum orthographicarum et prosodicarum descriptio toties quoties tempus patietur; aut necessarium esse prudens informator judicaverit.

Ix.

280 nono redeat janua, propter analysin quasi logicam, per quaestiones. Quae insignis erit via, ad vim rerum et verborum, ex varia ad alias res et verba ordine, nexu, respectuque prospiciendum: ingenerabit item solertiam prudenter atque cum ratione, tum considerandi quidvis, tum respondendi de quovis: denique ad rectum nativamque syntaxeos praxin ita deserviet, ut structurae ratio sic demum vere dilucida sit evasura, et in expedito futura. Cum enim de qualibet periodo praeceptor desumet praecipuum, seu nomen, seu verbum, seu utrumque, ad formandam inde quaestionem: discipulo incumbet e reliquo formare responsum. Quod quia nec totidem, nec eodem ordine locatis verbis, quibus ipsa integra periodus constare poterit, sed imminutis et immutatis: necessario hic attentio et judicium acuentur.

281 id quod alicubi facile erit: nempe ubi quaestiones et responsa parata habentur. Ut § 2. Quid est erudi. Um esse? Resp. Nosse rerum differenias, et posse unumquodque suo designare nomine.alibi paulo difficilius: ratio tamen ubique, quid interrogandum, et quid respondendum sit, dictabit. Ut § 4. Quae sunt eruditionis fundamenta? Resp. Nomenclatura naturae. Et artis. Et rursum: haec fundamenta quomodo ponuntur? Resp. Nomenclaturam naturae et artis perdiscendo, etc.

Nb.

282 hoc exercitium quam simplex et puerile videatur, tam efficax erit ad aciem puerilis ingenii excitandum, et directe in res et verba intendendum. Quare ut hac parte, vel illi etiam qui per se minus perspicunt, quid hic ubivis sit agendum, viam reperiant patefactam et signatam: dabimus opperam, ut populari quadam logicae methodi accommodatione, designatas exhibeamus quaestiones, quae de nominibus substantivis, adjectivis, verbis item, uc et aliis voculis (in quibus rerum emphases latent) institui queant.

283 exercitium styline quidem hic aliud opus erit institui: quam ut ea ipsa quae matutinis horis sic agitata fuerunt describantur: omnia nempe, totius januae, in quaestiones resoluendo, et responsionibus explendo. Dictu non facile est, quantas stylo et judicio utilitates perbellum hoc exercitationis genus allaturumsit.

384 decima ianuae repetitio iterum concertatoria sit, ut ante vestibuli, § 229. Contendant bini (auscultante toto coetu, et magistro) de promptitudine memoriter recitandi, interpretandi,

anomala declinandi et conjugandi, homonyma et paronyma distinguendi, syntactice construendi, quaestiones formandi, et ad eas respondendi, etc. Victori praemium, si aliud defuerit, applausus esto publicus, et superioris loci honor sed optandum esset alia etiam diligentiae incitamenta, munuscula, a scholarum patronis. Subministrari.

285 stylus hic jam demum liberius exerceri incipiat, postquam susscienter vocabulorum copia, eorumque sensu vero, et construendi arte, instructi sunt. V ertent ergo dictata a praeceptore argumenta, e vernaculo in latinum: verba et sententias suggerente vel memoria, vel indice vernaculo, ea fine januae adjuncto. Sive e. G. Fuerint historiolae, sive apologi et fabulae, sive alius generis narratiunculae, a praeceptote contictae vel aliunde acceptae, non intererit; modo nihil habeant a januae forma alienum, figuratum aut tropicum nimis, aut valde remotum a praesente humili conceptuum et styli conditione.

286 nam decurrentes per haec stadia, ad metas deduci satis est, non ultra. Metam v. Januae semel fiximus, ut pueri puerilia animi sensa, quanta a rerum janua contentarum cognitione exsurgere possunt, congrue efferant. Hoc si assequimur, scopum attigimus, hic subsistendum est.

Atque nobis etiam hic nunc, sub januae egressu, pedem figere libet.

287 quantum enim ad vsum palatii et thesaurorum latinitatis, optima de illis poterunt suo tempore consilia dare ipsi architecti: quibus o deus vitam viresque suffice, in honorem nominis tui!

288 hoc unum insuper hic monere operae pretium fuerit. Salutare admodum

Nb.

Fore pueris, methodo hac instituendis, si librorum eis nullorum copia siet, praeter quos classi suae destinatos habent; primae, vestibulum, secundae ianua, tertiae palatium, etc. Cur ita suadeam, causae sunt in promptu. I pluribus intentus minor est ad singula sensus. Multa simul agendo, nihil recte agimus. Habeant ergo interim sibi sola haec, suum in usum tanto studio elaborata: his attendant, aliis ne distrahantur. Vsus assiduus uni rei deditus, et ingenium et ariem saepe vincit, inquit cicero. 2 delectum rerum adhibere pueri nondum possunt, possunt facile incidere

---

Page 391/392, image: s232

In ea, quae se confundant et intricent, si quidvis contrectandi occasio sit. 3 quod romani praecones capitolium ad sacris operandum ingressuris acclamare solebant, hoc age, ad id pueros etiam condocefacere bonum est, ut autoribus immorari, non per eos volitare, adsuescant. 4 denique, immoderato studio vigor ingenii, praesertim ignei, atteritur: quod praecavendum. Tardiores vero, cum nihil varium et diffusum ante se vident, sed pensa sua pugno circumferunt, facile illa superandi animos induunt.

289 atque haec sunt, quae in praesens edisserere habuti. Quibus meditandis, et in publicum communicandis, desideria quorundam, de vestibuli et januae usu consilia requirentium, occasionem subministrarunt.

290 nihil hic dictatorie praescribimus cuiquam, sed simplicioribus solum consilia damus: quibus in puerorum institutione, sivei lla privara sive publica, ductum nostrum sequi vel jam ante libuit, vel porro libere queat. Eadem tamen opera voluimus aliis etiam votorum nostrorum summam, et cogitationum qualemqualem delineationem, exponere: qua facili et expedita ratione obtineri posse confidamus, ut docentes et discentes, ludibundi suas peragendo operas, solidissimos tamen faciant in l. L. Studio progressus.

291 si quis haec non adeo esse mala agnoscit, in commissae fidei suae juventutis commodum iis uti (tantisper saltem, dum dies et deus meliora, quibus semper locus erit, offerant) ne detrectet. Constat quosdam usque adeo morosos, morisque sui tenaces esse, ut quamvis videant meliora probentque, rationibus et apertae veritati resistere non valentes, deteriora tamen usque et usque sequantur. Quasi vero laudis sit, consuetudinem pro lege sequi: aut, ut seneca loquitur, pecorum ritu sequi antecedentium gregem, eundo, non quo eundum est, sed quo itur. Scienti bonum facere, et non faciemi, peccatum est illi, inquit apostolus (jac. 4. 27.) Scire igitur non sufficiet, in usum transferas oportet.

292 gravissimum illud hesiodi monitum, de tribus hominum generibus (quod in scholis frequenter quidem recitari, at perquam tamen negligenter observari solet) hoc loco subnectere libet: sed livio interprete, ejusque adeo verbis, quae ille minutio ad milites accommodavit, ad puerorum eruditores pronuntiantes, saepe ego audivi (inquit) eum primum esse virum, qui ipse consulat quod in rem sit, secundum eum, qui bene monenti obediat. Qui nec ipse consulere, nec alteri parere scit eum extremi ingenii esse. Quodsi versus versibus expressos audire potius libet, autilli etiam movere animos magis forte quorundam possunt, adsit hoc loco melanchthon: qui eanadem sententiam ex hesiodo hunc in modum reddidit.

Omnia per sese qui praevidet, optimus ille est:
proximus ille tamen, qui paret recta monenti.
Sed qui non sapit ipse, nec audit recta monentem,
invida ei mentem misero natura negavit.

Nb.

293 gnavos autem et solertes didacticos [quoscunque ad feliciter alios docendum peculiari dexteritate, sive natura instruxit, sive praxis longa exercuit] debita cum veneratione oramus, ut cuicunque aliquid ad praesens institutum consilii boni suppetit, in commune conferre ne dedignetur. Commune enim negotium agitur.

294 ergo quicunque acrius prospicit, et quomodo haec nostra ad majorem [gap: greek word(s)] et facilitatem, usumve ampliorem et solidiorem, deduci possint, videt, ne sibi soli videat, sed reipub. Christianae. Nemo nascitur sibi soli, humanae societati omnes: quam nisi pro sua virili adjutum it quisque, indignum se praestat, quem ulla re adjutent alii.

295 ante omnia, si quis ad rectius constituendam ianuam linguae latinae opis aliquid utiliter ferre potest, faciat obsecro: ut rem communis usus, communibus consiliis et auxiliis, omnium usui quam accommodatissimam efficiamus.

296 mittant vero quantocyus observationes suas, ut cuique commodum est, sive lipsiam ad d. L. Zacariam schneiderum, academiae professorem; sive dantiscum, ad r. D. Iohannem mochingerum, gymnasii rhetorem; sive de autorem, lessnam. Quemadmodum et quae de palatio atque thesaurisl. Lquispiam, monere habebit, gorlicium et erphordiam,

ad architectossuos, viros humanissimos, moneri et doceri aeque nobiscum, non tam patientes, quam avidos.

297 invitamus vos amantissime, et vocamus, non in partem laborum solum, sed et ad participandum de laude, et rei bene gestae (si fuerit) ad posteritatem memoria. Quanquam virtus ipsa sibi pulcherrima merces: conscientia nempe candidae mentis, non defuisse officio suo ulla parte, qua depravatas res humanas aliquanto in melius promovendi, et varie intricatas difficultatibus aliquomodo extricandi, spes fuit.

Page 393/394, image: s233

298 at si quis prae omnibus his nostris exquisitiora, usu faciliora, fructu solidiora, novit, aut invenire se posse sperat, festinet obsecramus disjicere hanc minus utilem machinam nostram! Initurus eo nomine grariam ingentem apud omnes bonos, nos etiam ipsos, et posteritatem: de qua merebitur optime. Quid enim juvat parum fructuosis, et mox desituris, fangare vires? Et onerare mundum, jam ante librorum mole nimium multum labor antem?

299 sed ut. Dissertandi faciam finem, omnium quae hanc in rem dici possunt, summa et finis hic esto:

Docedum est sine invidia: et discendum sine pudore.

In augmento enim sunt, et incremento, omnia humana, quae in melius ire possent.

300 claudat itaque seneca, verbis quibus epistolam suam xxxiii claudit. Nunquam quidquam invenietur, sicontenti fuerimus inventis. Quod ergo? Non ibo per priorum vestigia? Ego vero utar via veteri: sed si propiorem invenero, hanc muniam. Qui ante nos ista moverunt, non domini nostri, sed duces sunt. Patet omnibus veritas, nondum est occupata. Multum ex ea etiam futuris relictum est.

Consilium de vestibulo, ac porro etiam janua latinitatis eximie perficiundis: primo utriusque auctori. D. I. A. C. Per epistolam suggestum a g. V. D.

Clarissime vir, domine et compater faventissime,

Iam pridem me illa admodum indelectarunt, quae pro pube literaria ingeniose excogirata, et pro initiis istis non ineleganter adornata, certe feliciter admodum, atque opportune, in publicum edita abs te, prodiête opuscula, latinitatis nimirum vestibulum, et janua. Hoc ipsum tamen in te, vel maxime etiam prae caeteris complacuit, quod in iisdem opusculis illis, licet sic avidissime, et cum applausu plerubique exceptis, limam adhiberi ulte rius, non tantum gratissimo aequissimoque animo semper tuleris: sed professis subinde votis, privatim publiceque etiam, ut id ab eruditis, et rei hujusce satagentibus fieret, requisieris.

Permovit id me eo tandem nuperis diebus, cum filios meos in vestibulo tuo occupatos de profectibus explorarem: ut ipse etiam cogitare paulo altius coeperim: qua porro ratione acceptissimum illud, conducibilissimumque opusculum tuum, perfici possit: ut sub vestibulo

isthoc pueris adornato, viris etiam undiquaque perspiciendum veniat: quo eruditionis ac sapientiae, aetas tenella, queat ista methodo sensim pedetentimque perduci.

De quo, quoniam vix satis habes oretenus quaedam a me dissertata fuisse, sed consignari in schedam discupis, quae cogitata in remistam a me fuêre: parebo pro amicitia, quae nobis est haut vulgaris: cum praesertim hoc spectare te videam, ut ea ratione, tum considerate satis perpensari singula; tum exquiri aliorum judicia, et in eandem rem consilia conquiri sic undecunque possint: denique, ut si quis limando poliendoque libello isti tuo accommodare operam suam velit, velut regulas ac normam ad manum habeat, secundum quas laborem suum moderetur.

Quantum igitur mihi de re proposita in praesens perspicere contigit, scopus vestibuli certus fixusque is omnino est, perpetuoque idem tenendus ac respiciendus videtur: ut pueri velut intra limen primum eruditionis atque sapientiae sistantur: adeoque pro aetatis modulo, ac ingenii captu, sensim gradatimque deducantur, non tantum ad latinam lInguam, ex ipsis initiis pure addiscendam, sed et ad sapientiae humanae coelestisque seminia, cum ipsis primis linguae rudimentis, sensim minutimque concipienda.

Ad hunc scopum, utut jam ante hac libellus tuus, haut obiter apparatus, existat: videtur tamen magis magisque eo accommodari idem posse: si secundam leges quae sequuntur, accurate districteque recenseatur

1 primo igitur, curandum id venit, ut vocabula in vestibulum referantur, non nisi talia, quae ad captum puerilem, quantum ad rem significatam attinet, etiam quadrent.

2 non congerantur tamen, quae ejus generis sunt omnia; sed illa ponssimum, quae communiore, ac frequentiore ufu, puerili sese aetati offerunt.

3 atque in vocibus huc referendis, accurate tamen observetur, dum non quaevis admittantur quae sub captum cadere puerilem possint: ut inter ea quae pueris solent

---

Page 395/396, image: s234

Esse familiarissima, usuque frequenti trita, nihil quicquam temere praetereatur, quod nomine suo in vestibulo non denotetur: quo sic satis ad. Balbutiem primam instruantur, hoc ipso vestibulari libello: ut de quibus ipsi loqui solent, et latine balbutire affectabunt, de iis plerisque ex libello etiam isto commode praestare id possint.

4 barbarae voces, seu non satis latinae, provide exeludantur: puta quae vel nusquam apud auctores probos usu veniunt: vel citra necessitatem, et contra analogiam de novo confictae, inque vulgi usum introductae sunt.

5 quod si citra antiquorum usum vox quaedam, vel necessario ficta fuit, vel hodie prorsus recepta est, communi etiam eruditorum usu, admitti sane illa poterit.

6 at ubi tamen ex antiquo usu probius quid suppetit, quam usus hodiernus vulgi, et sermo proletarius habet, sic agatur, ut distinctioni illi charactere distincto expressae, probior vel praemittatur, vel subjungatur, in parenthesi e. G.

Hebdomada (septimana)

Cum attentione (devote)

7 structurae ratio sensim crescat, fiatque a simpliciori nexu progressus ad eum qui videtur aliquanto difficilior.

8 neque tamen stractura hic altius admodum procedat, quam ut per declinationum conjugationumque exercitia puero manifestari eadem fere. Queat: aut certe ex primo et universali ductu syntaxeos, atque ex regulis quibusdam facillimis, facile pateat.

9 quamvis etiam illud pueri percepturi videantur, quod per regulas non facile ipsis explicaris: dum exemplis nonnullis subinde structura aliqua monstretur potius quam regulis inculcetur.

10 vocabula quae sic connectenda venient, connectantur, quoad fieri potest, in attributiones, enunciationes, quaestiones, alloquia, responsa, monita, etc. Quam brevissima.

11 atque ista etiam omnia concipiantur ad eum modum, ut exprimant aliquid, vel

Dictu dignum vel,

Observatu memorabile; atque id ipsum

Veritati satis consentaneum;

Vsui vitae accommodatum; denique

Cum statu quodam initiali sapientiae conjunctum.

12 quod si enunciatum, monitumve aliquod, aliquanto longius, per rei naturam evadit, disting vatur illud per commata et cola talia, quae sensum sensim puerorum animis jnjicere queant: ut sic summa rei per dispositas apte et liquide consequentes particulas, ob oculos evidenter ubique statuatur.

13 hac quidem ratione vel opera etiam danda est; ut voculae illae, quae satis evidentem in sermone relationem habent, commode suis locis, in vestibulo etiam adhibeantur. Cujus generis sunt,pronomina, adverbia, itemque conjunctiones quaedam. Ut is, qui: hic, ille: cum, tum: vbi, ibi: quo loco, illas, quoque admittendas fore intelligendum est, quae solitariae, sensui explendo aut limitando aliquid annectere vel interponere solent: ut sunt, relativa monadica. Qui, quae, quod, conjunctiones item quaedam: ut, si, ut quod, cum: et ejus generis aliae.

14 in combinatione vero et consociatione illa vocum syntactica, hoc curetur etiam diligenter; (quod hactenus eximie ab auctore primo observatum fuit) ut substantivis adjectiva et verba, ea ad jungantur potissimum, quae ad mutuam quandam rei significatae declarationem inter se faciant: adeoque velut definitiones, et notabiles quasdam rerum differentias, animo saltem ingerant: si non omnino semper aliquid sic simul pro vitae usu, ac sapientia uberiori, submoneri eadem opera possit.

15 nomina complura eidem verbo gregatim subjicere, visum est quidem nonnulis vestibuli perpolitoribus: sed illud, ut non improbetur prorsus, haut adeo ad puerilem intelligentiam, et memoriam accommodum est, quam si prope nomina singula cum peculiari quadam attributione sua offerantur. Itaque ubi plura ejusdem census nomina recensenda veniunt, ipsa

ita potius pleraque omnia dispescantur, ut cum peculiari suo attributo aut praedicato, socientur. Sic quidem, nihil usquam memoriae imprimere necesse habebit puer, nisi et cum mutua quadam declaratione conjunctum, et ad instruendum pro cognitione rerum animum, quodammodo comparatum.

16 hac parte autem id quoque accuretur, ne in connexione tali soloecum quid usquam occurrat: ut connectantur forte, quae per sensum vocum singularum recte aestimatum minus possunt, aut per usum auctorum proborum non solent. Cujusmodi quaedam hactenus in vestibulum subirrepsisse, alicubi deprehendentur.

17 proprietas in vocibus quibusque ubique observetur exquisite: ut sensu singulae quam maxime proprio in vestibulo collocentur. Qua parte, critica quadam industria opus fuerit, ut singula probe expendantur, et de auctorum vere latinorum usu exquirantur.

18 si tamen vox aliqua sensu proprio,

Page 397/398, image: s235

Vel minus usitata forsan existat, vel puerili captui parum accommodata sit: alio autem eoque etiam translatitio sensu deprehendatur, et vulgo tritissima esse, et a captu puerili non aliena: communioris usus tum potius, quam proprietatis nativae habeatur ratio.

19 vox eadem eodem sensu ne repetatur temere: nisi si aliter fieri non queat: ut necesse sane est voculas quasdam usus communissimi repetere, non plusquam semel tantum, sed saepius etiam.

20 alio tamen sensu, si in puerilem captum aeque cadat, ususque sit vulgaris ac triti, reperere eandem vocem nihil impedit, sed et expedit. E. G.

Refero ich bringe da von. Refero ich bringe fur/ oder erzehle.

Valeo. Ich vermag/ oder kan. Valeo. Ich bin wol auff.

21 atque hic elegans fuerit, et puerorum animis cum suavitate quadam differentiam significationis imprimet: si quod haut paucis in locis hucusque etiam observatum fuit, id porro concuretur: ut vel in eadem, vel proxima aliqua sententia, diversitas significationis offeratur.

Ex. [correction of the transcriber; in the print e.x] gr. Tua non refert, quod nugator refert.

In deserto eris desertus.

Sacris interesse, etiam puerorum interest, etc.

22 in ipsa porro ejusdem vocis repetitione, si eodem maxime sensu etiam fiat, operam dari conveniet, ut ne tamen citra varietatem omnem repetatur: sed nomina quidem casu, numero, aut diminutione; verba autem personis, temporibus, modis, formisque varientur: adeoque per structuram notabile quiddam, et ad declinationum conjugationumque usum, magis magisque manifestandum accommodum, in uno loco prae altero semper offeratur. Sane vel ita, in diversis licet verbis, tempora, personas, numeros, modosque et formas, variare in vestibulo conveniet: ut nullius non personae, numeri, temporis, modi, formaeque, exempla aliquam

multa, puero non occurrant. Hoc enim ad scopum vestibuli apprime faciet: ut declinationum conjugationumque exercitium, in ejus tractatione, cum perpetua usus commonstratione conjungatur.

23 verba, si quem casum requirant ita ponantur, ut casus ejus usus simul pateat. Nam hac ratione pueri, nec animad vertendo ad constractiones rectas adsuescent: perinde ut ex adjectivorum ad substantiva adsociatione, genera quoque citra operosas regulas internoscere condiscent.

Itaque ut commode dicitur, deus te juvabit ita porro bene dicetur: pater tibi prospiciet. Magnates te promovebunt. Alii te imitabuntur, etc.

24 neque vero solae etiam voces primigeniae ac simplices tantum admittendae in vestibulum putentur: aut deducta et composita sollicite excludantur: cum methodus et compendium requirere videatur, ut a simplicissimis fiat initium, et perceptis illis caetera ultro patere soleant quae ex illis seu deducuntur, seu componuntur. Valet nimirum istud in iis, quae speculatione concipiuntur: non item in iis, quae usui ac praxi quam proxime ac maxime accommodanri debent: ubi citra ortus primi respectum, citra simplicitatis intuitum, saepe prius opus est deductis ac compositis, quam ut de primis et simplicibus vel cogitari ullo modo necesse fit. Et hac parte aliam esse etiam simplicitatis rationem, deprehensum est: quam ut eadem ad puerilem captum, ac usum, vel satis sit semper accommoda, vel tuto etiam adhiberi queat, hoc consilio ac professione, quasi deductio et compositio deinceps in expedito futura sit. Animadversum contra fuit, deducta et composita saepe multo esse simplicioribus et primitivis usitatiora, sensuque suo etiam magis communia. Ad haec, ita a simplicibus et primis composita et derivata nimis quam multa descendunt: ut declinatio, ea quam varro sic vocat (quam alias derivarionem dicimus) et compositio, haut quaquam sit naturalis, hoc est, eodem se modo etiam in similibus habeat (uti fit in declinationibus, quas vulgo sic appellamus:) sed variet etiam quam maxime, etiam in simillimis: adeoque ex usus peculiaris observatione plane pendeat. Neque enim ut ab hoc illud derivatur; ita simile aliud item ab alio licet derivare: vel ex quibusuis, quidvis item, citra usus approbationem componere. In quo etiam feliciter ac dextre cxequendo, jam rerum ea intelligentia requiritur, quae in pueros non cadit: viris certe negotium etiam facessere alicubi potest. Et saepe significationis ratio ita variat inter prima et deducta, ut vix ulla lege certa comprehendi res ea possit: nedum ut pueris in expedito futurum sit, ex primitivorum notitia per generales regulas ad derivata procedere: sensu praesertim inter linguas ita etiam variante in vocabulis: ut quod in vernaculo compositum deductumve est, in latino sit simplex ac primitivum, et contra.

Page 399/400, image: s236

Quibus ita comparatis, satius, imo necessarium esse ag nosci potest: uta derivatis et compositis nihil admodum in vestibulo abstineatur: quin eo cum privilegio in illud admittantur: ut non tantum cum primiti vis et simplicibus promiscue accersantur: sed vel illis etiam si usus sint forte vulgatioris, et si captui puerili significent aliquid magis accommodatum, praeferantur.

25 extra eam autem rationem, si aliter nimirum res comparata in quibusdam deprehendatur, poterit ac vel debebit sane primitivis ac simplicibus praerogativa concedi, ut in vestibulo prae deductis et compositis statuantur.

26 forte et illud non nemo requiret: ut vocabula potiora quaedam, citra structuram, qualis in vestibuli textu occurrit, separatim praemitrantur, cum pueri sic multa per vestibuli textum, de casu recto et primo aegre agnoscere, et minus dextre animo imprimere posse videantur.

Quae sententia, quantum ego in praesens deprehendo, postulare quippiam videtur, magis ex pristino more commendabile, et forte ex prima assuetudine plerisque etiamnum hodie commendatum: quam ut idem vel omnino necessarium vel admodum expediens fore, censendum sit.

Nimirum isti defectui in vestibulo, id plus satis medebitur, quod index accessurus sit, casus rectos et themata verborum cum iis, quae juxta inculcari pueris convenit, perspicue exhibens. E quo puer dum in flectendis vocibus non obiter exerceatur, facile poterit quodque non nomen tantum, sed verbum etiam, pervestigare.

Ita autem ea ipsa quoque themata memoriae penitus imprimet, si non tantum de textu, qua constructae sententiolae obveniunt: sed de indice etiam, quatenus vocabula simplicia spectantur, recitare et vel cum commilitonibus certare subinde jubeatur.

Omnino alias, sic voces quaeque, etiamsi cafu primo, vel secundum ipsum thema, non proponantur, discuntur et facilius et certius, cum in structura quadam offeruntur: quam ubi extra structuram solitaria proponuntur. Vis nimirum, significatio, ac usus, ista ratione et perspicue patet et faciliter retinetur: cum in solitariis significatio vera saepe lateat; usus autem extra structuram nulla ratione pateat, sed vix operosa institutiono tandem inculcetur.

Quamvis etiam, ut thema quoquo loco, facilius et mox pateat cum textu; nec indicem adire in tractatione prima opus sit: exprimi difficiliora ad marginem consultum fuerit.

27 quod si tamen vocabulis quibusdam solitariis, more antecessorum pusiones teneros, in primo vestibuli limine, inescare velut libuerit, ad vestibulum ipsum avidius et expeditius subeundum: praemittatur sane quaedam sylloge vocum pueris familiarissimarum: et rhythmica illa ratione per homoioteleuta significata, ab initio proponantur: ut materia sic solis in primo aditu declinationibus exercendis suppetat.

Quod ipsum si non in nominibus tantum, sed verbis etiam quibusdam fiat, jam materia quoque conjugationibus similiter exercendis sub initium praesto erit.

Atque haec talia, tali modo, intra eum numerum pueris proponi satis fuerit: ut dum inflectere ista satagunt, jam potiora alia omnia nomina et verba, ad istorum aliquod deinde referri possint, tanquam similis inflexionis futura.

28 in indice quoque illo, qui vestibulo subjicietur, hoc observari non de nihilo fuerit: ut primitivis sua derivata, et composita, subjiciantur. Qua ratione quicquid ea parte ad faciliorem intelligentiam, promptioremque memoriam facere potest, tutissima ratione pueris proponetur.

29 quod ordinem, veramque seriem seu classes, per quas voces in structuram redactae, proponantur pueris, attinet: poterunt sane sic triginta praeterpropter capitafieri. Sed ut singula

sub sua semper classe distinctim reponantur, nihil necesse est. Id fieri satius est, si ea semper occasione, sub quocunque tandem capite, res quaeque attingatur maxime, sub qua perutilem quandam atque non indignam enunciationem attingi potest. Rerum verborumque ordo accuratior in januam probo satis consilio reservatus est.

30 atque tandem cum ea, quae sub quoque capite praetermissa videri possent, alibi fere reperiantur, opportuno etiam quodam loco expressa: atque interim eadem sub suo capite seu classe in conspectu haberi, et velut in eodem complexu teneri expediat: suppleri defectus ille sic poterit: ut sub calcem cujusque capitis vocabula, quae videri poterant praeterita, notentur cum indicio §. In quo legantur seu reperiantur alibi.

31 ut potiora tandem omnia quae hucusque dicta sunt, velut in summam conferantur, videndum venietin vestibulo, ac suo deinde modo etiam in janua, perpoliendis magis ac perficiendis.

Annon occurrunt etiam in illis quaedam 1. Minus pura? 2 non admodum propria, vel usu saltem trita? 3 parum digna ac momentosa? 4 ex parte tantum vera? 5 ad

---

Page 401/402, image: s237

Puerorum capium vix accommodata, vel illum superantia? 6 nec ad usumvitae adeo comparata, etc.

Ut non alicubi quaedam demi, alicubi nonnulla addi; denique quibusdam in locis aliqua commutari, ac substitui meliora atque rectiora, possint.

Atque hinc, ubi deprehensa ac notata quaedam illiusmodi fuerint, laborandum curandumque id fuerit: ut non tantum quae deesse videbuntur, suppleantur: sed et substituantur locis sic animadversis,

Puriora

Magis propria et vsu trita

Digniora

Veritatis certae ac plenae;

Captui accommodatiora;

Denique ad usum vitae magis factura.

In janua quidem praeter ista venient forte nonnulla etiam sigillatim observanda, ob scopum, qui illi amplior et sublimior praefigitur: sed nunc in vestibulo subsistere placet, neque ad ipsam usque januam perrumpere. De qua alio tempore erit, ut exprimam quod animo cogitaro.

Quod translationem alemanicam vestibuli attinet, de ea breviter haec monenda puto.

1 spectandum quidem esse, ut translatio quoad ejus fieri per linguae genium potest, sit ad verba quam maxime adstricta: interim, nec consultum fore, ita usquam stricte id affectari, ut

propterea, seu nativa linguae latinae elegantia (quae adeo nec in vestibulo fuscari debet ac corrumpi) seu germanae propria indoles, negligatur: siquidem non perinde, ut in illa, ita etiam in hac eodem prorsus ordine verba satis vel eleganter, vel congruenter etiam semper connecti possunt.

2 operam dandam esse, ut stylo pure germanico, singula quoque reddantur: nec illud admodum pensi habeatur, si quae in germanico non ita presse verbis latinis sic responsura videantur.

3 ne tamen propria significatio non presse etiam declarata quovis loco exstet, atque id non satis tuto institutori minus cauto committatur, interseri per parenthesin necesse fore, quae vocum quarumque latinarum vis propria sit, si germanicae paulo longius recedere videantur.

4 non opus esse ut latino textui mox subjiciantur, et velut interlineariter illi respondeant germanica: sed satis fore si ad latus alterum ex adverso rejiciantur. Id ipsum sic fieri vel ideo etiam consultum fore, quod ea ratione expeditior sit futura puerorum examinatio; seu de latinis vernaculo sermone interpretandis; seu de germanicis latino rursum sermone exprimendis. Praeterquam quod scriptio etiam, quam in informatorio monstrare et commendare libuit, commodius sic successura sit, si latina a germanicis distinctim occurrant.

Haec ita tumultuarie chartis his illinere visum est, vir clarissime; tum ut expendi satis omnia possint, perque aliorum monita et judicia corrigi et perfici: tum tui ut sit arbitrii, si quem deinde alicunde exposcere velis, ad partum tuum ex ductu tali amplius perpoliendum. Neque enim dubito, quin sint futuri praesto inter eos, qui in puerili trivio desudant, vel complares etiam: qui hunc partum tuum, vel ut sibi abs te contraditum, ac plane commissum, dum alius prae illo, tanquam sequioris. Sexus masculus magis porro ad lucem maturandus tibi venit, tanquam proprium et suum, lambendo ulterius purgaturi sunt atque formaturi.

Tantum et nunc jam et deinceps quoque optandum id maxime fore video: ut ad libellum hunc talem dextre tractandum, institutor accedat satis idoneus et fidelis: qui quae pueris patere ubivis non ita mox videntur posse, ipse demissione quadam perpetua ad illorum captum, et cum facilitate ac suavitate ex se addita, singula inculcare satagat.

Cui rei atque usui, nescio an consultum fuerit commentarium, et velut quandam postillam (ut nomen hodie irroborati usus huc accommodem) super et post vestibulum conscribi: unde qui perse minus hoc perspiciunt, quo quidque tendat, et qui pueris instillari, qua temperatura suavius reddi queat, pervidere privatim, atque ipsi addiscere possint ante, quam publice ad docendum et pueros informandum accedant.

Certe si puerorum informatores, seu paedodidascali illi, agere voluerint, ut nutriculae prudentes ac fideles, reperient in vestibulo, praesertim si secundum praedictam rationem perpolitum amplius fuerit, ceu in uberrimo ubere, lac affatim abundans, quod tenellorum animis immulgeant, non ad eloquentiae tantum; sed ad sapientiae etiam primordia, per incrementa atque augmenta perpetua enutriendis.

Deus, puerorum atque tenellorum miserator maximus, de coelo incrementum elargiatur, ubi ubi terrarum plantantibus et rigantibus.

Te vero, vir clarissime, pueris tam hactenus utilia meditatum, atque ad sublimiora jam attentum, servet, sospitet, roboret

Page 403/404, image: s238

Porro, ad ea quae ulterius meditaris, pro aetate etiam magis provecta, foeliciter in bonum publicum emolienda. B. V.

Scribeb. Lesnoe, ineunte anno 1638.

Humanissimi lectores. Illud poetae excitat auditor studium, laudataque virtus crescit ---

Si verum est, verificari etiam in me debuit: nempe ut tot et tanti applausus (in re, meo judicio, non tanta) adaliquid majus et melius adderent calcar. Coepi ergo cogitare, an forte si quid realioris eruditionis, interiorisque sapientiae (ad similem aliquam harmoniae concinnitatem redactum) propinari tentaretur, aeque placiturum esset? Enatumque inde fuit desiderium conficiendi januam rerum, sive sapientiae portam: studiosae juventuti eo servituram, ut postquam ope ianuoe linguarum res externe discriminare didicissent, interiora dehinc rerum inspectare, et quid per essentiam suam res quaequesit attendere, consuescerent. Quod studium si per omnia (ad omnia scitu et factu, credituque et speratu necessaria, comprehendendum) extenderetur, sperare coepi pulcherrimam quandam encyclopaediolam, seu pansophiolam, bono usu condi posse. Quo proposito meo per studiosos quosdam moravos, in angliam delatos, cognito vir eximius, s. H. Datis ad me literis, dehneationem aliquam futuri operis requisivit. Communicavi ergo, uti sequitur.

Pansophiae praeludium. Quo sapientiae universalis necessitas, possibilitas, facilitasque (si ratione certa ineatur) breviter ac dilucide demonstratur. Omnibus sapientiae luminis, et veritatis amantibus, a christo sapientiae, luminis, et veritatis fonte, salutem et benedictionem.

[note: sapientiae encomia.] Sapientiam (quae aristoteli est multarum mirabiliumque rerum scientia: ciceroni vero rerum divinarum et humanarum, causarumque quibus eae continentur, cognitio: salomoni denique, omnium rerum artifex, docens omnia) magnis elogiis antiquitus fuisse celebratam, ignotum esse non potest sapientiae studia consectantibus. Pretiosior est cunctis opibus (inquit mortalium sapientissimus) et omnia, quae desiderantur, huic non valent comparari. Longitudo dierum in dextra ejus, et insinistra divitiae et gloria. Viae ejus viae pulchrae, et omnes semitae ejus pacisicae. Lignum vitae est illis, qui illam apprehendunt, et qui eam possident beati sunt. Prov. 3. 15. Cicero autem, nullum praestatius bonum, neque datum est mortalium generi, neque dabitur. Horatius vero sic:

Ad summum sapiens uno minor est tove: dives,
liber, honoratus, pulcher, rex denique regum.

[note: cur tanti aestimetur.] 2 causam si quaeras, cur unam hanc virtutem tanti faciant, respondebunt. Seneca quidem: sine sapientiae studio neminem bene, sed nec tolerabiliter, vivere posse. Cicero: sapientiam esse omnium artium matrem: quae nos primum ad dei cultum, deinde ad jus humanum, quod situm est in generis humani societate, tum ad modestiam magnitudinemque animi erudit: eademque ab animo tanquam ab oculo caliginem dispellit, ut omnia supera,

Page 405/406, image: s239

Infera, prima, ultima, media videamus. Denique esse animi medicinam. Et addit salomon: sapientiam sapientem confortare super decem principes civitatis, eccl 7. 29. Et thesaurum esse hominibus indesicientem, quo qui utuntur, cum deo contrahere amicitiam, donis ex eruditione profectis commendatos. Neque enim a deo diligi quenquam, nisi pvi cum sapientia habitat, sap. 7. 14. 28.

[note: sapientiae studia.] 3 merito igitur selectissimi hominum quovis aevo posthabita rerum transitoriarum, opum, voluptatum, honorum cura, eo cogitationes, vota, studiaque conferebant, ut rerum contemplationi se dedentes, quicquid mente comprehendi potest comprehenderent, eaque ratione mundum subigerent. Cujusmodi homines vere id sunt in reliqua mortalium turba, quod ipsum sapientiae donum inter alia mortalibus concessa bona, fulgentissimae gemmae, imo sydera mundanarum tenebrarum dispellentia caliginem. Grate proin agnoscendum est divinae mifericordiae opus, non solum quod sapientiae suae theatra naturae et scripturae nobis aperuit, sed et instrumentis nos ea spectandi, lummenque sapientiae colligendi, sensu et ratione, suaque divina, sensus et rationis defectus supplente, revelatione instruxit. Sed et hoc divinae debemus. Beneficentiae, quod literarum studia, quibus illud sapientiae studium fovetur, et ab aliis in nos transfunditur, ad nostram usque aetatem conservata sint: imo nostro seculo efflorescant, qualiter antehac nusquam: ut sibi non immerito eruditionis nomine, et placeat, et gratuletur seculum praesens, majorisque adhuc luminis spes affulgeat.

[note: sapientia seris cum annis venit.] 4 necesse enim est mundo idem evenire quod homini, ut non nisi seris cum annis ei veniat sapientia: quia nempe per naturam rerum aliter non potest. Sapientia siquidem multarum rerum experientia comparatur. Experientia vero et diuturnitatem temporis, et occasionum varietatem necessario requirit. Fit autem, ut quo diutius vivitur, eo plus rerum agatur; et rerum tractatio crebra experientiam augeat; experientia sapientiam, juxta sirac. Vir in multis expertus cogitabit multa. Et poetae istud: per varios usus artem experientia fecit.

[note: sapientiae illustrioris spes.] 5 nos igitur praesenti aevo tot experimentorum auxiliis instructi, quot nulla ante aetas instrui potuit, quidni altius aliquid sapiamus? Non solum enim typographiae beneficio, (quam artem deus non sine mysterio postremis reservavit temporibus) quicquid ab antiquis sapienter cogitatum, antehac autem tenebris fuit pressum, jam in lucem protractum est, innotuitque; sed et ipsi moderni homines novis excitati occasionibus, nova quoque moliri aggressi sunt, et multiplicata est variis experimentis, multiplicaturque ad miraculum usque indies sapientia: quemadmodum de postremis temporibus praedixerat deus dan. 12. 4. Accessit scholas ubique gentium aperiendi ardor, qualiter ullis retro seculis factitatum fuisse historiae haud memorant. Unde librorum per omnes linguas et gentes tanta multiplicatio, ut agricolis et mulierculis jam innotescant, quorum antehac vix eruditis et divitibus, libros magno redimentibus, poterat esse copia. Nunc denique pertinax nonnullorum conatus emergit, methodum studiorum ad talem deducendi perfectionem, ut omnia humana cognitione digna, facillimo negotio mentibus instillari queant. Quod si processerit (spero autem) et reperta fuerit, quae quaeritur, omnes omnia prompte docendi, via; non video quod obstet, quo minus illud praedictum, et expectatum tam pridem illuminatum aureum seculum, et agnoscamus, et gratanter excipiamus.

[note: ad sapientiae profectum quid adhuc desideretur.] 6 ad quem tamen obtinendum scopum unum quoddam adhuc magni prorsus momenti desiderari videtur, ut nempe, quemadmodum linguas facilius docendi compendium fructuosum (in janua l. L. Nuper reserata) adinventum est, ita modus aliquis excogitetur ipsarum rerum januam exstruendi, ad facile, quicquid usque artium et scientiarum est, ingenio penetrandum. De qua re serias suscipi

cogitationes (si modo quam optime consultum volumus rebus humanis) plusquam necessarium esse primum demonstrabo. Dein modum tanti conaminis exquiram: tandem qua occasione ipsemet, et quo successu tam inusitatum opus hoc sim aggressus, explicabo.

[note: sapientia sit literarii studir scopus.] 7 primum autem in confesso pono, literarum studia, quibus nunc ubique gentium occupatur juventus, animorum culturam esse debere ad sapientiam, ut extra quem scopum non nisi vanavanitas esse queat. Sive enim ponamus scientiam desiderari sciendi causa ad curiositatem: sive animi gratia ad oblectationem: sive existimationis ad eminendum: sive lucri causa ad externa bona venandum: inepti sumus, qui pro scopo tam sublimis et divini doni tam humilia et temporaria figimus. Sapientiam igitur quaerendam esse, ratum sit. Sapientia vero cum dicatur omnium rerum artifex, omnia docens: sap. 7. 21. Patet literarum beneficio promoveri nos debere ad universalem rerum cognitionem, ([gap: greek word(s)], id est, plenam omnia intra se complectentem, sibique undique cohaerentem sapientiam) ut nihil relinquatur manifesti

---

Page 407/408, image: s240

Vel occulti, quod ignoretur, sap. 7. 21. Quo nimirum animus hominis vere fiat, quod debet, pansophi dei imago.

Secundo, cum sapientia dicitur tribuere adolescentibus intellectum et scientiam, prov. 1. 4. Ejusque viae, viae sint amaenitatis, prov. 3. 17. Patet, sapientiae studia debere esse sine difficultatum salebris et spinis, plana, expedita, omnibus pervia, merasque animorum illecebras.

Tertio, cum sapientiae semita dicatur esse lux splendens, prov. 4. 18. Sequitur, errorum tenebris securam esse debere.

Quarto, sapientia usum hunc homini praestare dicitur, ut intelligat viam suam, prov. 4. 18. Et universa quae facit: deut. 29. 9. Sequitur ergo, sapientiae studia praeparare debere animos ad omnia, quibus haec vita transigitur, faciendo et patiendo.

Tandem sapientia dicitur beatos reddere, prov. 3. 13. Ad beatitudinis nimirum aeternoe fontem deum deducendo. Necessario igitur ejus studia ad deum quaerendum stimulos ingenerare, ad inveniendum semitas praemonstrare, ad arctissime amplectendum amoris vincula aptare, debent: aut inutilis erit totus ille apparatus. Si enim ab hoc scopo tandem aberrandum est, nihil scire, imo nunquam nasci, praestiterat.

8 videamus autem an haec ita consuetus studiorum cultus praestet, ut si quid animad vertamus desiderari, facilius de emendatione [note: vulgata literarum studiascopo suo non proportionata.]Cogitatio suscipi possit. Enim vero eruditionem, quali nunc turgent scholae, qualemque proponunt, esse rem, pro fugacis aevi brevitate prolixam, pro ingeniorum vulgarium modulo operosam; pro rerum amplitudine nimis angustam; et pro veritatis rerum subtilitate ac soliditate multis modis mancam, et defectam; multae multorum sunt querelae. Sapientiores etiam notarunt, esse non satis sini suo respondentem: quin raro ad solidos vitae usus venientem; plerumque in opiniones, rixas, fumos desinentem. Quae omnia non dicis causa dici, sed omnino ita esse, antequam ad remediorum vestigationem veniamus, ostendendum nobis est. Nempe sapientiae studia, uti nunc comparata sunt et in scholis traduntur, non esse proportionata,

[note: prolixitas.] I. Vitae nostrae, ob prolixitatem: juxta illud, ars longa, vita brevis est.

Ii. Ingenio nostro, ob difficultatem.

Iii. Rebus ipsis, ob crebram aberrationem.

Iv. Vsui vitae, ob alienitatem ferme rerum, quae traduntur, ab iis, quae in vita communi fiunt.

V. Deo ipsi, ob non subordinationem omnium satis aptam ad hunc aeternitatis scopum.

[note: i. Ob proli xitatem.] 9 prolixitatis argumentum primum sumo a communi omnium confessione. Quis enim est, qui non hippocratis cantilenam canat; vita brevis, ars longa? Secundum a granditate librorum, quibus descriptae exstant res. Bone deus, quam vasta volumina de singulis propemodum materiis exstructa sunt! Quae in unum congesta tantas efficerent strues, ut evoluendis solum illis, annorum millenariis opus sit. Tertio res ipsa docet, supra capacitatis modulum diffusas esse doctrinas: postquam inter tot eruditos, quibus repletur orbis, vix centesimum quemque aut millesimum etiam reperias, qui vel gustasset universalem eruditionem, possetque de omnibus, quae in operibus dei, aut humanis etiam rebus occurrunt, rationabiliter in medium proferre aliquid. Tam rari sunt [gap: greek word(s)] ut [gap: greek word(s)] etiam et polyhistores pro miraculo habeantur. Hinc eruditionis illa vulgo usitata frustillatio, ut sibi hanc vel illam artem aut scientiam hic vel ille seligat, caeteris [note: frustillata cruditio.] Ne a limine quidem salutatis. Reperias theologos, qui philosophiam vix aspicere dignati sunt: rursumque philosophos, qui theologiam nullo respectu habent: jureconsulti plerumque naturalium cura nulla tanguntur, nec rursum medici juris et aequi discrimina curant. Ipsa sibi quaelibet facultas separata constituit regna, sine communibus iisque certis et immotis, quae omnes pariter colligarent, fundamentis et legibus. Sed in ipsa etiam philosophia, alius hoc sibi, alius aliud eligit. Volunt quidam physici esse, matheseosrudissimi; et vice versa: volunt alii esse morales philosophi. Naturalium nulla cognitione instructi: volunt audire logici, rhetores, poetae, realium scientiarum expertissimi. Quis nescit ita esse? Et quis non animad vertit, talem artium, scientiarum, facultatum inter plures distributionem ex eo praesupposito venire, quod impossibile sit, unius hominis ingenio satis commode capi omnia? Quasi vero tam impropotionatum rebus fecerit rerum dominum, hominem, deus: non quod somniem, unum hominem in omnibus excellere posse; sed quod scire posse ad necessitatem omnia, excellere vero in professione sua, cuivis mediocri ingenio instructo, et possibile, et necessarium, certus sum.

[note: ii. Ob difficultatem.] 10 difficultatis (quod nec illa quidem eruditionis particella, quam quisque captat, facile influat) testimonia sunt. Primo, querelae itidem publicae, non puerorum modo, artes discentium, sed et virorum easdem docentium. Deinde, scholae ipsae plenae clamorum, plagarum, vibicum. Certe: enim nobis sacra scriptura sapientiam, et sapientiae studia, ut delicias commendat. Idemque antiqui sensisse videntur, qui literarum officinas ludos literarios et scholas (id est otia (appellitarunt. Quid ergo monstri

---

Page 409/410, image: s241

Est, quod jam pridem [gap: greek word(s)] in [gap: greek word(s)], ludos in cruces conversa videmus? Unde, inquam, id, nisi a molesta progrediendi difficultate venire potest? Illa quippe facit non solum ut laboriosa sit studiorum cultura, sed etiam ut potior eorum pars, qui culturae adhibentur, nausea contracta, e scholis, ute pistrinis, avidissime praefestinent, nunquam ad studia, quae spineta esse (cum viridaria communesque humani generis deliciae, esse debeant)

experti sunt, reversuri. Praxis denique idem docet. Quis enim nescit, facilius linguam aliquam in hominum turba usu addisci, quam aliquot annis in schola? De comparanda rerum aliqua peritia idem propemodum est judicium.

[note: iii. Ob veritatis in iis lubricitatem.] Ii veritatem scientiarum laborare, animadverterunt jampridem sapientissimi hominum: ideoque eam in profundo latitare questi sunt, eousque ut quidam imperfectionis conscientia ad scopulum adacti, pronunciare ausi sint, nihil sciri posse: nempe certo et sine errore. Cujus effati certitudinem propemodum corroborarunt exemplo suo illi ipsi, qui hoc ut deliramentum irriserunt, scientiam rerum certam sibi arrogantes. Quicquid enim philosophorum aliquis asseruit, mox idem aliquis destruxit, nec perplexitatum hodie finis est. Tota res literaria plena est dissensionum, contradictionum, pugnarum. Hoc autem quid nisi vacillantis ubique veritatis testimonium? Recte enim hoc ipso argumento fosephus contra appionem hebraeorum sapientiae veritatem, graecorum vanitatem, adstruit, quod illa semper una maneret, haec in sectas abiret. Recti siquidem non nisi una et simplex ratio esse potest: aberrationum mille figurae. [note: nb.] Cum igitur nostro etiam seculo, tot enascantur in theologia et philosophia sectae, totque foveantur, et pertinacissime defendantur, toto coelo dissidentes de rebus opiniones: quid hoc nisi certissimum est testimonium, in profundis adhuc ignorantiae tenebris demersum esse, quicquid literarum jactet seculum nostrum? Cum caritatis judicio praesupponamus, neminem scientem volentem errare, aut rebellem esse lumini, ut job loquitur, cap. 24. 19. Testimonio denique sunt tot quotidie in lucem venientes libri, qui, quid sunt, nisi scintillae demum, quae ab ingeniorum collisione excutiuntur, et hinc inde sparguntur quaelibet a se flammam excitatum iri sperans? Sed non tamen hactenus accendi veras faces, nec oriri clarissimum veritatis solem, continuatae illae dissidiorum et dubitationum tenebrae ostendunt. 12

[note: iv. Ob exiguam ad vitae negotia utilitatem.] 12 vitae communis usibus non satis esse accommodatas literas, ut vulgo traduntur, magnos testes habemus. Philosophia adscholas redacta est,inquit vir illustris, nec est qui eam revocet ad usum communem: horret enim spinis, et tota occupatur in nectendis nodis insolubilibus et detexendis, quae texuit ipsa, porrigitque panem lapidosum, qui dentes frangit, aculeatisque nugis fatigat ingenia. Et alius: studium philosophiae nihil nunc est, nisi otium occupatum et impeditum, proficiens parum: sciuri caveae rotundae includuntur, quae in circulum movetur: ubi semet continuo praecipitantes, non tamen e loco promovent, idem nos philosophantes facimus: parum addiscimus et labore multo; nec id parvum nos reddit meliores, saepe deteriores: id quod verissime dici experientia ostendit. Non tantum enim virtutum studio (quae civilis conversationis basis sunt) rarius literati praecellunt illiteratos, sed ad res dexteritate agendas plerumque ab illis superantur. Nec de solis grammaticis literonibus loquor, cum sublimibus philosophis et theologis plerumque ita comparatum est, ut cum abstractis suis speculatiobus aquilae sibi videantur, in rebus vitae et societati humanae servientibus talpae sint. Hinc enatum scomma: bonus scholasticus, malus politicus: cum tamen schola vitae praeludium esse debeat.

[note: metaphysica.] 13 sed ut in specie aliquid tangam, metaphysicae studium, constat quantis laudibus ad coelos usque evehatur, tanquam totius sapientiae, et bafis firmissima, et fastigium splendidissimum: quod, si rem recte aestimamus, ita est sed quia tamen eadem illa scientiarum regina tantis horret spinis, tantisque involuitur tenebris, ut pauci subtilitates istas capiant, et qui capiunt, usum, ad inferiores scientias prorsus ignorent, fit, ut feipsa terminetur; praeterque momentaneam voluptatem, qua cultores suos aliquantisper titillat, nihil usus afferat rebus humanis. Unde porro fit, ut eam nonnulli deserant, planeque proscribant, non solum e philosophiae ambitu (nempe ramae) sed ex academiis etiam, tanquam sterilissimae vanitatis inutilem [note: nb.]Apparatum. Regem enim suecie gustavum adolphum, gloriosae memoriae (quem ad rem non nugas fuisse natum facinora ostendunt) publico edicto omne

metaphysicae studium e regno suo exterminasse, (ut nemo bibliopolarum sub poena confiscationis tales libros importare, nemo subditorum etiam legere auderet, ne nova barbarie regnum ipsi fascinaretur, et ille in rebus gerendis disputatores et glossatores vanos, pro negotiorum sectatoribus, nancisceretur) johanne angelius werdenhagen testatur.

14 studium logicum et rhetoricum

Page 411/412, image: s242

[note: logica et rhetorica.] Propius ad vitae negotia debebat accedere, cum rationis et orationis (quibus duobus vinculis res humanae continentur) expositionem profiteantur. Sed verissimum esse facobi acontii testimonium, res ipsa planissime testatur. Dialecticorum frequens est, inquit, ubique numerus: at si scripta et disputationes observes, nihil minus invenies, quam dialecticos. Item:videas multos rhetoricae praeceptis probe instructos, quorum etsi oratio sit propria, ornata, elegans, copiosa, in iis tamen ad persuadendum vim roburque desideres. De caeteris artibus et scientiis idem est judicium: occupari nos iis magis, quam ad occupationes vitae dextre obeundas disponi.

[note: v. Ob crebras ab ultimo scopo deo, aberrationes.] 15 postremo literata nostra studia nondum ita esse comparata, ut nos recta et infallibili via ad ultimum nostrum finem, deum, ducant; quid opus testibus? Omni teste major academiarum nostra rum profanitas, plena luxuriae, fastus, helluationum, rixarum, omnigenaeque petulantiae, in aperto est. Doctrina porro ipsa, quae ibi colligitur, eheu, quam multis non nisi cos malitiae fit, iniquitatis per totam vitam exercendae instrumentum; ut de majore eruditorum nostrornm numero verissimum sit, quod queritur deus:sapientes sunt, ut faciant mala, bene autem facere nesciunt. Jer. 14. 22. Atque talibu, sapientia sua ad interitum dux est. Hinc enim est illa dei vox: non multos sapientes eligi, quia sapientia mundi hujus stultitia est apud deum. I cor. I. Nos quidem ne urgeri nos ista dei voce sentiamus, de sapientia gentili secure id interpretamur, sed nec tamen alii sapientiae studemus. Revera enim ea ipsa, quam hactenus propinant scholae, e gentilismo hausta est, et serpentino veneno infecta, scientiam tantum boni et mali, quae inflet, affectans, non caritati, quae aedificet, operans. Et quia nos haereditaria perversitate semper delicta nostra excusare, quam emendare paratiores sumus, fit insuper, ut nobis ipsis, naturae corruptionem praetendendo, blandiamur: impossibile reputantes transformari, quia depravati sumus. Quasi vero non corruptionis illius antidotum esse debeat timor domini, quem sapientiae, et initium et finem esse toties totiesque protestatus est deus.

[note: repetitio.] 16 verum itaque est, literarum vulgata studia esse:

I. Occupationem insinitam.

Ii. Distractionem ingeniorum perplexissimam.

Iii. Aberrationum palaestram perpetuam.

Iv. Negotiorum vitae remoram.

V. Tandem aberrandi. A deo multiformem occasionem, quod maxime deplorandum.

[note: consultatio de remediis.] 17 hujus tam calamitosi literarum et literatorum status, cum jampridem viros quosdam optimos misereri cepisset, varii varie morbis illis remedia quaerere

tentarunt. [note: 1] alii quidem omnem illum antiquae, a gentilibus mutuatae sapientiae apparatum [note: 2] abjicere suadentes; alii delectum adhibendum, artesque et philosophiam, [note: 3]non nisi parce usurpandas dictitantes; nonnulli transfusionem quandam, et transformationem scientiarum omnium moliri [note: quam necessaria.] Occipientes; alius sic, alius aliter. Et sane quicunque consilii aut opis hic aliquid ferre possunt, ut ferant, plusquam necessarium [note: 1] est. Primo quidem ne tam pusillum illud sapere, quale vulgares conferunt literae, tot tantisque sudoribus constet: aut certe si labores impendendi sunt, ut uberiorem [note: 2] refundant fructum. Deinde, ut nos et literas ab illiteratae plebis opprobrio vindicemus: qui, dum quos eruditionis nomine sibi praeferri vident, eos rerum peritia, morum honestate, pietatisque zelo, nihil admodum antecellere, saepe simpliciorum vestigia vix premere animadvertunt, vel in risum soluuntur, vel in rei literariae [note: 3] contemptum concitantur. Denique ne dei, qui coelitus demisso sapientiae dono suam in nobis vult reparare imaginem, incurramus iram, non ad ejus gloriam tam divinum dispensantes donum.

[note: causarum tanti mali vestigatio.] 18 verum enimvero, quia temere cura morbi, causa nondum morbi perspecta, suscipitur; videamus an indagine certa ad radices tanti mali, quo res literaria premitur, penetrare, easque detegere queamus: ut inde ad remedia tutior sit transitus. Dicam ergo quid causae putem subesse singulis jam a nobis recensitis malis: simulque quid remedii loco opponendum, explicabo.

[note: prolixitatis causatriplex.] 19 prolixitas studiorum, uti vulgo tractantur, e tribus exsurgere videtur. Primo, ab incuria necessaria a non necessariis [note: 1. Non necessariorum nimia mixtura.]Discernendi. Inde enim secundum senecae querelam evenit, ut necessaria ignoremus, quia non necessaria discimus. Omnino ita est. Si a studiis nostris minus necessaria sequestrentur, duplo plus (mollissime dico) temporis, duplo minus pensi, [note: non necessaria pvae?] Habituri sumus. Habenda vero sunt pro non necessariis. Primo, quaecunque salua [note: 1] eruditione ignorari possunt, ut sunt pleraeque gentilium nugae, deastrorum nomina, cum suis mendacibus historiis, similibusque [note: 2] fabulis. Deinde, quaecunque nullo insigni usu fatigant ingenia, ut sunt pleraeque grammaticorum regulae, quibus pucriles animi macerantur, et anni perduntur,

---

Page 413/414, image: s243

Caeteraque similis farinae, nullum extra scholam habitura usum. Tandem omnes rerum et verborum ambages, quae non nucleum exeludunt, sed mille volucris ob tectum prensant tantum. Atque talibus tamen plerique scholastici libelli oppleti sunt, ideoque juventutem maximam partem inutilibus et non necessariis distinent et distendunt. Et mirum sit raro aliquem ad solidiorem aliquam pervenire eruditionem?

Remedium itaque erit, ut e rebus et verbis solidissimis, ac non nisi verissimum usum habituris, eruditionis seminarium conficiatur. Tantundem enim fructus colliges, si uno tritici puri modio agri jugerum conseras, ac si decem palearum modiis superadmixtis, paleas cum tritico per decem jugera decuplato labore dissemines.

[note: ii. Discendorum confusio.] 20 secundo, quod literarii labores in extricabilis quidam labyrinthus sint, in quo sine sine oberratur a plerisque, et rebus diffusa varietas, et oceanus quidam, quo absorberi, quam exhaurire promptius sit, facit studiorum consusio, quod quae discenda sunt, nondum in satis certum evidentemque ordinem, hactenus redacta sunt. Necesse vero est, quaecunque dispersa sunt, multa videri, collecta in parvum cogi.

Remedium erit, si omnia discenda, maxima minima, tam perspicua disponantur serie, ut ea literarum candidati, tam ante se habeant, quam digitos suos, pervideantque jam inde a principio, et medium et finem; certi totum eruditionis oceanum, hac ipsa, quam conscendunt, navi, enavigatum iri, ad portum usque desideratae perfectionis.

[note: iii. Minutiarum nimia consectatio.] 21 terrio, portentose diffesa literarum studia facit inutilis quorundam omnium minutiarum consectatio; talium enim in rebus et verbis, (cum sint infiniti tam naturae, quam ingenii lusus et casus) nullus est finis et modus. Ideo qui particulari rerum descriptioni in quocunque scientiarum, et artium genere se dedunt, in eisque sive desudare, sive delitiari consuescunt, illi quidem peregrinationem menti satis amaenam inveniunt, ad sapientiam tamen universalem informationis remoram patiuntur necessario: imo faciunt ut oppleta mente singularibus quibusdam certi generis, caetera vix locum inveniant.

Remedium erit concinnatio libelli, in quo omnium, quae sunt et cogitari possent, vera instituta anatome, omnia revocentur ad vera sua genera et species: et quidem ita, ut quicquid de ulla re dicendum est, simul et semel de omnibus dicatur, de quibus dici potest. Ita omnia spe breviora et solidiora erunt; quia intellerctus, paucis regulis, infinitis repagulis poterit liberari, ut suapte vi per omnia feratur et penetret ubique vere enim sececa; non multis opus est (scilicet ad sapientiam) praeceptis, sed efficacibus: seminis modo spargenda sunt, quod quamvis sit exiguum, cum occuparit locum idoneum, vires suas explicat, et exminimo in maximos actus diffunditur.

[note: difficultatis causa triplex, triplexque remedium. 1. Servilis studia tractandi modus.] 22 quod vero impeditum et salebrosum visum fuit studiorum iter, causam puto fuisse: primo, quod non praecedebat animorum digna praepardario ad avide hauriendum doctrinas, nec miscebatur satis utile dulci ad inescandum ingenia, sed qualiter accedebat quisque, taliter admitrebatur. Tractabatur autem non ut in convivio solent hospites, humanitate et deliciis, sed ut in pistrino solent mancipia, clamore, vi, plagis. Pugni enim et ferulae, virgae et scuticae, dapes crant in scholis usitatissimae quotidianaque bellaria. Et mirum sit nauseasse et caligasse aliquem? Nihil profecto tam facile est, quin difficile fiat, si invitus feceris. Quomodo ergo literae poterunt esse faciles inter trepidandum discendae? Qualiter in nulla mechanica arte addiscenda fit. Severitas necesserio inducit metum, metus autem necessario confundit, et intricat mentem; ut ubi sit nesciat, et si paulo debilior, vertiginem quandam patiatur. Arte itaque opus est ad capiendos, inescandos, demulcendosque animos. Quae ars partim docentium humanitate, partim methodi prudentia constabit; ut literarum studia ingeniorum illecebrae fiant, et lusus merus videantur.

[note: 2. Perfunctoria rerum explicatio.] 23 secundo, difficultatis bona pars in eo haeret, quod non per autopsiam res docentur discipuli, sed per ambagiosas enarrationes, quibus difficulter imagines rerum intellectui imprimuntur, memoriae vero debiliter haerent, ut vel evanescant rursum facile, vel variis modis confundantur.

Huic remedium erit, omnia per autopsiam sensusque praesentes (visibilia visui, gustabilia gustui, tangibilia tactui offerendo. Facilius enim mihi et firmius elephantis imaginem, unica ejus (aut saltem effigiei) inspectio expresserit, quam si decies mihi narratum fuisset, quia

Segnius irritant amimos demissa per aures,
quam quae sunt oculis commissa sidelibus.

[note: 3. Mothodus nimis adhuc impertecta.] 24 tertium et maximum difficultatis momentum a methodo est, qua vulgo scientiae et artes traduntur, non satis vel rebus, vel intellectui humano proportionata. Omnes quidem clamant, incedendum esse naturae ordine a prioribus ad posteriota, a generalibus ad specialiora, a notis denique ad ignotiora: sed quis praestat?

Page 415/416, image: s244

Nihil dum tale videmus: hystera protera omnes artes et scientias, si mathesin excipias, revera obtenebrant. Nam si libri, quos habemus, a notis ad ignota leniter, nusquam interrupto passu, ingenia ducerent, tam certo scientiae cupidi lectores ad ignotissima quaeque deducerentur, quam quiliber. Pedibus instructus in quamlibet altissimam rupem deduci potest, si in ea gradus exstruantur. Quod cum non fiat, nemoque quid isti libri tradant, capiat, (nisi insigniter ingeniosus, qui suomet acumine res penetret, et vi propria se elevet, aut cui viva demum voce aliter atque aliter eadem inculcentur, ut veluti per nebulas quiddam videre incipiat) argumento id certo est, non gradatim via plana intellectum duci, sed per salebras, scrobes, antra, et hiatus raptari.

Remedium erit; omnium scientiarun et artium talis conformatio, ut ubique incipiatur a notissimis, fiatque gradatim lente processus ad ignotiora: ita nempe ut prima secundis, secunda tertiis, tertia quartis lumen ministrent, praeferant ad finem usque: prorsus ut in catena annulus annulum excipit ac trahit. Quod vel solum si quomodo fieri debeat, a nobis hoc opere monstrari poterit, sat dignum operae pretium tulisse videbimur.

[note: veritatis per totam literaturam laborantis causatriplex.] 25 veritatis passim nos per totum scientiarum ambitum deserentis, causa verissima triplex assignari potest: nempe,

I. Scientiarum laceratio.

Ii. Methodi ad res ipsas non penitissima alligatio.

Iii. Verborum et styli, partim incuria, partim intempestiva luxuries.

[note: i. Scientiarum laceratio.] 26 primum enim pro conscientia testor, in libris, quos videre contigit, nihil me adhuc vidisse amplitudini rerum satis respondens, quod totam rerum universitatem exhauriret: quicquid tandem libri nonnuli pansophiarum aut encyclopaediarum, aut syntaxeon [note of the transcriber: in the print with greek letters: syntaxewn] artis mirabilis, et quoscunque titulos praeferant. Multo minus vidi totum intellectus humani apparatum, ita e suis certis aeternaque veritate immotis principiis exstructum, ut omni; essent a primis ad ultima sibi mutuo concatenata, sine veritatis hiatu ullo. Nec enin fortassis quisquam id egit adhuc, ut constitutis et omni proportione ad invicem coaequatis universalibus rerum principiis quaqua versus diffluentem rerum varietatem, certis rationum limitibus cingeret: quo per universalem, et inter omnes res proportionatam harmoniam seipsam detegeret occulta, invariabilis tamen et invincibilis rerum veritas. Id, inquam, nemo adhuc quaesivisse videtur, utper uni versalissima cognoscendi principia, cosque ad ultimas usque conclusiones rite deducendi modos, universalem aliquam veritati rerum cognoscendae aperiret viam. Sibi cantillant metaphysici, sibi plaudunt physici, sibi choreas ducunt astronomi, sibi leges figunt ethici, sibi bases fingunt politici, sibi triumphant mathematici, sibi regnant theologi. Imo in singulis facultatibus et scientiis singuli ferme particularia sibi constituunt principia, ex quibus placita sua exstruant ac defendant; susque deque habito, quod alii e suis praesuppositis eliciunt. Ovum tamen eo modo per omnia latenter sparsam et undique colligi

cupientem veritatem impossibile sit erui. Dum enim quisque sibi et suae phantasiae tantum attendit, aeque non diffugitur dissonantia, ut in musicorum choro, si quisque sibi cantet, posthabito ad communem modulum respectu; aut quis credat, bene ordinatam rempublicam esse posse, ubi non communibus legibus vivitur, sed pro arbitrio quisque agit? Arboris ramos videmus ne vivere quidem posse, nisi omnes pariter a communi trunco communibus radicibus sucum trahant? Et sperari possit sapientiae ramos salua eorum vita, hoc est, veritate, divelli posse? Ut nempe aliquis sit physicus, qui non idem metaphysicus? Aut ethicus, qui non ante physicus? (saltem certe humanae naturae cognitione imbutus) aut logicus, qui non realium scientiarum peritus? Aut theologus, jureconsultus, medicus, qui non prius philosophus? Aut orator, poeta, qui non omnia illa simul? Lumine, manu, norma seipsum privat, quicunque scibilium aliquid a se removet. Nunquam certe astronomi (ut hoc exempli causa addam) tam contrarias et absurdas fuissent ausi introducere et defendere hypotheses, si e communi veritatis fundamento hauriendae, fuissent: nec alia tam incerta et lubrica essent, aut certe viderentur omnia propemodum, quae traduntur. Ita enim traduntur, ut nemo fere adstruat aliquid quod non. Alius destruat, aut destruere moliatur. Elegans sane visa fuit, et divina platonis?

Philosophia: sed quam vanae speculationis coarguit peripateticorum schola? Aristotelis philosophia compta satis sibi visa est: sed quam nec scripturis divinis ullo modo, nec rerum veritati per omnia respondere christiani philosophi satis deprehenderunt. Astronomi cum suis sphaeris eccentricis, epicyclis plauserunt sibi tot seculis, sed a copernico explosi sunt. Copernicus novam astronomiam suam ex opticis rationibus plausibiliter construxit, sed quam physica immotae veritatis principia nullo modo admittunt.

Page 417/418, image: s245

Gilbertus, magnetis speculatione abreptus, totam philosophiam ex magnete deducere voluit: sed evidentissima cum injuria principiorum physicorum. Campanella in naturalibus reassumptis antiqui philosophi parmenidis principiis triumphat pene: sed a galilaeo galilaei unico tubo optico dejicitur. Et quid alia recenseam?

Profecto si a communibus et iisdem principiis omnes sua eruerent, fieri non posset, ut in contradictiones ruerent cum manifesta non solum audientium remora, sed et veritatis ipsius jactura, quae altercando plerumque amittitur. Dum enim res proponuntur mutilae, (non ex universali sundamento) non possunt non videri, obscurae, et ambiguae, tergiversationemque in animis audientium parere. Ad quos porro in assensum pertrahendos assumuntur principia, undecunque arrepta, nec satis nota, nec alteri concessa, nec in se veritatis indubitatae: quippe limitationibus et exceptionibus variis (tales enim sunt vulgatae philosophiae, ac theologiae canones plerique) obnoxiae. Et quid ergo sequatur nisi contradictio et contentiones molestissimae? Ut audire taedeat tantas de rebus, per se claris, vel haesitationes, vel altercationes.

[note: remedium.] 27 omnino igitur aliter instituenda res est, providendumque, ut clara luce veniens rerum veritas, haesitationum lacunas, contradictionumque tela effugere, omnesque errores eluctari queat. Id autem fieri non posse arbitramur, nisi veritatis per omnia sparsae radii in unum coetant, ut in omnibus sensualibus, intellectualibus, et quae a divina revelatione veniunt, una eademque symmetria appareat. Quam sola principiorum cognitionis (quae non possunt nisi tria esse, sensus ratio, et divina revelatio) exaequatio, et ad immobile usque robur consolidatio detegere, perque id controversias de rebus tollere poterit. Nam detecto rerum fundamento, necessario patebit, vel contradicentium alterutrius partis error, vel sententiarum

diversitatis ratio, quod nimirum diverso respectu utraque pars recte sentiat, fortassis et loquatur. Licet se non intelligant, diversi respectus fundamento non percepto. Certe aut hac via errores, qui mortalium animos varie obsident, expugnari, mentesque in clara luce sisti poterunt, aut nulla alia. Necesse enim est, claro veritatis sole orto, insinitarum opinionum nebulas ultro evanescere; quin et ipsam atheismi caliginem dei ope tandem discuti.

[note: 2. Methodorum volubilitas.] 28 secundam vacillantis passim veritatis causam dixi methodorum volubilitatem, quod se non rebus ipsis omnino alligant scriptores, ut eo plane modo res, quo illae intra seipsas sibi constant, immutabiliter tradant: sed ad fictam aliquam, et a se excogitatam concinnitatem res trahant, et distrahant mille modis. Quod nil aliud est, quam in conspectu mentis res distorquere, et a nativa forma in alias transfigurare. Atque tum quid nisi montra pro rebus apparere possunt? Porro methodum rebus omnino parallelam dari non posse, certum est, nisi rebus universis ad tantam in intellectu harmoniam reductis, quanta seipsas extra intellectum revinciunt et connectunt. Hactenus excogitata fuisse ad placitum philosophemata multa, rursumque ab aliis convulsa, monui modo. Quod similiter de theologiae dogmatibus, aut etiam integris methodis, intelligatur, exstrui et destrui posse: cum non ad immutabilem rerum normam, sed ad hujus vel illius cerebelli plumbeam regulam effictae sint.

[note: remedium.] 29 utinam igitur pereant omnes vagae, ad placitum luxuriantium ingeniorum, hactenus excogitatae, et posthac excogitandae methodi, ut tandem aliquando res omnes uno rerum ordine tradi incipiant. Atque talem nos christianam philosophiam, seu potius pansophiam quaerendam docemus, ubi omnia ex immotis principiis in immotam assurgant veritatem, perpetuaque harmonia ita sese connectant, ut opus hoc mentis tam sit indissipabile, quam ipsa mundi machina. Nempe, ut quemadmodum rerum universitar non nostro regitur arbitrio, sed ad suas leges procedit immutabiliter; ita ejus speculum pansophia ea tradatur methodo, a qua discedi non possit, si quis vel rumpatur variandi libidine: quod fiet, si omnia tradantur demonstrative per causas et effecta proxima. Sed ad hanc rem prorsus necessarium erit, res non per externa de rebus testimonia, id est, traditiones, sed per ipsas res doceri ac disci. Auctoritates enim tam rebus fucum facere, quam eas illustrare possunt, ad minimum certe discentem distrahunt, et a rebus ad se avocant: res autem ipsae aliter se imprimere sensibus non possunt quam uti sunt. Aut ficubi sensus deficit, adhibenda est ratio certis normis instructa, ne aberrare possit. Denique ubi ratio quoque hiat, revelatio divina succurrat. Quae tria cognitionis principia, pansophiae bases, instituenda sunt, ne posthac quicquid philosophorum aut theologorum alicui ore vel calamo excidit, pro oraculo habeatur, sed ut res ipsas perspicillis sepositis intueamur, et accurato examine, quid se esse aut non esse fateantur, exquiramus. Nonnulla quippe sunt

---

Page 419/420, image: s246

Magnis etiam viris satis leviter cogitata: quae tamen hominum admiratores promiscue adorare consueverunt. Multis id exemplis ostendere proclive esset, sed parco, sperans fore ut lucidiore accensa veritati face infinita ejusmodi ultro patescant.

[note: 3. Verborum incuria et luxuries.] 30 tertia veritati praejudicans res est, ut dixi, sermonis, quo res explicantur, incuria, vel luxuries. Et luxuries quidem, quod rebus explicandis adhibentur verba, hyperbolica, allusiva, maxime cum poetae vel oratores, (vel etiam philosophi, aut theologi poetisantes, aut oratorisantes) in res incidunt, easque exaggeraturi vel extenuaturi more suo, colores et pigmenta adhibent, quibus res plerumque aliam a sua nativa faciem accipiunt. Et tum quid nisi fucus est? Rerum certe veritas puro lumine sine adventitio

colore spectari vult. Incuria vero sermonis est, si voces, et locutiones usurpentur obscurae, vel sermone non intellecto, (ut sunt latinis et caeteris nobis graeci termini) aut denique, si minus firmae veritatis sententiae, pro veritatis norma venditentur: qualibus (turpe quidem dictu, sed si modo vera fatemur) philosophorum et theologorum libri scatent.

[note: repetitio.] 31 affirmo itaque errorum in re literaria procreatricem et conservatricem causam esse, infelicem illam, quam dixi, trigam: variam sciendorum frustillationem; variam transformationem; variam incrustationem. Nimirum quis res, uti sunt, cognoscat, dum non nisi carptim offeruntur? Dum non sua serie? Dum non suo vultu? Nam rerum omnium symmetria ignotata, in quovis particulari objecto aberratio perquam facilis est. Serie rerum non perspecta labyrinthum ubivis invenire, nimis obvium? Re quacunque non suo colore obveniente oculos fascinari, plus quam proclive. Hinc infiniti illi circa infinita pene errores: hinc illud ad tantam confusionem et fastidium multiplicatum librorum chaos, ut mundus jam vix ferat. Hinc illa in tam illuminato seculo (uti quidem appellari gaudet) luminis penuria, ut quemadmodum tantalus quaerit aquas in aquis, ita nos lumen in lumine, libros in libris desideremus, in eruditis eruditionem. Silentio praetereo errorum satis faecundam procreatricem, partes sectandi libidinem. Non immerito enim galenus dixit, et surdos et caecos fieri, qui se addicunt sectae, ut non modo non audiant et videant, quae caeteri facile audiunt et vident, sed etiam veriora discere nolint, et ea docentibus resistant, aud secus ac ebrii lapithae, qui chirurgum vulneribus eorum medicam manum adhibere parantem, pugnis et calcibus a se repellunt.

[note: cur scholastica studia ad negotia vitae non satis praeparent.] 32 quod non satis ad vitae actiones instruant literae, culpa est inveteratae illius scholarum consuetudinis aut morbi potius, quo per adolescentiae annos ingenia grammaticis, rhetoricis, logicis, nugis fatigantur; realibus, quae mentem collustrare, et ad res agendas mentes imbuere debeant, ad academias reservatis, ut scilicet maturiore judicio, rebus jam pares, felicius progrediamur. Sed fere fit, ut exspirante aetatis primae fervore, ad facultatem suam festinet quisque, praeparamentorum jam oblitus. Quinimo scientes volentes studia metaphysica, physica, mathematica, tanquam inutilem sibi remoram transiliunt omnes fere theologi, politici, medici futuri, errore grandi, cum judicii soliditas, nisi ab eruditionis soliditate, obtineri non possit. Remedium ergo erit, ut juventuti omnia per totam vitam mature proponantur, exercitiaque seria seriorum praeludia instituantur. Quia enim faber non sit, nisi fabricando, scriba scribendo, disputator disputando; necesse est, pueros quoque homines fieri humana tractando: ut nihil admodum in vita occurrere possit, cujus non imaginem praevidissent, et praeexercuissent in schola. Quin imo tota philosophia ita adornanda erit, ut sit viva rerum imago, occultaque animorum ad vitae negotia dispositio.

[note: nec ad deum satis promoveant.] 33 tandem quod non ad deum alumnos suos satis promoveant literae, quid mirum? Nondum gentilem deposuerunt profanitatem, temere dei opera, imo deum ipsum sine deo contrectandi, et gloriam incorruptibilis in similitudines corruptibilium rerum transformandi. Ideo enim philosophos ethnicos apostolus evanuisse testatur in cogitationibus suis, et cum se sapere putarent, stultos esse factos, atque a deo traditos in desideria cordis sui ad immundiciem; quia servierunt creaturae, potius quam creatori, qui est benedictus in secula, rom.1. Sed quid, obsecro, aliud hodieque fit! Plerique sapientum nostrorum aeque ut illi absque deo sapiunt, nimirum nec ab illo haurientes, nec ad illum dirigentes sapientiam suam, sed a creaturis ad creaturas, hoc est, alta cum oblivione dei, omnia sua agunt, se tantum se caetera corruptibilia respectantes; sibi et illis inservientes. Protestatus est deus, se [gap: greek word(s)] et [gap: greek word(s)] esse, principium et finem omnium: ex quo, per quem, et in quo sint omnia. Sed quis ab illo (id est timore ejus) sapientiae suae initium facit? Quis per illum sapientiam sapere (hoc

est verbi et spiritus ejus ductu regi) quaerit? Quis in illum sapientiam suam terminari (h. e. ejus unius gloriae se, et omnia

---

Page 421/422, image: s247

sua devovere) cupit? Abscondita sunt ista ab oculis plerorumque: a nobis ipsis incipimus, per nos ipsos proficimus, ad nos ipsos tendimus. Incipimus a fiducia nostri, innitimur viribus et lumine nostro, tendimus ad commodum et gloriam nostram; eoque a nobis ad nos relabimur, et per creaturarum vana hinc inde trahimur, et rapimur, donec evanescamus ipsi quoque. Haec est tristissima via omnis carnis, qua infeliciter a deo aberrant sapientissimi quique.

[note: remedium.] 34 remedium erit per totam pansophiam verae dei cognitionis, et timoris semina ita spargi, ut quoquo se vertat homo, videat omnia sine deo nihil esse: imo hanc nostram christianam pansophiam ita ordinari oportet, ut nihil sit nisi perpetui stimuli deum ubique quaerendi, et accurata indicia deum quaesitum ubique inveniendi, et certa forma deum inventum ubique amplectendi; eqove modo, ut sit quaedam sancta scala per omnia visibilia ad invisibilem usque omnium apicem, summam dei majestatem (quae nobis fulgore suo inferiora omnia nihil esse, nisi verae lucis umbram ostendit) ascendendi, ibique velut in immobili quietis centro, et desideriorum omnium meta tandem quiescendi, inque illo vitae fonte, a quo voluptatum fontes fluunt, nos aeterna beatitudine demergendi. Hoc nisi obtinemus (quemadmodum et superiora) vani sunt omnes conatus nostri, vani nos ipsi, vanum tandem quicquid agimus: pergent sapientuli suos oberrare labyrinthos, pergent scholae sisyphea sua voluere saxa, perget delirare et vertigine ambulare mundus.

[note: laboranti ergo rei literariae, ut jam tandem rectius succurratur opus est.] 35 at cum res nimium seria sit, in qua dei gloria, humanique generis salus vertitur, ardentissime invocandus est deus, ut nostri misertus, caligantes nostros aperiat oculos, qui in lumine ejus videamus lumen. Et quia christus non solum dixit: petite et accipietis: sed etiam, quaerite et invenietis; pulsate et aperietur vobis, matt. 7. 7. Adjungendi sunt votis et suspiriis indefessi conatus, quomodo rebus vela detrahi, et homines ad contemplanda per claram lucem magnalia dei, quibus circumstamur, undique disponi possint.

[note: cur id auctor tentet, et qua fiducia.] 36 ego minimus omnium, en prodeo! Sive novam facem, sive accendendae novae faci scintillas novas mundo inferre gestiens. Nimis quidem conscius tenuitatis propriae, gratia tamen dei profundissima humilitate fretus, non defore conatibus in gloriam suam, et multorum salutem directis, [note: templum sapientiae splendidum exaedificandi tempus est.] Coeleste auxilium. Deo meo intima cordis nota sunt, non me ingenii fiducia huc agi, sed conscientiae stimulis adigi, ut si qua parte prodesse queam, prodesse cupiam; saltem stimulos subministrando iis, qui majora possunt. Majora enim post omnia anteacta secula et sperandi et tentandi revera tempus est.

[note: materia jam congesta.] 37 attende mi lector, tot scientiarum hactenus indagationes, tot artium culturae, tot arcanorum scrutinia, tot ingeniorum conflictationes, tot in lucem editae de omnibus propemodum rebus lucubrationes; quid quaeso sunt et esse debent, nisi eruditionis e variis totius mundi syluis et lapicidinis conquisita, a variis opificibus varie elaborata, inque varios acervos varie comportata, hinc inde tamen adhuc disjecta, materia? Ecquid vero jam restat, nisi ut aliquando tandem his materiarum struibus in debitam redigendis formam, solertem adhibeamus manum? Ad exstruendum scilicet universale aliquod veritatis luce, et harmoniae ornamentis vere splendidum sapientiae templum? De quo jure lucretianum illud cani possit.

Sed nil dulcius est, bene quam munita tenere,
edita doctrina sapientum templa serena,
despicere unde queas alios, passimque videre
errare, atque vias palantis quaerere vitae.

Aut potius salomonicum illud usurpari: sapientiam sibi aedisicasse domum, excisis columnis septem, immolasseque victimas, et miscuisse vinum suum, et instruxisse mensam suam, misisseque ancillas suas, ut invitarent per collegia, et loca excelsa urbis, dicendo: venite, comedite panem meum, et bibite vinum, quod miscui vobis. Relinquite infantiam et vivite, ambulate per viam prudentiae. Prov. 9. Talem sapientiae verae basilicam, nisi aggrediuntur sapientiae cultores, similes erunt ignavo architecto, semper structuram aliquam molienti, nunquam absoluenti. Quin et metuendum erit rei literariae, ne mole ruat sua, et tam vago scriptorum diluvio, si nulli aggeres opponantur, adobruatur tandem.

[note: cujus formam solus deus docere potest.] 38 verumenimvero hic demum architectonica opus erit, qualem ab ingenio humano frustra sperari autumo. Domicilium enim sapientia dignum, nisi ab ipsa sapientia, construi non poterit. Ubi autem invenitur sapientia? Et quis est locus intelligentiae? Solus deus intelligit viam ejus: ipse novit locum illius, ipse, qui sines mundi intuetur, et omnia quae sub coelo sunt, respicit. Qui facit ventis pondus, et aquas expandit in mensura: qui ponit pluviis legem, et viam procellis sonantibus. Is solus videt eam, et enarrat; quia praeparavit, et investigavit. Job. 28. V. 12. 13. Ideo moses tabernaculum dei formare non potuit, nisi a deo instructus. Inspice,

---

Page 423/424, image: s248

(inquit deus) et fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est in monte. Exod. 25. 40. Laus vero tibi, o deus, qui hac eadem voce nobis etiam, sapientiae templum pansophiam structuris, exemplar monstras, opera tua et vocem tuam: ut quemadmodum opera et verba tua sunt vera, et viva imago tui: ita hoc, quod agimus, esse queat, vera et viva operum et verborum tuorum imago.

[note: an vero hactenus nihil tale exitstit?] 39 ignoscant mihi eruditissimi viri, de quorum laboribus pronuntiare nunc praesumo. Quas adhuc vidi encyclopaedias, etiam ordinatissimas, similiores visae sunt catenae annulis multis eleganter contextae, quam automato rotulis artificiose ad motum composito, et seipsum circumagente. Et lignorum strui, magna quadam cura et ordine eleganti dispositae similiores, quam arbori, e radicibus propriis assurgenti, spiritus innati virtute se in ramos et frondes explicanti, et fructus edenti. At nos scientiarum et artium radices vivas, arborem vivam, fructus vivos desideramus. Pansophiam dico, quae sit viva universi imago, sibi ipsi undique cohaerens, seipsam undique vegetans, seipsam undique fructu opplens; hoc est, (ut ad prius positas metas respiciam) pansophiae librum cupimus constitui qui sit.

I. Universae eruditionis breviarium solidum.
Ii: intellectus humani fax lucida.
Iii. Veritatis rerum norma stabilis.
Iv. Negotiorum vitae tabulatura certa.
V. Ad deum ipsum scala beata.

[note: pansophia omnia debet ad numeros, mensuras, et pondera redigere.] 40 aut (ut aliter etiam cordis mei desideria exprimam) elaborandum puto, ut quemadmodum deus omnia in numero, mensura, et pondere disposuit. (sap. 11. 21.) Ita nobis.

I. Omnia, quae usquam sunt, erunt et fuerunt, sub numeros veniant, ne quicquam cognitionem effugiat.

Ii. Ut omnium commensurata proportio, tam ad universum, quam ad se invicem, pateat oculis nostris.

Iii. Tandemque ut causarum pondera extent evidenter, ad pervidendam accurate; rerum omnium veritatem.

Primum faciet ut eruditio sit universalis: quod primo intendimus.

Secundum: ut sit clara et distincta; quod cupide persequimur.

Tertium: ut sit vera et solida, quod maxime optamus.

[note: libri pansophiae requisita.] 41 talem, inquam, librum cupimus construi, qui unus instar sit omnium vere universalis eruditionis promptuarium: in quo nihil merito desiderare queas, et e cujus lectione mentibus sua sponte influat sapientia, nimirum propter cohaerentiam rerum perpetuam, claram, distinctam, exurgentibusque omnibus e radicibus et venis, propriis, ut appareat, ita esse unumquodque, ut dicitur, nec aliter esse posse, quam est, propter ipsam immutabilem seipsam ubique connectentem rerum veritatem. Sed tamen haec omnia compendiose, quia brevi fugacique vitae serviendum. Omnia populariter, quia lumen mentibus inferendum, non tenebrae: et omnia solide per causarum et effectuum connexionem perpetuam, quia veritaris quaerendum firmamentum, non opinionum figmenta. Nempe ut omnia scibilia (sive sint naturalia, sive moralia, sive artificialia, sive theologica) simili certitudine tradantur, qua apud mathematicos demonstrationes procedere videmus, ut dubitationi ne locus quidem relinquatur. Unde non solum ea quae sunt, evidenter et sine errore cognoscantur, sed et insuper cogitationum, ratiocinationum, inventionumque infinitarum fontes recludantur.

[note: quanti intersi talem confici pansophicum librum.] 42 o quam optanda haec sunt! Quam longe meliore loco essent mortalium res! Cum enim libri transplantandae sapientiae instrumentum sint, instrumentum vero excellenter bonum, ceu norma nulla parte aberrans, aberrare prohibeat artificis manum: si exstaret docendae et discendae universalis sapientiae tale instrumentum, quale descripsimus, posset non solum juventus scholastica dexterrime formari, (quod majus quiddam esse, quam expugnare trojam alicubi melanchthon scripsit) sed et omnibus qui homines nati sunt, expedita pateret via universales rerum cognoscendi rationes, ad sapienter opera dei spectandum, suaque omnia disponendum. Cederent etiam non invitae tam claro lumini errorum tenebrae: et hominibus circa solida rerum occupatis, adque serios fines, per vias exploratas contendentibus, facilius cessarent dissidia, lites, bella, quibus se nunc conficit mundus. Conflictationum quippe causa est animorum exasperatio mutua, exsperationis irritatio, irritationis voluntatum dissidentia; dissidentiae voluntatum, animorum dissensiones; dissenfionum vero vaga et inordinata rerum consectatio. Reperta ergo rerum via (quae non poterit, nisi unica esse, quia veritaris essentia est, unum esse et simplex) evanescerent diverticula, hoc est, dissidiorum, aberrationum, contentionum occasiones.

43 ita fieret miserente deo, ut facilius scholarum, ecclesiarum, politiarum vulnera coirent; restitutaque orbi christiano pace, non solum posset, quicquid christianarum est gentium verae sapientiae, et pietatis studiis efflorescere, sed possent eodem lumine collustrari, et in

---

Page 425/426, image: s249

Christianismi amplexum (divinitus patefacta hac plena veritatis via) perduci insideles. Atque ita videremus tandem, quod venturum aliquando praenunciaverunt sacra dei oracula; fore, ut repleatur terra cognitione domini, sicut aquis operitur mare, es. 11. 9 sitque dominus rex super omnem terram, dominus unus, et nomen ejus unum, zach. 14. 9. Pateatque via sionis tam explanata, ut ne stulti quidem deerrare queant. Es. 35. 8. Hoc enim esset (quod alius propheta dixit futurum) montem domus domini ultimis temporibus constitui in vertice montium, ut confluant ad eum populi, et properent gentes multae, dicentes, venite, ascendamus ad montem domini, ut nos doceat de viis suis. Et tundent (pergit vox dei) gladios suos in vomeres, et hastas suas in ligones: non sumet gens adversus gentem gladium, nec discent ultra belligerare. Mich. 4. 1. Miserere nostri o deus, et da videre pacem tuam super hierusalem. Oriatur super nos gloria tua, ut in lumine tuo ambulent gentes.

[note: an sperari possit?] 44 sed an speranda haec talia? Non desperanda certe, modo universale istud intellectus humani directorium, per quod clara luce gradibus nusquam interruptis, a fundamentis rerum ad fastigia usque infallibiliter duci queant mentes hominum, exstruatur. Si enim ea ratione theatri sapientiae dei speculatores efficimur, non poterunt animi hominum non impleri gaudio et laetitia, ut acclament alii alios; venite, ascendamus ad montem domini, ut nos doceat de viis suis.

[note: ejus spei fundamenta.] 45 tale vero directorium (pansophiae perfectam methodum) non esse desperandum, haec suadent. Primo, certum est, ut ut res videantur [note: 1 homini omnia subjecta.] Ob infinitam multitudinem innumerabiles, ob variam disproportionem incommensurabiles, ob latentem plerumque in profundo veritatem impenetrabiles: nihilominus tamen omnia infra hominem esse, ejusque ingenio subjacere. Omnia siquidem in ejus gratiam facta sunt, sed gradu inferiore: ipse, ut ultima rerum colophon, absolutissimaque creatoris sui imago, omnium perfectionem in se uno complectens, quidni tandem aliquando seipsum, et omnia acute pervidere consuescat? Nam quia eum sapientiae suae spectatorem constituit deus, certum est, non inhabilem tanto fini fecisse. Fecisset autem, si res ingenio, aut ingenium rebus, disproportionatum fecisset. Maneat ergo, unum solum esse magnum nimis, cujus magnitudinis non est pervestigatio: ps. 145. 3. Caetera ad numerum, mensuram, et pondus esse facta. Sap. 11. 20. Es. 40. 12. Numeranda proinde, mensuranda, ponderanda, donec pateat universalis harmonia oculis nostris.

[note: 2 desiderium cordi inditum.] 46 secundo, deus omnia bene fecit, inquit sacra scriptura. Sed unumquodque in tempore suo, eccl. 3. 11. Hoc est, gradatim. Frustrane igitur cordibus hominum indidit mundi desiderium? Cognoscendi ea, quae operatur ipse a principio ad finem? Ibid. Frustra vero indidisset, si finem non assequeretur illud ipsum desiderium. At frustra aliquid facere sapientiae summae non convenit.

[note: 3 progressus non contemnendi.] 47 tertio apparatum jam habemus grandem, in tot hactenus magno labore et diligentia congestis librorum monumentis. Nihilne omnes istos egisse putamus? At jam ostendi, fieri id non potuisse, ob supremum rerum praesidem, qui frustra fieri aliquid non permittit, ne errores quidem. Esto igitur, fuerint hallucinati, errarint in plerisque, deus tamen, quia aeterna et immutabilis veritatis basis est, non potest non eo rem

dirigere, ut veritati, indies planius detegendae, ac roborandae, ipsi errores etiam servire tandem habeant necesse. Constat autem, perpulchre jam reperta esse plurima: quidni ergo et reliqua sperentur? Non est profecto nihil, quod euclides, archimedes, aliique quantitatis rationes ad eam deduxerunt evidentiam, ut numeris, mensuris, ponderibus miracula propemodum patrentur. Non est nihil, quod medici hermetici, chymiae ope rebus naturalibus qualitates detrahere, et ad nudam propemodum essentiam penetrare didicerunt. Non est nihil, quod verulamius mirabili suo organo rerum naturas intime scrutandi modum iufallibilem detexit. Et jungius saxo logicae nunc arti ad eam perfectionem deducendae insudans, ut propositionum veritas adstrui, sophismatum deceptiones destrui queant, ea certitudine qua euclideum quodvis problema apodeictice deducitur. Quid alia memorem? Ut clavus clavum pellit, ita inventio inventionem trudit, faecundo hoc seculo nostro ingeniis: et desperemus aliquam inventionem inventionum? Qua quicquid a tot ingeniis elaboratum est sigillatim, toti generi humano commune fiat. Non solum, inquam, quicquid jam veritatis erutum est, commune fiat, sed et modus rerum veritatem eruendi, ex omnibus confiat unus. Et id o quam pulchrum esset!

[note: 4 ex multis luminibus unum fiat.] 48 nam si singulis sua erant penetrandi acumina, suae agendi normae, sua res librandi pondera: quid non esse poterit si omnia acumina in unum acumen, omnes normae in unam normam, omnia pondera in unum pondus redigantur? Plus candelarum, plus luminis. Modo ratio reperiatur,

---

Page 427/428, image: s250

Qua omnia lumina in unum lumen coire possint: huc est, quomodo tam diversa illa, et infinita fere inventa, cognita, cogitata, in unam, perpetuam, immutabilem, aeternamque cogitandi, cognoscendi, inveniendi formam reduci queant. Hoc enim invento, habebitur quod quaeritur. Quidni autem inveniatur? Habemus utique jam et rerum cognitarum syluam non contemnendam, et grassandi ad reliqua lumen methodi non obscurum. Tentemus ergo plus ultra ad ultimam usque rerum, et methodi metam. Ubi enim datur ulterius, datur et ultimum. Sola aeternitas, cui destinati sumus, limitare potest mentem nostram; quae in tempore sunt, intra mentis ambitum sunt: modo eorum radices, aeternae, constantes, immutabiles rerum rationes, secundum quas sunt, et fiunt omnia, cognoscantur.

[note: 5 promissio dei de ultimis mis temporibus.] 49 et habemus expressam de ultimis temporibus promissionem, fore, ut pertranseant multi, et multiplicetur scientia. Dan. 12. Pertransierunt utique multi, et perscrutati sunt (hoc seculo magi sac unquam) coelum et terram, maria et insulas, totumque naturae regnum, nec non divinorum oraculorum libros aliter atque aliter. Et quid restat igitur, nisi, ut altera quoque pars vaticinii complementum sortiatur?

[note: consulatio de modo adornandi pan sophici libri.] 50 sed veniamus jam tandem ad rem ipsam, modum nempe, quo res tanta desideratum in effectum deduci queat. Ex iis quidem, quae jam de confusionis rei literariae, tam causis quam remediis dicta sunt, patere nonnihil potuit: expressius tamen dicendum est.

[note: tria necessaria.] 51 ad universalem rerum omnium cognitionem, possessionem, vsum, non puto perveniri posse, nisi per novam et universalem.

I. Recognitionem omnium bonorum, una cum inventariis omnibus.

Ii. Collationem inventariorum cum rebus, an ita se habeant res ipsae, ut rationaria illa nostra, seu regesta, referunt.

Iii. Dispositionem eorum, quae reperta fuerint, novam et universalem, ad novos universales usus.

[note: 1 recognitio seu nova lustratio omnium quae inquam exstant.] 52 recognitio bonorum nostrorum hoc intendet, ut quae sit propria haereditas nostra, et circa quod omnes omnino homines occupari conveniat, ne ignoretur. Nimis enim verum est; non intelligere homines sua bona: nempe quod mundi sint possessores; creaturarum domini, aeternitatis ipsius cum deo consortes. Quod quia pauci vel norunt, vel credunt, vel aestimant, fit ut vanis et perniciosis plerique se occupent, tandemque ceu indigni exhaeredentur. Docendi igitur sunt christiani accurate pensitare, quid sit apostolicum illud: sive mundus, sive vita, sive mors, sive praesentia, sive futura, omnia vestra sunt; vos autem christi: christus autem dei. 1 cor. 3. 22.

[note: etiam auctorum, de materiis, quibuscunque jam scripserunt.] 53 non autem frustra dixi revidenda simul esse inventaria. Amplissimae siquidem sunt opes nostrae, et variae admodum, ut pauci vel nomenclaturam teneant, nedum, ut quid singulae sint, et quid curae nostrae requirant, norint. Describenda igitur illa omnia sunt hominibus, legis instar, plane et lucide. Deut. 27. 8. Et quia accurate describenda, videndum, ne quid praetereatur. Omnia proinde repertoria priora consulenda, universalia et particularia, antiqua et nova, a quocunque adornata. Nam tamesti haec valde multa sunt, perfectam tamen omnium synopsin molientem, laborem hunc subire necesse est. Et utinam plura quoque exstent. Sed periêrunt insignia quaedam monumenta: inter quae sapientissimi hominis salomonis de plantis et animalibus libri. Quae cum frustra desiderentur; usurpanda, quae adsunt, ante omnia ipse sacer dei codex, biblia, quae nihil aliud sunt, nisi quidam ipsius dei commentarius super iis, quae nobis in hac vita dedit, et in futura servat. Verum quia hic deus ea fere tantum agit, aut certe potissimum, quae animae statum concernunt, non praetereundi sunt, qui materias inferiores tractarunt, philosophi, medici, juris consulti, mechanici, rerum variarum inventores, historici, cosmographi, ut ex omnibus particularibus scientiis, una tandem universalis scientiarum scientia, et ars artium, hoc est, pansophia confiat.

[note: sed quo fine?] 54 non autem hoc intelligimus, ut istum in librum variae auctorum de rebus opiniones colligantur, quemadmodum faciunt, qui multa lectione eruditionem metiuntur, ut varia variorum de rebus placita recitare, aut etiam consarcinatis ejusmodi centonibus, et pro libris foras datis, innotescere possint. Nec simpliciter, ut variae illae sententiae inter se conferantur, qualiter faciunt, qui varias quaestiones pro et contra ventilant, convellendisque opinionibus, quae non placent se fatigant, et volumina implent. Sed hoc volumus, ut in concinnando pansophico opere, omnes, qui de pietate, moribus, scientiis, et artibus commentati sunt (posthabito respectu, christianus an mahumetanus, judaeus an ethnicus, et cuicunque etiam inter illos addictus sectae quis fuerit, pythagoricus, academicus, peripateticus, stoicus, essaeus, graecus, romanus, antiquus vel recens, doctor aut rabbi, quaecunque

---

Page 429/430, image: s251

Ecclesia, synodus, concilium) omnes, inquam, ut admittantur, et audiantur, quid boni ferant.

[note: cur hic omnes auctores admittendi? Quia. 1 commune negotium agitur. 2 omnes divinitus admissi sunt.] 55 hoc suademus, primum quia quod molimur, universalis sapientiae

thesaurus est, generi humano communiter possidendus. Omnia igitur ingenia, omnes gentes, sectas, aetates, tributaria hic esse, aequum est 2 sedemus hic omnes mundo immissi, in communi sapientiae dei amphitheatro: nobisque christianis superadditum revelationis divinae lumen ex aequo lucet: quidni ergo cuivis etiam minimo, quicquid notabile videre se putat: extensa modeste manu et voce, submonere caeteros [note: 3 deus varte dona distribuit.] Fas sit? 3 non fit verisimile uni alicui, aut paucis quibusdam uno et altero seculo tantum videre datum esse, caeteris nihil: sed quemadmodum nulla fert omnia tellus, omnis tamen fert aliquid, et quidem diversis etiam annis: ita deum ingeniis vari as lucis suae scintillas distribuere per varias gentes aetatesque ventus quo vult spirat, inquit christus, de spiritu sancto ejusque operatione sermonem instituens. Et non desunt exempla extra ecclesiae pomeria, sapientiae spiritum alios atque alios afflare solitum: ut iobum, eliphaz, elihu, mercurum trisme istum, socra: em, epictetum, ciceronem. Nemo proinde contemnendus: (saepe etiam olitor est satis oportuna locutus) praesertim in illis, quae narurae lumine penetrari possunt. Prudenter sane verulamus censet diversas hominum de rerum natura opiniones esse veluti diversas super eundem textum glossas: quarum una hoc, alia alio loco emendatior esse, et aliquid observatu utile subministrare potest. Maneatergo, nullum tam malum esse librum, in quo non boni aliquid reperire liceat. Si non aliud, occasionem certe errorem aliquem emendandi.

[note: 4 collatis senteniis facilius invenitur verum.] 56 quarto, certum est, neminem errare volentem, (quo enim fine id vellet?) Sed errare, deceptum verisimilitudine aliqua. Nam erroribus etiam rationes praetenduntur. Ergo audiendae: quia cum rationali creatura hominibus actio est. Ita rationibus collatis facilius detegetur sucus, et verisimilitudo veritati, umbra lumini [note: 5 nemo condemnari debet inaudicus.] Cedet. 5 si quis inauditus condemnatur, quamvis condemnatur juste, justitia tamen vim patitur: quia fieri potest, ut se res aliter habeat, quam auditione acceptum est, ergo cognoscenda potius omnia. Ut taceam, rem nimii supercilii esse, hominem homini, ob praeconceptam opinionem, vel suspicionem ita praejudicare, ut rationes ejus etiam audire nolit. Annon hoc est dicere [note: 6 errores etiam prodesse possent.] Fratri suo raca? 6 esto, ignorarit hic et ille aliquid, errarit etiam in hoc et illo insigniter: quis tamen nescit, alienum errorem sapienti errorum cautelam esse posse. Possunt pansophiae architectis variae aliorum aberrationes, variaeque aberrationum occasiones, varia suggerere utiliter ad magis magisque expoliendum [note: 7 dissidia tollenda sunt. Ergo per reductionem ad harmoniam.] Pansophiae opus. 7 optamus homines tandem aliquando a dissentionibus liberari, ut sectae et odia cessent. At non cessabunt, nisi cessent suspiciones quibus alii apud alios laborant, suspiciones autem cessare non possunt, nisi omnibus et singulis satisfiat de sententiis et scrupulis, tam suis quam alienis. Fieri autem satis non poterit, nisi audiantur omnium sententiae, et conferantur placide. Et exigantur ad easdem leges, quas sibi utrinque posuerint, veritatis clarae et irrefragabilis.

[note: 8 exemplum populi dei antiqui.] 57 tandem memorabile est, ad structuram sacri tabernaculi a mose, et templi, a salomone, non de suo tantum contulisse israelitas, sed spolia etiam hostibus populi dei, aegyptiis, philistaeis, ammonuis erepta, obtulisse, et ab architectis acceptata fuisse. Nam et aurum undecunque conquirebatur, et gemmae alibi, quam in terra sancta natae offerebantur, et cedrina ligna in libani monte desecta, advehebantur omnia in honorem dei israelis, et splendorem domus ejus. Quemadmodum etiam in reaedificando a zorobabel eodem dei templo, deus spiritum cyri regis suscitavit, ut non solum offerret ipse regiam suam gazam: sed et subditis suis per omnia regna mandaret, juvare israelitas, quemque de loco suo argento et auro, et substantia, et pecoribus. Esd. 1. 12. 3. 4. Quidni ergo etiam admittant sapientiae templi structores, undecunque pretiosi aut splendidi aliquid accedere potest? Quin etiam gabaonitae, quanquam maledicti, adhiberi possunt ad ligna caedendum, et aquam comportandum, in domum dei nostri. Ios. 9. 23. Ita sit, quia ita expedit.

[note: auctoris apologia.] 58 quod si aliter ante hac sensisse visus visus sum, et sectam fovisse, odiuraque aristotetis et gentilitiae turbae aliis instillasse, (in praesatione physicae ad lumen divinum reformatae) non diffitebor, abreptum me fuisse exemplo pie cum nehemia zelantium, quod israelitarum pueri, per hierosolymae plateas discursantes, nesciant
loqui iudaice, sed azotice. Nehem. 13. 24. Hoc est, quod in scholis nostris gentilitia sapientia, et eloquentia, disciplinae christianae praevaleant: quod utique abominatio est, habemusque omnes millies praeoptare, ut meretricia illa profanae sapientiae lenocinia pereant, quam per illa periclitari debeant animi, quos christus suo spiritu repletos vult. At vero quia nunc

---

Page 431/432, image: s252

Non de paganismi praedominio, aut noxia cum christianismo mixtura consultatur, sed quomodo universitatis regi, christo, tributum ferat omnis terra: et quomodo quicquid rivulorum ab hoc sapientiae fonte quoquo versum dimanavit, suo fonti reddatur, (inquinamentis tamen foris relictis) adsunto gentiles quoque et arabes, et si quid possunt, ad decorem domus dei nostri afferant. Praesertim cum in pansophia non solum salutis cardo, sed et vitae hujus negotia spectantur, in quibus gentilitii potissimmum occupati, non potuêrunt non utilia observasse, quae fastidiose respuere inutilis superstitionis esset. Admittimus ergo, sed ea lege, ut quicquid vere, prudenter, pie ab illis cogitatum, scriptum, inventum est, in communem usum assumatur; quicquid inconcinne, contra veritatem, aut pietatem dixisse, aut fecisse convicti fuerint, tacere posthac jubeantur, ne perpetuo profanitas pietati: error veritati, tenebrae luci obluctentur.

[note: in recognitione auctorum candore opus et diligentia.] 59 sed candore hic opus erit et judicio, ne facile pronunciemus. Fit enim ut quandoque aliis errores impingamus, quos illi non agnoscunt, quia suspicione praeoccupati, aut abrepti affectu, verba intorquemus contra auctorum suorum mentem. Cum tamen optimus interpres verborum quisque
suorum; aristoteles ipse hoc nomine non optime audit, quasi facturus placitis suis fidem, refutaverit antiquos philosophos, non satis integre illorum dogmatibus recensitis: ut non potuerint non portentosa apparere, que per se nec veritati, nec aristotelicae forsan sententiae tam dissona fuissent. Quod si ita est, (nihil enim pronuncio) cautioni erit pansophiae structoribus, ubi non partialis victoria, sed universalis harmonia quaerenda venit, ut nempe, quam maxime potest, discordantiae, etiam per mediam repertam veritatem, in consonantiam reducantur: de quo sequitur.

[note: 11 collatio inter scripta et res quam necessaria.] 60 haec ita de recognitione rerum et regestorum. Dixi etiam collatione opus esse ad deprehendendum, num inscripta sint omnia, quae in rebus exstant? Aut quae inscripta sunt, num exstent omnia? Nec non an eodem modo se habeant omnia, quo traduntur? Nisi enim res et rerum expositio ex amussi conveniant, intricantur ingenia, et implicantur erroribus. Jam autem nimis certum est, et haberi apud nos nimis multa in catalogis; (praesertim in sectis quibusdam, ubi somnia et umbrae pro rebus tenentur) quae in rebus non sunt: rursumque esse in thesauris dei et naturae complura, quae nobis nondum consignata sunt; et denique plurima aliter habere, quam nostri dictitant libelli: ut prorsus necessarium sit, omnia commentaria cum rebus conferri. Hoc etenim facto, demum tam defectus, quam superfluitates, erroresque apparebunt, et tolli, emendari, suppleri poterunt, non ante.

[note: et quam operosa.] 61 sed huic labori ecquis mortalium sufficiet? Ob infinitam, nempe, rerum naturalium, supernaturalium, moralium, artificialium, tam multitudinem quam varietatem. Nam si priores illi rerum indagatores in particularibus quibusque materiis, tot

tantosque reperiebant nodos, ut plerorumque diligentia in querimonia (de insuperabili naturae subtilitate, imperscrutabili causarum complicatione, implacabi contrariorum quae ubique occurrunt, hostilitate, nimiaque ad haec omnia ingenii humani infirmitate) terminata fuerit: quid non fiet, si quis universa ab integro retexere velit?

[note: nec desperanda tamen, normis certis.] 62 at non despondendus animus est. Arte interdum expeditur, quod viribus non potest: id quod non satis videntur hactenus observasse scrutatores rerum, qui sola fere ingenii vi, et diligentiae continuatae impetu perumpere laborarunt: cum tamen, ut manus nuda, ita intellectus sibi permissus, non multum valeat. Instrumentis vero et auxiliis res perficiatur tum facilius tum certius. Normis itaque opus erit, ad quas res et de rebus dogmata exigendo, necessaria a non necessariis, utilia a non utilibus, vera a falsis expedite secernantur.

[note: norma philosophandi verulamiana.] 63 atque talem normam in natura scrutanda reperisse visus est illustrissimus verulamius, artificiosam quandam inductionem, quae revera in naturae abdita penetrandi reclusa via est. Verumenimvero, quia haec plurium hominum et seculorum continuatam industriam poscit, atque adeo tum operosa, tum a successu quasi incerto suspensa videtur, sit, ut praeclaram inventum a plerisque tanquam inutile contemnatur. Nobis vero ad pansophiae structuram auxilii parum adfert, quia (ut dixi) ad naturae solum arcana recludenda directum est, nobis autem rerum universitas respicitur. Alia igitur aliqua prorsus universali norma opus erit, quam nobis inqui rentibus forsan non dedignabitur ostendere misericors deus noster: qui ideo se abscondit, ut quaeratur; ideo quaeri vult, ut inveniatur. Pro. 25. 2. Fes. 45. 15. Non inquisitionem tuam deus inventionis effectu fraudari ullatenus sinet, (scribit beatus fulgentius ad monimum lib. 1.) Qui te ad inquirendum spiritualiter inflammavit: dum ipsius fidele promissum nulla ratione cassetur dicentis; petite et accipietis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis.

[note: norma pansophiae exstruendae univer alis panharmonia aphorismis aliquot explicatur.] 64 quidergo petentibus, quaerentibus, pulsantibus nobis revelaverit, videre dederit

---

Page 433/434, image: s253

Dominus deus noster, jam explicaturus oro et obtestor, ut pie attendant, quicunque sapienter de his talibus judicare possunt. Expediam vero aphorismis aliquot rem totam.

I. Tria sunt quae humanam nostram scientiam, atque adeo quandam omniscientiam absoluunt, dei, naturae, artis cognitio.

Per artem intelligendo quicquid humana industria fit, cogitationes, sermones, opera: per naturam, quicquid sua sponte, indita rebus vi, nascitur et fit: per deum quicquid absconditae ab aeterno porentiae, sapientiae, bonitatis, verbis et operibus hucusque se prodidit. Haec tria qui novit, omnia novit: quia ex hoc trino genere rerum universitas constat.

65 ii. Cognitio horum trium quaerenda est perfecta.

Ne satis putetur esse, aliquid scire de deo, aliquid scire de natura, aliquid de arie; (id quod ignarissimis etiam, atque adeo stultis, contingit) sed ut plene et exacte intelligamus, quae intelligi possunt, omnia.

66 iii. Cognitio rerum perfecta est, cum plena et vera, et ordinata est.

Si enim vera non est, spectra pro rebus ex hibet et in ludibrium exit.

67 iv. Cognitio vera tum est, cum res uti sunt, ita cognoscuntur.

Si enim aliter quam sunt, cognoscuntur, non cognitio erit, sed error.

68 v. Res uti sunt, cognoscuntur, cumita cognoscuntur, uti factae sunt.

Ununiquodque enim ita est ut factum est, quia si non ita est ut factum est degeneravit.

69 vi. Res quaelibet facta est ad ideam suam, hoc est: ad certam quandam rationem, per quam id esse potuit, quod est.

Nisi enim aliquid posset fieri, non fieret, et nisi posset fieri tale, non fieret tale: illa ergo [gap: greek word(s)] talis possibilitas, idea dicitur, per quam res est id, quod est.

70 vii. Omnia ergo, quae fiunt, ad ideas fiunt, sive sint opera dei, sive naturae, sive artis.

Si enim idea sit certa rerum ratio, deus ne cogitari quidem potest agere aliquid sine ideis, hoc est, sine ratione certa, ut qui ipse ratio rationum est: similiter natura, cum producat ordinatissima opera, quemadmodum et aemula ejus ars, non, sine ratione operari possunt.

71 viii. Ars ideas operum suoruma a natura mutuatur: ntatura a deo, deus a semetipso.

Primum id, notum esse vulgo dicteria illa ostendunt: ars sine natura nihil potest; ars est naturae aemula: ars imitatur naturam: ars est naturae filia. At non minus vera sunt haec; natura sinedeo nihi potest: natura est aemula dei: natura est dei filia: natura imitaiur deum. Deus tandem neminem imitatur, nisi semetipsum, quia nec aliter potest, nec vult; non potest, quia nihil praeter se habet in aeternitate sua: unde ergo sumat operum. Suorum initium vel formam? Non vult, quia optimus cum sit, non potest velle, nisi optimum: optimum autem nihil est, praeter illud unum, solum, aeternum, bonum, quod ipse est. Siquis dicat, deum rationes producendarum rerum libere excogitasse: quaero quo fine? Si deus nunc per naturam nihil agit frustra, cur ab initio egisset? Ut scilicet habens seipsum persectissimum omnis persectionis exemplar, excogitaret aliud? An ut parceret majestati suae? Atque hanc visibiliter expressum ibat. Rom. 1. 20. An ut profunditateni sapientiae suae illa a seipso discessione ostenderet? Atqui sic imminutum iret plenitudinem gloriae suae, quasi aliquid perfectionis esset, quod sibi non inesset. At hoc impossibile. Certum igitur, ut crearuras ita creaturarum ideas, non nisi ab hoc fonte manasse. Et quia in creaturis omne agens assimilationem quaerit objecti ad se, cur in creatore, a quo creaturis character ille impressus est, non idem agnoscamus? Presertim cum deus prorsus nihil habere possit, quod operum suorum statueret finem, praeter seipsum. Maneat ergo, deum operum suorum non aliunde, quam ex semetipso sumere, ut finem, efficiendique vim, ita et formam; materiam solum, qua creatura a creatore subjective differt, e nihilo sumens.

72 ix. Deus igitur effingendo mundum, seipsum effigiat, ut omnino proportionata sit creatura creatori.

Nam formatum respondere formae? Suae necesse est: non obstante, quod proportionis illius gradus dentur, respectu nimirum evidentiae majoris aut minoris. Ita filius dei, character (seu expressa imago) patris dicitur. Heb. 1. 3 et tamen, homo etiam imago dei dictus est. Genes 1.

26. 1. Cor. 11. 6. Nec non caetera omnia, imagini cuidam comparantur, quando per ea, que facta sunt, a condito mundo, invisibilia

---

Page 435/436, image: s254

Dei conspici dicuntur, rom. 1. 20. Et quod magnitudine speciei et creaturae, cognoscibiliter creator eorum possit videri. Sap. 13. 5. Atque hinc factum est, quod gentiles natutaram non solum filiam dei, sed deum quoque appellarint. Quid aliud est natura, inquit seneca, quam deus? Et divina ratio toti mundo et partibus ejus inserta? Benef. 4. C. 7.

73 x. Et quia de ideis divinae mentis omnia participant, fit ut inter se quoque participent, et sibi invicem proportionata sint.

Quia quae conveniunt in uno tertio, inter se conveniunt.

74 xi. Eaedem proinde sunt rerum rationes, nec differunt, nisi existendi forma: quia in deo sunt, ut in archetypo, in natura ut in ectypo: in arte ut in antitypo.

Quemadmodum videlicet in sigillo eadem est sorma. Primo concepta in mente ejus, qui format, aut formari jubet: deinde insculpta metallo: tandem impressa cerae. Quanquam enim triplex, una tamen: quia a prima secunda, a secunda tertia efformatur, posterior quaeque ad prioris imaginem. Ita ideae in mente dei conceptae, imprimunt similitudinem sui, creaturis: creaturae vero rationabiliter operantes rebus a se productis.

75 xii. Fundamentum ergo rerum omnium ut condendarum, sic cognoscendarum harmonia est.

[note: harmonia quid?] Harmoniam musici vocant multarum vocum consonantiam jucundam. Talis vero est virtutum aeternarum in deo, virtutum creatarum in natura, virtutum expressarum in arte, per omnia concordans concentus, quia tum in se unumquodque illorum harmonia est, tum ad invicem, quoniam harmoniae divinae imago est natura, hujus imago ars.

[note: resquisita ejus tria. 1.] 76 xiii. Harmoniae primum requisitum est, ne quid sit dissonans.

Harmonia musica conflatur ex vocibus dissimillimis, atque adeo contrariis, et tamen contrarietas ad consonantiam reducitur. Ita mundus totus ex contrariis quidem constat, (quia sine contrariis nec veritas, nec ordo, imo nec essentia mundi, constaret) quemadmodum et scriptura, multa in speciem pugnantia habet: omnia tamen ad concordiam in se redeunt, et in animo nostro reducenda sunt, si panharmonia debet emergere, quae ut divinis illis, ita nostris etiam operibus, sententiis, verbis, universalem conciliet consensum; disparente, si quae visa est, dissonantia. Quod mysterium quia vulgo non intelligitur, arripiunt philosophi e natura, theologi e scriptura, alii hoc, alii illud, et committunt naturam naturae, scripturasque scripturis, et eliciunt sensus contrarios, et excitant lites ac pugnas: quod necesse est evanescere, ubi universalis harmoniae lumen apparucrit. Veritas enim undique sibi congruit.

[note: 2.] 77 xiv. Secundum harmoniae. Requisitum est, ne quid sit non consonans.

De naturalibus quidem et artificialibus id manifestum est, omnia fieri ad harmoniam. In animali enim, arbore, instrumento musico, navi, cursu, libro, domo, etc. Necesse est, partes omnes proportionatas esse, tam suo toti, quam sibi invicem: sed de divinis dubitare posset, non-nemo, an cum naturalibus et artificialibus in aliquam proportionem veniant? Putaret enim

quispiam, majestatis esse, nihil communicare cum creaturis. At vero sciendum est, quaecunque ectypo insunt, necessario reperiri prius, et quidem excellenter, in archetypo: quia rivus a fonte, umbra a corpore, speculum ab imagine, habet, quicquid habet. Deinde, si tam accurata sunt naturae opera, ut ne locus quidem meliori fabricationi excogitandae sit relictus, (quod fatetur galenus lib. 6. De usu, part. Cap. 1.) Et si immutabilis est, atque irreformabilis naturae natura (quod testatur tertullianus adversus valent. Cap. 29.) Quid erit natura; nisi viva imago ejus, in quoomnia primo et excellenter optima, immutabilia, et irreformabilia? Denique deus ipse in scriptura sibi aures, oculos, os, manus, pedes, cor, faciem, dorsum, tribuit. Item seignem, rupem arcem, anchoram, appellat. Quo fine, si haec nihil de deo repraesentare possunt? Si vero possunt, non utique aliud, quam quod revera est, cum veritatis norma sit sermo dei. Scimus quidem figurate ista dici. (quis enim cum anthropomorphitis delirare velit?) Sed siguris tamen (id est metaphoris et parabolis) fundamentum subesse ipsam rerum proportionem, seu identitatem quandam, nemo negaverit: cum necesse sit prius esse, quam praedicari. Quemadmodum igitur artificialia naturalibus, sic naturalia divinis, omnino certa proportione respondent.

[note: 3.] 78 xv. Tertia harmoniae proprietas

Page 437/438, image: s255

Est, ut quanquam infinita sit sonorum et melodiarum varietas, illa tamen e paucis principiis, certisque differentiarum modis exsurgat.

Omnes enim harmoniarum differentiae, quotquot excogitatae sunt, et excogitari possunt, exsurgunt e septem vocibus et tribus consonantiis. Omnia corpora quotquot mundus habet, exsurgunt e paucissimis illis elementis, et aliquot qualitatum differentiis. Ita ergo inreliquis omnibus: ut rerum multitudo et varietas nihil sit, nisi simlium varia ueratio. E. G. In arbore quamvis sint millies millena folia, omnia tamen ejusdem figurae, coloris, virtutis. Item quotquot sunt ejusdem generis arbores per universum orbem, omnes eodem modo sunt, eademque agunt, et patiuntur. Sic et diversorum generum arbo res communes quasdam rationes habent.

[note: principia essendi sunt optima principia cognoscendi.] 79 xvi. Rerum ergo principiis et differentiarum modis cognitis, omnia cognita erunt.

Ut enim, qui in musicis tonorum et modorum rationes cognovit, satis quasuis melodias et canere et componere novit: imo excogitata est ratio, qua organicines ex intuitu unici bassi generalis, quem vocant, omnes melodias ita canere possunt, ut quamvis centenis vocibus symphonia constet, nulla tamen disharmonia prodire queat: ita prorsus, qui generales cognovit rerum, artificialium, naturalium, et supernaturalium rationes, infinita poterit et dignoscere et operari: e. G. Quicunque cognoverit, quid sit pulchrum in se, seu ex quibus requisitis pulchritudo constet, is nullo jam magistro sciet, quid sit pulcher angelus, pulchra anima, pulchrum corpus, pulcher color, pulchra oratio, pulchri mores; et quidvis aliud. Rursumque quicquid ab illa idea discrepabit [note: n. B.]Pulchrum non esse apparebit. O quam expedita haec est ad multarum rerum cognitionem, via, fontes rerum ita reclusos habere!

[note: ideae rerum abstrabendae a concretis.] 80 xvii. Atque tales rerum communes rationes abstrahendae: sunt a rebus, per inductionem quandam, et ponendas pro normis rerum.

E. G. Quae sit forma pulchri, boni, perfecti, utilis, ordinati, vitae, sensus, quaerendum est in omnibus, quae pulchra, bona, perfecta sunt: idque separando prudenter ea, quae ad essentiam pulchritudinis, bonitatis, perfectionis non pertinent, donec ipsa pura rermanserit forma. Nam quicquid est, certam aliquam rationem habet, per quam est. Ergo quaecunque sunt, in communi. Aliquo essendi modo necessario conveniunt: quae vivunt, in modo vivendi; quae sentiunt, in sentiendi; quae pulchra sunt, in certo aliquo essendi modo, per quem pulchra esse dicuntur: et sic [note:(idearum usus pulcher rimus.)] Alia. Tales igitur communes, et quasi externae: rerum rationes seu ideae, si abstrahantur accurate ab omnibus, ex quibus tota rerum universitas constat, habebitur tum rerum intelligendarum clavis generalis, tum operationum norma, novarumque inventionum index mirabilis; tum denique opinionum dignoscendarum lydius lapis certus: verbo, pulcherrimarum ratiocinationum abyssus quaedam.

[note: idae potissimum a naturalibus abstrabendae.] 81 xviii. Abstrahendae vero sunt tales veritatis normae ab illis rebus, quae sic se habent, ut aliter nequeant: et sunt obviae cuivis, ad facienda ubivis experimenta, nempe a rebus naturae.

Res enim divinae per se inscrutabiles sunt, ut quae in tantum solum cognoscuntur, in quantum per naturam adumbrantur, aut per vocem dei revelantur. Ars vero quicquid tationis aut certitudinis habet, a natura habet, saepeque hallucinatur. Ergo natura crit potissimum campus ille, in quo ideas rerum venemur, adminiculante tamen [note: (scriptura quid, et ad quid?)] Voce dei (intellige scripturam) quae verissimum est operum dei rationale, quid et quo fine fecerit, faciat et facturus sit deus, indicans. Ex his ergo duobus, natura et scriptura, exstruendae erunt istae pansophiaecondendae normae; quarum ope omnia maxima minima, summa ima, prima ultima, visibilia invisibilia, creata increata, in unam, veram, perfectam, sibi et rebus undique satisfacientem, qua melior dari nequeat, harmoniam, seu potius panarmoniam redigantur.

[note: iii pansophiae consiruendae methodus qualis requirtur.] 82 atque haec hactenus de nova res omnes retractandi norma: sequitur de nova easdem disponendi forma. Methodum enim in pansophia adhibendam putamus, necessario persectam, qua perfectior dati nequeat: nempe quae mentes ita rebus innectat, ut finem nisi in fine non reperiant, et prius solidissimae scientiae fructum, quam discendi molestiam percipiant. Quod obtinebitur, si

[note: i. Universorum partitiones veriores sunto.] 83 i. Universi anatome instituatur accurata, omnes omnium rerum venas et artus ita dissecans, ut nihil non veniat spectandum, et nihil non suo proprio loco, sine confusione omni.

[note: definitiones tollant omnes ambiguitates.] 84 ii. Conveniat de vocabulorum significatiocatione

---

Page 439/440, image: s256

[note: nes tollant omnes ambi guitates.] (praesertim generaliorum, quorum per omnia usus est) ne quicquam relinquatur non intellectum, aut homonymiis non liberatum, unde post dissensiones et pugnae oriri possent. Hoc autem expedient accuratae rerum definitiones, quas ideo mathematici quoque demonstrationibus suis praemittere solent.

[note: 3 theoremata expediant omnem rei naturam.] 85 iii. Subjunguntur divisionibus et desinitionibus rerum normae, sive theoremata et canones cum demonstrationibus suis.

[note: 4 omnia praecepta sint [gap: greek word(s)].] 86 iv. Sed omnia illa (divisiones, definitiones, canones, quae communi nomine praecepta dicuntur) videndum est, ut sint i perspicua. 2 non nisi certi usus. 3 omnia vera per se, semper, et ubique. Illa enim tria jure merito in plerisque philosophicis et theologicis scriptis hactenus desiderata fuêre. Multa traduntur obscure, ut mercurius mercurie egeat; multa nullius aut certe exigui usus; nonnulla ex accidenti tantum vera. E. G. Metaphysicum illud theorema: substantia non recipit magis et minus, nec verum est, nec si esset, aliquem haberet usum. Vir enim magis est homo quam embryo: aquila magis avis quam vespertilio: sol magis lux quam luna: et annon otiosum est dicere: omnis sus est sus, omnis equus est equus? Nam quis hoc neget? Cui hoc ingeri necesse sit? Ergo praecepta pansophiae non nisi seriae scientiae materiam contineant.

[note: 5 generalia theoremata mera sint axiomata.] 87 v. Generalia pansophiae praecepta nihil sint, nisi axiomata realia, et practica: hoc est, sententiae per se fide dignae, non demonstrandae per priora, sed illustrandae solum exemplis: utpote, quas omnis humanus intellectus simul ac percepit, pro veritatis norma admiserit. Tales enim notitiae animis nostris divinitus impressae, accendendae circa omnia particularia intelligentiae faces, operationum vero clavis erunt. At cavendum summoperc, ne pro axiomate admittatur, nisi quod revera tale est. Non stustra quippeverulamius, streso, et alii conqueruntur, vulgares logicae canones temere quidvis affirmare aut negare: ut raro demonstrarioni, plerumque tantum disputationi (quae excipiendo, limitando, instando, retorquendo, id est altercando peragitur) serviat.

[note: 6 particularia merae demonstrationes.] 88 vi. Particularia omnia per totam pansophiam, nihil ferant novi; sed tantum sint generalium, quae praecesserunt, diductio specialior, qualiter in arbore et animalis incremenri fieri videmus; ut non quotannis nova enascantur membra, aut rami; sed priora tantum perficiantur.

89 adornata hoc modo pansophia erit, [note: vsus pansophiae.] 1 perceptu sacilis. Fluent enim alia ex aliis. 2 veritate solida. Omnia enim sequentia fundabuntur in prioribus. 3 usu insignis. Omnium enim cogitabilium rationes patescunt egregie. Eritque revera talis liber omnigenae scientiae non solum seminarium, sed et irrigatorium quoddam, omnia profunde radicari faciens: ut discentes non persuasionibus alliciantur, sed demonstrationibus cogantur ad affensum: id quod demum firmam facit eruditionem.

[note: omnia sint apodictica.] 90 quemadmodum igitur inter mathematicos nemo dicit: pythagoras tradit, ter tria esse novem: euclides quantitatis continuae tres facit species, lineam, superficiem, corpus. Omnes geometrae in eo conveniunt, quod in triangulo tres anguli sint duobus rectis aequales. (rideretur qui sic inepte auctoritates creparet.) Sed demonstrant ita esse, nec aliter esse posse, quamvis nullus pythageras, aut euclides fuisset natus: ita posthac sin metaphylicis, physicis, ethicis, politicis, pudor sit allegare auctoritates, ubi rationibus. Agi potest:

[note: et ominia ordinatissima.] 91 sed et hoc intendimus tali methodo, ut totum pansophiaeopus, sine ullius rei repetitione queat procedere, brevitasque illa, (tametsi opus totum spissa rerum soliditate compactissimum sit) nihil obscuritatis adferat, quia cum gradatim ibitur, omnia posteriora per priora jam nota ultro lucem accipient. Ita inchoabitur feliciter in libris etiam scribendis praxis illius, quem architectonica militaris habet, canonis: nullus locus defendit seipsum, sed defenditur ab alio, si omnia et singula, quae traduntur, ex praenotis jam lumen et robur accipiant.

[note: nb. Idearum luci addenda testimonia, dei et sensuum.] 92 addenda tamen erit in gravioribus materiis sacrae scripturae auctoritas, tanquam oris dei attestatio. Nec non

sensuum testimonium per ostensionem, qua ratione rei veritas experimentis comprobetur: ut videlicet, quemadmodum apud mathematicos, demonstrato theoremate, certo sequitur scientia, et demonstrato problemate, certo sequitur effectus: ita e praeceptis pansophiae, rerum cognitio et operatio infallibiliter sequatur.

[note: 7. Si quid demonstrari nequeat problematice proponendum] 93 vii. Quod si quid ad eam demonstrationis certitudinem deduci nequeat, et sciru nihilominis utile sit, referatur inter deliberanda, aut ponatur problematice, rationibus in utramque partem assignatis: tum ut liberum sit omnibus, quorsum potius inclinare videantur, momenta, judicare: tum ut aliis relinquatur occasio, tandem aliquando talia problemata soluendi, et veritatis infallibilem

---

Page 441/442, image: s257

Evidentiam in talibus etiam eruendi. Gradatim enim commnunicare hominibus lucem suam consuevit deus, et ubicunque gradatim itur, radatim longius provehi naturale est. Interim ea, quae scientifice suerint tradita, quam vis futura sint numero pauciora, erunt tamen usu validiora. Melius enim est pauca, sed certo ac pleno numero, et recte tenere, quam per infinita volutari, quia hoc non nisi vagam et opinabilem, illud constantem, et firmam eruditionem confert.

[note: methodi bujus laus] 94 inter hunc talem, si adornetur, pansophiae librum, librosque quibus nunc utimur, id foret discriminis, quod inter musicum organum ad plenam harmoniam aptissime concinnatum, et inter organa ejusmodi plura imperfecta, praecipuis partibus mutila, fistulisque hinc inde disturbatis, et discordantibus. Aut etiam quale discrimen est inter accuratam tabellaturum, cujus solius intuitu organarius, vel citharoedus facile quasuis melodias cantat; et inter dispertitos illos symphoniarum libros, qui nec usurpari, nisi a pluribus, possunt, nec forsan semper, et ubique concordant.

95 cujus libri, quantus foret ad sapientiae [note: cur id auctor tentet.] Studia usus, toties apud me considerans, deum supplex veneratus sum, nec solicitare votis desino, ut heroica excitet ingenia, perquae tantum hoc lumen mundo accendatur. Et quia mihi ex eorum numero esse dedit, qui rerum humanarum impectionem agnoscunt, emendationemque in melius ferio optant, non alienum putabam fore, sitentarem ipsemet: experturus nempe, num per me vellet divina benignitas (ventus enim ille caelestis quo vult spirat) novae aliquid lucis subministrare aut saltem, ut id stimulo esset aliis, quibus plus ingenii, eruditionis, otii, divina indulsit providentia; majora hoc in genere praestandi, quam a me praestari poterunt. Et quis vitio vertat, si vehementer juventuti christianae prodesse cupiam, sive per me, sive per alios? Metuendum autem mihi fuit omnino, ne tantae necessitatis res intra vota subsistat, si nihil praeter vota exponeretur in publicum. Feci ergo quod posse dedit deus, ut et intelligar melius specimine dato, et alii, quos excitabit deus, facilius imitandi exemplum habeant.

[note: et quo fine haec narret.] 96 puto autem non transmittendum silentio, qua occasionerem tantam aggredi fuerim ausus; et quo usus in concinnanda ea ordine et modo; denique quo (meo judicio) successu? Omnia haec eo solum fine, quia necessarium autumo, ad verum eliciendum judicium, ante omnia ostendere, quid proposuerim. Quid autem praestiterim, subsumptionis loco erit ipse pansophicus noster libellus: unde in animis dextre judicantium sua sponte resultabit conclusio.

97 vicesimus nunc labitur annus, cum [note: occasio bus jus operis at tius explicata.] Primum ego difficultati literariorum laborum remedia quaerendi desideria sensi et stimulos: idque ex

occasione infelicitatis meae, quae mihi omnes pene adolescentiae meae annos, eheu! Eripuit. Admodum enim puer parente utroque orbatus, tutorum supinitate ita fui neglectus, ut demum aetatis anno decimo sexto latina elenienta gustare contigerit. Beniguitatis tamen dei fuit, quod gustus ille naturalis deliderii sirim adeo accendit, ut ex eo tempore non desinerem agere et moliri, quibus amissae aetatis damna sarcirentur; non solum jam in me, sed in aliis quoque. Aliorum enim sortis simul misercebat; praesertim in gente mea, ad literas colendasi oscitantiore. Multa igitur et multum animo voluebam, quomodo non solum quamplurimi ad amandum liberalia studia excitari, sed et quibus sumptuum, laborumque compendiis scholae aperiri, in eisque juventus methodo faciliore, ad insignem aliquem eruditionis profectum, promoveri posset quia vero mox (aetatis anno 24) ad ecclesiae ministerium vocatus eram, divinumque illud, hoc age, prae oculis erat: scholasticae illae curae seponeudae fuerunt. Sed cum quinquennio post, deo permittente, patria cum aliis ejetus, et tolerandae in exilio vitae gratia ad scholasticos pulueres reversus, variorum auctorum lectioni animum adjecissem, incidi in complures, qui hac tempestate, in emendanda studiorum methodo, desudare coeperunt, ratichium, heluicem, rhenium, ritterum, glaumium, caecilium, et quem inprimis nominasse conveniebat, ioannem valeminum andrae, fervidi spiritus, et defaecatae mentis virum, nec non campanellam etuerulamtitm philosophiae restauratores gloriosos. Quorum a lectione in magnam spem erectus, fore, ut tandem tot, et tam variae scintillae, in flammam erumpant. Hinc inde tamen quosdam defectus et hiatus animadvertere mihi visus, temperare non potui; quin aliquid immotis fundamentis innixum tentarem, quod si exeogitari posset, vacillationem non admitteret. Post multas igitur animi agitationes, ad immotas naturae leges, et normas omnia exigendo, enata est mihi sub manu did agti c a magna, omnes omnia prompte et solide docendi artificium exhibens.

Page 443/444, image: s258

[note: launa linguarum occasionem dedit januae rerum.] 98 ad cujus exstructos canones, cum linguas docendi compendium tentassem, et sub titulo ianvae linguarm reseratae in publicam lucem, censurae causa, emisissem, accidit, ut, cum applausu excepta, et unanimi quodammodo eruditorum consensu approbata esset, tanquam verum et genuinum linguas docendi medium. Unde mihi novam subministrari ansam vidi, rerum quoque ipsarum ianvam tentandi; aut, si malis, intellectus humani clavem, ad omnia universaliter sensus reserantem. Ex qua opella, si successisset, tanto plus emolumenti sperandum credebam, quanto plus est recte sapere, quam aliquot latina vocabula balbutire posse.

[note: et qua spe.] 99 non deerant equidem, qui talem rerum, sive ianuam, sive clavem condi posse, simpliciter dubitabant (communicaveram enim consilium amicis) me tamen concepta de universali, eaque constanti rerum harmonia, persuasio, egregie animabat, fore ut omnia homini cognoscenda, ad certas quasdam numero finitas, usu infinitas regulas reduci pariantur. Ita enim mecum ratiocinabar: si lingua, volubilissima illa animi interpres, in infinitam luxuriem diffundere se gestiens, tamen ita metis circumcludi potuit, ut finito vocum numero, omnes principales animi conceptus, enunciare necesse habeat: quidni pariter conceptus vagae nostrae mentis, rerum ipsarum cancellis ita coerceri queant? Nam tametsi res, extra intellectum politae, infinitum quiddam videantur, non tamen sunt: cum et mundus ipse, stupendum dei opus, e paucis elementis, paueisque formarum disserentiis, constet et artium quicquid excogitatum est, ad certa genera certaique sum mas revocari possit. Quia igitur res et rerum conceptus, coneeptuumque imagines, verba, parallele se habent, et in singulis quaedam

fundamentalia sunt, e quibus caetera resultant, cogitabam illa ipsa fundamentalia aeque in rebus ac conceptibus, atque in sermone tradi posse. Etiam veniebat in mentem, chymico modum adinvenisse rerum essentias, sive spiritus, a nimietate materiae ita liberandi, ut in exigua gutta ingens mineralium aut vegetabilium vis congregari, et in medicinis majori efficacia, quam cum integris suis massis exhibere possit. Et nihil exeogitari queat (cogitabam) quo sapientiae praecepta, per tam lata scientiarum pomoeria sparsa, imo extra suos ambitus in infinirum quasi dispersa, conglobari quodammodo, et concentrari possint? Absit desperare: omnis desperatio contumelia est in deum, qui petentibus, quaerentibus, pulsantibus, opem promisit. Statuebam itaque universale aliquod, erudaionis seminarium condi posse.

[note: in ianua rerum contexenda quid proposuerit auctor.] 100 orsus itaque sum in dei nomine telam hanc, eadem mihi ad observandum hic propositia methodo qua in contexenda linguarum janua usus sui. Primo, ut quemadmodum ibi omnia linguae latinae, ita hic omnes humana cognitione dignae res, velut in thesaurum compostarentur. Secundo, ut nihil nisi semel poneretur? Exceptis connexivis, et sine quorum mentione, alia explicari nequeunt. Tertio, nihil poneretur, nisi suo loco, et sensu proprio, id est, naturalissimo rerum ordine, et verborum sensu clarissimo ut, quicquid notabile rerum universitas habet, omnesque libri et bibliothecae suppeditant, summatim hic addiscantur omnia, breviter et dilucide quod si praestitissemus, ut per hanc januam nostram in res omnes, omnesque libros nullo etiam magistro intelligendos, transitus fuisset paratus, laudis utique ejus reportassemus partem; quam timotheus brightus brevitatis et perspicuitatis inventoribus tribuit. Ex variis, inquit, philosophiae partibus, in quibus veritaris, amanes et rerum et rerum optimarum studiosi, elaborarunt; nulla aut ad vitam utilor est, aut honestrore anitmum pascit voluptate, illa, qua aliae artes et ad brevitatem, et ad perspicuitatem informantur. Grata itaque memoria studum illorum celebrandum est, qui ita operam ponunt ut discentes et prolixitatis taedio leventur, et difficultatis liberentur spinis, atque labyrinthis: (super scribonii phys. Cap. 1)

[note: sublimior cura.] 101 atque ita est; fuit haec sola intentio nostra, quum primum huic operi adhiberemus manum, omnia scienda breviter, et perspicue, complecti. Sed munere dei factum est, ut in progressu operis, sublimior illa nos incesserit cogitatio et cura; omnia nempe ab imis usque fundamentis, veriora, meliora, et nobis christianis, ad usum hujus et futurae vitae accommodatiora constituendi. Quod necessario intendendum esse, jam pro lixius disserui. Ut igitur opusculum hoc vere janua esset, non solum in auctores, sed magis etiam in ipsam rerum universitarem, omnia quae in divinis et humanis, tam operibus, quam libris, exstare animadverti, huc retuli: non quidem catalogos, superstitiosa et parum utili diligentia, omnium et singulorum contexendo; sed potius fundamenta vera omnium detegendo, et in praecipuis praecipua momenta, e quibus reliquorum

---

Page 445/446, image: s259

Facile ratio constet, explicando. Unde simul nova quaedam non solum inventa, sed et invenienda hic reperientur, quae fortasse alibi nusquam. Novus siquidem, atque is plenior rerum ordo, saepius nos eo deduxit, quo aliquis nondum delatus videtur.

[note: iauna hac rerum etiam est scripturarum divinaru iauna.] 102 ut vero simul in scripturam sacram esset ianua, conatus sum, 1. Omnia dogmata sacrosancti codicis dei, in pansophiae regulas, suis quaeque locis, historias vero plerasque omnes inter exempla referre: id providens, ut juventus hinc omnia maxima, et pretiosa promissa donata nobis, per quae divinae naturae consortes efficimur, 2. Pet. 1. 4. Cognoscat, non solumque, ad prophanos auctores innoxie

post (cum usus poscet) evoluendos, sed et adversus totius vitae offendicula praemunimen habeat. 2. Obscurissima quaeque scripturae loca, ita suis locis citare allaboravi, ut vel allegatio ipsa debito loco facta, lumen illatura, et commenrarii loco futura videatur, (qualium scripturae locorum peculiaris index annecti poterit) 3 phrasibus etiam scripturae, dicteriisque acutis ita passim uti laboravi, ut omnino hic tam res, quam stylus spiritus sancti familiarescat adolescentibus, nec facile in ipso bibliorum corpore quidquam, hic non praecognitum, occurrere possit.

[note: theologiae catholicae.] 103 neque tradimus hanc vel illam theologiam, ut in fectas divisae sunt: sed universalem et catholicam veritatem: ad ea, quae periculosum bivium habent, aut exitus in planum monstrari non potest, non descendendo. Satius enim existimamus ignorare quaedam, quam perperam scire: ut innuit apostolus philip. 3. 15. 16. Quanquam id obtentum esse, per universalem principiorum exaequationem, spero, ut ad ejusmodi periculosa bivia, et exinde in errores, vix etiam occasionis aliquid superesse prudens lector facile sit animadversurus: sublatis plerumque offendiculis quemadum enim hominem, qui se contradictoriarum enunciationum, (quales in scriptura etiam secundum literam occurrunt) alteri simpliciter et sine reconciliatione addicit, impossibile est, non ab altera urgeri, saepe etiam valide torqueri: ita impossibile, medio sensu reperto, et utraque extrema ad combinationem reducta, non simul quicquid difficultatis, scandali, terroris inerat, evanescere, ingenti cum animi laetitia. Hinc enim quicquid veri utraque pars habet, egregie in unum coit: quicquid se hic aut illic vani admiscuit, disparet; quam esse unicam, omnem veritatem in harmoniae centrum deducendi, controversiasque e mundo tollendi viam, ante diximus.

[note: methodus bujus libri.] 104 in ordine scientias tradendi, speramus nos dei munere id assecutos, ut specimen haberi possit rectae, res ita ut sunt et fiunt secantis, et ob oculos dispangentis, methodi. Venas enim rerum verissimas confido in metaphy sicis nobis repertas esse, per quas eundo, ad individua usque rerum et minimas quasque, conceptuum et vocum rationes, planissime pervenietur; ut nova, vera, et hactenus non visa universitatis anatome institui queant.

[note: metaphysica pansophica qualis] 105 nec illa tamen spinosa aliqua subtilitate, et quae nisi ab acutis, rerumque jam peritis ingeniis penetrari nequeat: sed plena, et cuivis sanae mentis tam pervia ratione: ut pueri etiam octennes totam nostram metaphysicam, ejusque ope inferiores scientias et artes omnes, nullo labore, multa vero delectatione caipere possint. Quicquid scientiae nervos constituit, aphorismis (sive axiomatibus) includimus: at veris, ut spero, non nugatqriis; solidis, non exceptionum et instantiarum telis expositis, et quae perforabilibus limitationum scutis demum essent defendenda; sed quae universalitatis luce, et veritatis vi, per se stent inconcusse.

[note: caetera inde quomodo deducantur.] 106 nihil vero honim, quamvis evidentis veritatis in se, tradimus praesupponendo aliquid; tanquam precario impetraturi assensum, sed praemonstrando, id est, continue a primis metaphysicae principiis ordiendo deducere laboramus alia ex aliis, ad ultimas usque et minimas rerum disserentias: et quidem ea evidentia, qua propositiones mathematicorum solent demonstrari, ut tam postremis, quam primis, necesse sit adhiberi fidem, propter continuatam et nusquam interruptam veritatis demonstrationem. In praecognitorum solum libris observari id non saris potuit propter nondum traditas rerum causas. Agimus itaque ibi cum intellectu humano ut cum pullis equorum solent, qui eos domant. Hi enim primum fraenis mollioribus, quibus eos potius oblectent, quam premant, utuntur; priusque per loca plana et amaena eos ad cursum exercent, quam in gyros cogant.

[note: divisiones trichotomicae.] 107 hoc peculiare, atque adeo mirabile, occurrit in methodo nostra, quod omnes rerum solenniores divisiones per trichoromiam fiunt. Id quod prorestor, non superstitione aliqua mihi affectate quaesitum, sed in praecipuis quibusque momentique maximi rebus a primis usque rerum attributis (uno, vero, bono,) ita se ultro obtulisse, ut attonitus aliquandiu haererem, rei novirate stupefactus. Cumque idem alibi exemplis jam erectus, tentarem,

---

Page 447/448, image: s260

Ubique procedere vidi. Non igitur ausus sui, rerum veritati ita plerumque trino mysterio sese repraesenranti resistere, laetabundus potius tantam sacri ternarii harmoniam amplexus, in reliquis etiam cupide sum prosecutus, nec usquam (firmiter credo) nulla rebus illata vi, sed quomodo sua sponte se findunt. Sed et discentibus hoc admodum profuturum credidi. Primo ad memoriae auxilium, quae per cancellos progredi gaudet, tam in imprimendo, quam recordando. Secundo, ad rerum ipsarum intellectum; ita plerumque rerum natura seipsam egregie detegente. Qua in re omnium, qui haec pie attenteque in timore domini trutinabunt, judicia compello: securus, non phantasmatum vanitatem, sed rerum ipsarum veritatem, ita deprehensum iri. Sit igitur christiana haec, ternaria mysteria pandes, pansophia, aeterno triusni iebovae, soli poteni, sapienti, bono, aeternumqpe adoando deo, sacrum.

[note: apellationis pansophiae apologia.] 108 pansophiae appellatio neminem offendat. Scimus unum [gap: greek word(s)] solum sapientem deum. Rom. 16. 27. Nos pansophiam humanam profitemur: scientiam nempe eorum, quae scire nos vult deus, cum sapienti etiam ignoratione eorum, quae ignorare nos voluit magister maximus. Quae adscondita sunt, penes dominum deum nostrum sunt: quae autem revelavit, nobis et silis nostris (deut. 29. 29.) Ea ne supina ingratitudine ignorentur, mortales hortamur.

[note: et cur pansophia christiana dicatur.] 109 et quia in christo absconditi sunt omnes sapientiae et scientiae thesauri: coloss. 2. 3. Nos autem hic potissimum christi mystetia (ut quomo do per illum aeternam illam sapientiam et virmtem dei, omnia facta sint et fiant, donec vemat finis; cum tradiderit regnum patri, evacuaveritque omnem potestatem et virtutem. 1. Cor. 15. 24, intelligant, ejusque se spiritu regi patiantur homines) explicamus; quidni cum christo veram et salutarem omnium notitiam nos tradere [note: nb.] Gloriemur? Nobis certe christianis, non ullis aliis, convenit pansophiam profiteri: cum extra christianismum nulla sit, nec esse possit. Quod jam olim asseveravit augustinus, (lib. 3. Contra acad cap. 19,) solum christianismum veram esse philosopbiam demonstrans. Et vere: cum enim extra ecclesiam divina revelatio non detur; nec sine hac humanus sensus extra vitam praesentem penetret; vita vero haec tam arctis stringatur limitibus; ut nascentes moriamur, finisque ab origine pendeat; quid insigne esse potest solis sensibus, et aliquantulum supra sensus assurgente ratione, collecta sapientia? Quae ad paucos dies pictis quibusdam deliciis pascat; post inanes dimittat? Ille proinde sapit, qui ad aeternitatem sapit. Sed ut simul tamen hoc, quod antecedit, praesentem nempe vitam, quam sapientissime; transmittere condiscat. Hinc optime vir illuminatissimus: soli christiam sciunt, quia ex deo; reliqui nugantur, quia ex se.

110 addo, pansophiam veram, veram esse ad sanctam ignorantiam viam: ut quae sola nos docere potest, quam nihil nisi umbra sit omnis scientia nostra, si conferatur cum aeternae illius, quae in deo est, sapientiae fulgore.

[note: pansophiae tituli triplex ratio.] 111 pansophiam ergo, seu universalem sapientiam, tale studium, quale suademus et tentamus, appellandam contendimus, [note: 1.] Triplici relpectu.

Primo rerum ipsarum, quarum frustillationem dissuademus, humanique ingenii ad universa subigenda explicandas vires docemus. Secundo scientiarum [note: 2.] Respectu, quas commendamus non ut diversas, sed ut scientiam unam ambitu suo omnia complectentem. Tertio respectu eorum, quorum usibus paratur: nempe universorum, qui christo dederunt nomen. Ut etiam triplex opellae hujus spera queat fructus: pro eruditis; pro juventute in scholis; pro omni christiana plebe.

[note: pansophiae ianva cur dicenda.] 112 quia tamen non pansophiam, sed pansophiae januam scribere suscepimus, non omnia omnino persequimur, (quod infinitae esset operae, et longe supra unius hominis vires) omnium tantummodo cardines et bases. Et quia traduntur a theologo, cujus summus scopus elt, et esse debet, hominibus per omnia visibilia et externa, ad invisibilia et aeterna penetrandi monstrare viam; quis jure culpabit, si quaedam ad scopum hunc minus facientia, minus accurate egerim? Qualis est tota propemodum jure-consultorum scientia, litigiis de rebus terrenis, transitoriisque, id est. Tricis quisquiliisque, occupata. Quam ad sublimiorem sapientiam non pertinere, ipsimet agnoscere videntur. Sapientissimus enim nostri aevi jure confultus besoldus(sub finem sui de disciplinarum omnium complexu discursus) scribit: ausim desinire polymatheiam compositam ex facultatibu superioribus et sapientia quadam sublimiori, plurima ex theologia, multa ex medicina, ex iuris-prudentia panca, habere.

[note: cur a theologo hac talia tractentur.] 113 non igitur excuso, quod ejusmodi poly matheiae, aut verius pammatheiae, limites ego homo theologus designare tentem: gloriabor potius, a domino meo eam mihi obtingere gratiam, ut illustrandae

---

Page 449/450, image: s261

Misericordiae ejus, quale quale adhibear organum. Evangelium quod commisit jesus christus sacro-sanctum mihi est, et vita ipsa carius: nec aliud vel cupio, vel laboro, nisi ut fidus reperiar mysteriorum ejus dispensator. Sed quia petro dominum dixisse, non solum pasce oves meas, sed etiam pasce agnellos meos (ioh. 21. 15.) Scio; persuasissimum mihi est incumbere id theologis, ut de reducendis tam his quam illis ad pascua uberrima in montibus israel, ubi requescant in herbis virentibus, et in pascuis pinguibus pascantur (ezech. 34. 13.) Serio sintsoliciti: praesertim post dissipationem (si quando per bestias agri acciderit) gregis die, ut recolligantur quam citissime, oves et agni dei. Benedicam igitur cum propheta dominum, qui mihi vellicat aurem, ut sim, tanquam qui attendit, et discit.

114 nec excusabo styli ruditatem. Titiliare [note: styli ruditas] enim aures, nec potui, nec volui. Habet talium mundus supra quam opus: ad puram et simplicem sapientiam formari mentes magis e re erit: quod procedet facilius, si nude res proferantur sine verborum lenociniis et incrustamentis. Nihil ergo laboro, nisi ut sensum exprimam, eam jure merito a bonorum et doctorum virorum prudentia, spem cum plinio hauriens, fore ut juvandi utilitatem antehabeant placendi gratiae, rerumque momentose condensatarum compendium, praeferant styli dispendio.

[note: postulatum autoris i. Ut haec sine praejudicio legantur.] 115 hoc potius oro et obrestor, ne quis praecipiti judicio in nos involet, condemnaturus priusquam cognoscat. Quod non frustra metuo: scio enim, quam facile, atque adeo impotenter, quidam magnis atitiquorum nominibus fascinati, quicquid novum offertur, tanquam mere phantasticum abjiciant, audire ertam et videre dedignati. Sed tales salomonici illius memores esse decebat: qui respondet prius quam audit, stultum se esse demonstrat et consusione dignum. Prov. 18. 13. Non id peto,

ut mini quisquam gratificaturus assensum praebeat, in re minus comperta; sed ut videat, num quod offertur inferat lucem clatam rebus, et infallibiles veritatis normas, quemadmodum promittit. Ego quidem ita esse, rerum testimoniis persuasissimus sum, sed tamen, quia mortalium cogitationes sunt timidae, et providentiae nostrae incertae, (sap. 9. 14.) Lubens ad examen omnes invito, quos deus ingenio vivido, judicioque acri, instruxit, ut in rerum universitatem, brevitatem, veritatem inquirere possint. Quos et rogatos volo, primum, ut opinionum praeconceptarum perspicillis sepositis libera mente, lumineque puro spectatum veniant universi hoc theatriolum: non secundum prius audita judicaturi de rebus, sed secundum res ipsas, prout eas videndas et palpandas offerimus. Hoc enim nisi observabunt, facient fucum non rebus, sed sibi: quemadmodum qui per coloratum vitrum speculatur, non res colorat et fallit, sed visum. Cavendum itaque ne quis sibi ipsi obstet, suis potius opinionibus, quam rerum veritati attendendo. Ego cordatis omnibus majori voluptati fore spero, si privilegio, quo pariter instruacti sumus omnes, freti, res libere sine arbitris speculemur: discentibusque, non de rebus ipsis opiniones, sed res ipsas videndas, contrectandas, subigendas, et possidendas, offeramus. Nec suspicetur quisquam, nos aliorum amovere placita, ut nostris fiat locus. Absit a nobis vanitas illa. Nihil aliud agimus, agemusque, nisi quode codice dei trino, naturae, scripturae conscientiae, in tabulam nostram transcribemus, res hujus et futuri seculi, simpliciter, prout obvenient. Si non satis apte, culpa erit, non fraus. Nimis nos tenues ad hoc sumus, ut nobis facere quaeramus discipulos; satis animosi, ut naturae, ut deo, ut conscientiae suae unumquemque.

[note: (auctoritates cur non alligatae.)] 116 eo prorsus fine novam hanc instituimus universi anatomen, ut ab humanis libris ad libros divinos deducantur, quicunque rerum, non opiniones, sed veritatem quaerunt. Non quod omnem respuamus auctoritatem, sed cum eam in libertatis judicii praejudicium damnose ad hiberi sciamus, tanrisper, dum res ipsae penetrantur, eam suspendi aequum judicamus. Alicubi sane aliquid e philosophis citamus, ad stabilienda pansophiae fundamenta: non tamen in se, sed in eorum animis, qui opinionibus praeoccupati opinionibus exnendi sunt, illis etiam ipsis suasoribus, quibus hactenus usi sunt ducibus. Rarissime alias, et non nisi in materia gravi, alios, qui eandem veritatem jampridem notarunt, citamus: non tamen ut judices, sed ut testes, e quorum calculo pateat necessario evenire, ut omnium hominum rationabiliter cogitata, cum iis quae e veritatis fundamento eruuntur, coincidant.

[note: 2. Ut legantur continue non carptim nb.] 117 secundo, ut de his nostris, judicium institui queat solide, opus erit omnia prius cognosci a capite ad calcem. Nisi enim quis ex quo fundamento omnia surgant, et quomodo cohaereant, intellexerit, frustra de singulis hinc inde inspectis judicare praesumet, quia interruptus [note: (gradationis vis.)] Rerum gradus facilibus etiam difficultatem: facile adfert. Nemo est, qui altissimam turrim non possit ascendere et descendere,

---

Page 451/452, image: s262

Si per gradus scandat: sed amoveantur aliquot gradus, illico aut non poterit progredi, aut praecipitium inveniet. Pictori effigiem pingere instituenti, nemo tam temerarius est, qui lineas, quamvis forlan primo adspeaetu non placeant, turbare praesumat. Expectat enim, dum imago absoluatur, demumque, an archetypo respondeat, judicat. Et de comioedia judicare non licet ex una scena, (vel ex uno actu, nedum ex una sententia) quia interveniunt quae admodum perplexa videntur, et absurda: catastrophe tandem ostendit artem.

[note: 3 ut supple tum eant de fectus nostros quicun que possunt.] 118 tandem rogo, ut eruditi lectores, intentionis meae memores, sive recte sint expedita quae proposui, sive secus, fine meo me excidere on patiantur: nempe ut haec profectui seculi serviant. Aut enim ego nihil intelligo, aut revera quae offero talia, sunt, quae mustorum oculos aperire possunt ad melius consulendum literarum studiis, atque per id scholis, ecclesiis, politiis, totique mortalium generi: qui primus erit opusculi hujus mei usus ad eruditos spectans: ut hac nova universae, verae, et solidae eruditionis delineatione excitati, perfectius aliquid, quam hactenus in re literaria visum est, meditandi animos sumant. Scopum certe, ad quem unice collimare debent omnium mortalium conatus (nifi aeternum evanescerc volunt) recte tiximus. Media ad scopum illum certo ducentia ordine claro disposuimus: mediisque illis utendi modum infallibilem deteximus: omnium denique illorum, quomodo in unam artium artem coeant, per omnia scibilia en specimen damus! Ubi tamen si quid imperfectionis hinc et hinc se prodit, sive quod positas metas non satis attigerimus, sive quod intra praescriptos cancellos non satis accurate processerimus, id equidem operosam excusationem postulare non puto: quia diffusissimam rerum multitudinem, quae unius hominis diligentiam facile fatigat, et subtilissimam rerum varietatem, quae unius intellectus acumen facile effugit, apud prudentes rerum aestimatores facile mihi veniam impetraturam spero.

[note: cum non sit unius hominis, omnia posse.] 119 praesertim cum nondum tale aliquid visum sit, quod unius hominis ingenio et inventum, et ad plenam perfectionem perductum sit. Eccur igitur vel ego homullulus id mihi soli sumam, quod omnibus negatum esse video? Vel a me uno exigatur, quod a nemine unquam requisitum fuit? Sufficit unius hominis vel diligentiae, vel laudi, (siqua tamen hic admittenda est, ubi solius die gloria quaeritur,) dare initium rei, quae in fastigium surgere possit. Ut autem surgat, aliorum jam industriae committendum erit, quorum spiritum volet suscitare dominus, ut olim adstructuram materialis illiustempli, in sancta civitate sua, hierusalem.

[note: exhortaio eru ditorum ad pansophiae serium studium.] 120 quos ut excitaret deus, expostu latorio sermone eos alloqui prophetam jussit. Dicit populus iste: nondum venit tempus aedisicandae domus domini: nunquid vero vobis tempus est, ut habitetis in domibus laqueatis, et domus ista deserta? Et nunc haec dicit dominus exercituum: ponite corda vestra super vias vejtras: seminastis mulium, et intulistis parum: comedistis et non estis saturati: bibistis et non estis inebriati: operuistis vos et non estis calefacti: et qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum. Haec dicit dominus exercituum. Ponite jam corda vestra super vias vestras. Hag. I. Audite haec, o vos quoque in sancto christiano populo literarum et sapientiae antistites! Quorum plerique revera similia agitis et patimini. Non est tempus, dicunt multi, captandae hic altioris alicujus sapientiae, sequenti vitae illa servatur. Talibus cogitationibus permulti sibi ipsis blandientes, frustillata illa et obscura rerum cognitione, aliisque suis privatis deliciis, acquiescunt. At quid inde lucri? Seminatis multum, inquit vox dei, (in excolendis nempe ingeniis multum operae ponitis) parum tamen in horrea vestra infertis. Comeditis, imo voratis, libros, et non satiamini. Bibitis e quovis obvio rivo, et tamen non inebriamini: operitis vos omnes operimento, auctoritatum pallia undecunque conquirentes, nec tamen veritatis luce satis incalescitis unquam. O igitur apponite jam tandem corda vestra super vias vestras, et ut sapientiae habitaturae nobiscum splendidius templum, quantovis labore et sumptu exstruatur, animos sumite. Sapientiae inquam ut arte divina, ad archetypi formam, eleganter concinnemus theatrum: a quo, ut in divinis convenit, omnia inutilia, vana et confusa absint: nihil autem utilis, veri, jucundi desideretur: quo a frivolo transitoriarum rerum studio avocati homines, ad ipsos veri bonique fontes invitentur, et a consuetis vanitatum fumis ad solidorum bonorum possessionem deducantur. Quod fiet, si talis haec sapientiae janua, in christianis scholis juventuti christianae aperiatur, illisque pretiosissimi sapientiae thesauri commonstrentur.

[note: opusculum hoc ad suam deduaetum perfectione inprimis servire potest juventuti.] 121 atque hic erit alter usus opellae nostrae, pro juventutis informatione, isque longo saluberrimus. Nam quemadmodum novo vino novi utres (monente christo matth. 9. 17.) Convenientissimi sunt, ita puerorum ingenia, ut nova et pura vasa vanis vanae scientiae conceptibus nondum oppleta, novis hisce purioribus rerum conceptibus hauriendis aptissima: ut

---

Page 453/454, image: s263

Non opinabilem et superficiariam, aut streperam, sed realem, fundamentalem, solidamque haurire assuescant sapientiam: sapientiam dico, non quae ad inanem ostentandi ingenii pompam, neque ad concertaminum palaestram comparata sit, sed ad acquirendum solidum de rebus judicium: et multiplicanda novis inventis humano generi commoda sua: et denique ad consequendum indubitanter ultimum vitae finem, beatitudinem aeternam, serviat.

[note: sed et toti christinae plebi insigniter:] 122 sed et hoc intendimus tertio, ut exstructum ejusmodi sapientiae dei amphitheatriolum commune fiat generi humano: invitando scilicet et intromittendo totam christianam plebem, cujuscunque sit ordinis, aetatis, sexus, linguae, ad spectandum et contemplandum mirabiles illos ludos, quos in omnium conspectu semper et ubique edit adoranda sapientia dei. Omnes enim, qui homines nati sunt, ad eundem gloriae dei, beatitudinisque suae finem dirigendi sunt, nec exeludendus quisquam, non vir, non faemina, non puer, non senex, non nobilis, non plebeius, non opifex, non rusticus, etc. Omnes enim pariter progenies dei sumus, act. 17 28. Omnibus pariter in mundi theatrum immissis dictum est: venire, videte opera domini, psal. 46. 9. Omnibus denique miserabile hoc aevum molestiis, et spiritus afflictione, (uri salomon testatur) transigendum, ut omnes omnino vanitatum antidoto, taediorumque levamento egeant; quae non aliunde quam a sapientiae verae auxiliis haberi possunt.

[note: eoque vulgaribus linguis soribs.] 123 optamus igitur et obtestamur sapientiae studia non amplius latinis solum literis tradi, ut scholis incarcerata detineantur; quemadmodum hactenus summo vulgi vulgariumque linguarum contemptu, et injuria factum est. Sed ut cuique genti suomet sermone omnia tradantur, eoque praebeatur ansa omnibus, qui homines sunt, liberalibus hisce se occupandi: potius quam curis hujus vitae, aut ambitionibus, aut compotationibus, aut vanitatibus caeteris, uti constanter fit, sese fatigandi, vitamque simul et animum misere perdendi. Fieret sic etiam, ut cum scientiis et artibus linguae ipsae perpoliantur [note: nb.] Eleganter. Quare nos etiam haec nostra latine et vernacule luci exponere, si deus annuerit, constituimus. Nemo enim accendit lucernam, et recondit sub modio; sed ponit super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt, inquit christus, matth. 5. V. 25. Thesaurus enim occultus, et sapientia abscondita cui usui sunt? Eccles. 41. 18. Dent igitur operam quicunque in sapientiae studiis operam ponunt, ut hac etiam parte referant sapientiae fulgorem: quae dicit: videte, quod non soli mihi laboraverim, sed omnibus exquirentibus veritatem. Eccles. 24. 39.

[note: tituli ratio.] 124 atque eo fine inscriptionem a priore opella nostra nonnihil immutavimus, pro janua, portam substituentes. Linguae enim latinae januam appellari satis fuit: hic appellatio portae magis ad scopum facere visa est per januam enim ingrediuntur singuli, per portam integrae catervae. Janua post ingressum singulorum claudi solet; portae, in civitate quieta, patentes sunt. Eodem modo linguae latinae studium, quod prius reserare studium fuit, peculiare est quibusdam: sapientiae desiderium generi humano commune. Illac ingrediuntur, qui volunt, aut quibus opus: hic debent omnes qui homines nati sunt, ut jam

ostendimus. Porta igitur patens esto, quae ad sapientiam ducit. Da o deus, ut sub coelo jam imaginem ejus videamus, quod de coelesti tua hierosolyma revelasti, fore ut pateant ejus portae interdiu, et nox amplius non sit. Apoc. 21. V. 25. Amen.

Ad lectores.

Haec ita privatim amico in angliam, privatam sub censuram, communicata, redierunt ad me in poloniam oxoniensium typis descripta: cum apologia, salubri fine factam esse publicationem hanc, ad praetentandum vadum, cognoscendaque in re tam inusitati argumenti tanto plurium doctorum et sapientum virorum judicia. Quae et subsequuta fuerunt agminatim, variis e regnis, pleraque praeter spem benigna: unum et alterum malignius. Erat quiscriberet, majus beneficium dei humano generi datum non esse, post verbi divini lucem, atque hanc verioris ac plenioris lucis viam tam clare ostensam: urgendum itaque esse comenium, opus ut absoluat. Alii, non solius unius comenii humeris relinquendum esse tantum onus, quaerendos collaboratores, constituendumque collegium pansophicum, etc. Ego indignari

---

Page 455, image: s264

Amico, quod me objecisset multitudini, et non sivisset tacite meam detexere telam, sicuti cum priore opella, lanuoe linguarum, erat factum. Sentiebam enim me judiciorum varietate distrahi: sed et lentescere, cum collegii pansophici fieret spes, nec meo arbitratu jam fore procedendum, antequam scirem quid pluribus illis, et me doctioribus, placiturum esset. Non ergo sum progressus, praeterquam in particularibus quibusdam: ut erat physica ad lumen divinum reformanda, opusculum lipsiae excusum et mox parisiis et amsterdami, recusum. Itemque astronomia ad lumen physicum reformanda, et alia nonnulla. Erat et quiscriberet (ad hartilibium, lohanadolphus tassius, apud hamburgenses mathematum professor:) fervet jam per omnes europoe angulos pansophicum, et melioris didacticae studium. Quod si nihil etiam plus proestiterit comenius, quam quod tantam stimulorum segetem in omnium sparsit animos, satis fecisse putandus est, etc.

Hae cinquam omnia me, nescio quomodo, a fervore primo remissiorem fecerunt: cum plures illos exspectans, mihi soli non esse sudandum putarem unum erat permolestum, quod reperti fuerunt (et quidem domi apud nos in polonia) qui valde suspectum reddentes totum pansophicum propositum, divinorum cum humanis, theologiae cum philosophia, christianismi cum gentilismo, et sic tenebrarum cum luce, periculosam fore misturam, dictitarent. Pertraxerantque suam in opinionem aliquot e nobilitate, mihi publice dicam scribentes: ut mihi non tantum in synodo causa esset dicenda, sed et scribenda,

Conatuum pansophicorum dilucidatio ingratiam censorum facta.

Quae tandem ita satis fecit ecclesiae, ut quod prius in occulto, et meo veluti unius ausu, agere orsus eram, jam ecclesiae auctoritate munito mihi agendum esse viderem, bonis coeptis bene apprecantibus omnibus bonis.

Non abs re fuerit scriptiunculam illam hic recudi: ut sit inter stimulos, ad illud excitari coeptum meliorum desiderium.

Conatuum pansophicorum dilucidatio in gratiam censorum facta.

Johan. 3. 21.

Omnis qui facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in deo facta sunt.

Page 457/458, image: s265

Eruditi censores, veritatis et lucis amantes, saluete per christum, veritatem et lucem nostram.

Sapienter illa septem filiorum, martyrum apud machabaeos, mater alloquuta eos scribitur: nescio (filiolimei) qualiter in, utero in meo apparuistis. Nepve enim ego spirItum et animam donavi vobis, et vitam: et singulorum membra non ego compegi: sed ipse mundi condior, qui formavit hominis nativitatem, et omnium iuvenit origniem (2 mach. 7. V. 22. 23.) Non absimile quid de suis ingenii foetibus pronuntiare possunt, quicunque se et sua omnia pie ad deum referentes, in victimam ei humillime offerunt: nempe non seipsis auctoribus, fieri, quae recte fiunt, sed deum esse qui ad invenit omnem viam scientiae, eamque tradit (per quoscunque tandem vult) jacobo filio suo, et israeli dilecto suo: quemadmodum loquitur baruch (3. Vers. 37.) Deus autem ipse ponere se in corde omnis eruditi sapientiam, ut faciant quae ipse praecipit, testatur. (exod. 31. V. 6.)

2 praecipere autem credendus est deus, non dumaxat cum coelitus alloquitur, et expressis verbis quid fieri velit mandat, quemadmodum prophetis suis: sed et cum interne illuminat, externe autem rerum gerendarum occasiones subministrat (1 reg. 17. V. 4. Et 9.) Qualiter in rebus maximis et minimis observare potest, cui providentiae divinae notare vestigia, et sequi ductum, animus est.

3 experior id ego quoque minimus omnium, quam fortiter attingat, et suaviter disponat omnia, admirabilis illa dei nostri sapientia: ut non nostra, sed dei esse quaecunque unquam utiliter cogitantur, fateri necesse sit: ideoque et solatio liceat frui, non nostram primario, sed dei causam agi, si malevoli ad discerpendum nos et nostra quae nos deo genuimus, insurgant.

4 ante annos aliquot obtulit providentia divina occasionem componendi opusculi, quod linguam latinam, et quamcunque aliam, compendiosius docendi modum praescribit, per ipsam rerum seriem. Quod amicis suadentibus, et superioribus annuentibus, sub titulo linguarum januae (exemplo eorum a quibus occasio fuit, patrum hibernorum salmantici in hispania collegii) in publicum emisi. Exceptum id communi scholarum applausu, ansam dedit de janau rerum ipsarum exstruenda cogitandi. Nempe non satis videbatur, docere quid dicatur album, nigrum, calidum, frigidum, planta, homo, angelus, coelum, ecclesia, deus, christus, etc. Docendum etiam, atque adeo potius, quidilla sint? Ut non tam cum vocabulis quam cum rebus consuescant animi. Progressus aliquousque conatus, coepit facere spem successus non infelicis.

5 prodit interim sub pansophiae titulo d. Petri laurenbergii artium eneyclopaedia: quam cum avidissime acquisitam lustrarem, titulique amplitudini non respondere viderem: (nihil enim ibi de sapientiae verae objecto, imo et fonte, christo; nihil de vita futuri seculi, ad quam qui sapit, is demum sapit, via, et similibus;) putabam occasionem dari desiderata supplendi: ut quaecunque in scholis christianis doceri et disci opus est, fasciculo collecta haberemus: et

quidem methodo, quae omnia illa juventuti brevins, verius, melius, hoc est, ad fines vitae praesentis et futurae accommodatius, instillaret.

6 scopus enim fuit (ut id repetam obiter) conficere epitomen librorum dei, naturae, scripturae, conscientaeque humanae: ut, quidquid rerum est, hic una continua serie descriptum haberetur: quidquid divinarum revelationum exstat, hic illustrandis rebus adhiberetur: quidquid communium notionum menti humanae innascitur, hic in suos usus digereretur.

7 per quae voluimus, 1 reddere christianis scripturam sacram familiariorem, quam fere hactenus. 2 tradere in manus clavem, pleraque maxima naturae; et scripturae mysteria reserantem. 3 a studiis vitae hujus ad studium aeternae magis magisque

---

Page 459/460, image: s266

Traducere homines. Idque viis, per quas posse in melius profici, judicarunt, et judicant, quicunque haec a fundamento cognoverunt.

8 non deerant itaque jam ante quinquennium, qui editionem opellae hujus (prioris exemplo) et suaderent et flagitarent. Sed ego hic quam ante trepidantior, persuaderi mihi non aliud sum passus, quam ut titulum lipsiensi catalogo librorum prodituorum insertum, praemitterem, judiciorum explorandorum gratia. Factum id est, semel et iterum, ut titulus janae rerum, sive pansophiae christianae, publice venundaretur: sed quod mox, buccinare ante se indecorum ratus (praesertim in re, quae necessario moras posceret) inhibui.

9 rogatus tamen ab amicorum intimo, viro publici profectus pie avido, ut futuri operis ideam aliquam communicarem: ego quod in forma praefationis operi aliquando praesigendae, affectum habebam, illud obiter descriptum communicavi: quod praeter meam spem, et me inconsulto, oxonii (sub titulo conatuum comenianorum praeludia) typis descriptum est. Intentione quidem optima (nempe ut pluribus eruditis tanto facilius communicare, et judicia exquiri, possent) eventu tamen spei viri optimi non per omnia respondente.

10 tametsi enim plures docti bonique viri magna de tali opere praeconcipientes, plurimum nos ad continuandum hortati sint, et hortari non delinunt (nonnul li etiam excellentioribus donis instructi operam suam offerunt): reperti tamen simul sunt, qui temeritatis inusitatae nos, quasi impossibilia et superhumana attentantes, arguendos putarunt: et quod pejus, qui e voculis quibusdam, (sensu ab orthodoxia alieno, ut putarunt, positis) suspicionum ingentes excitarunt moles, latere nescio quid veneni, et sub methodi concinnirate portenti aliquid, metuentes.

11 fuerunt denique, qui editionem differri videntes (cujus tamen dilationis nobis graves causae, ne scilicet ex foetu vitali abortivus fiat, emissus ante diem) putarunt nos aut luidificasse mundum, nihil praeter desideratum (quanquam illud melioris notae) offerentes, et tamen quasi rem effectam promittentes: aut certe succubuisse labori, ut promissa in sumos itura sint omnino.

12 quae omnia novam dederunt ansam haec, quae nunc leges pie lector, scribendi: h. e. diluidiore modo vota, desideria, conatus nostros experimendi. Scripta haec sunt a nobis, et descripta typis, antistitum et patronorum ecclesiarum hujus loci (post solemnem nuper solemni in conventu factam deliberationem) voluntate et jussu, non ut irent in lucem publicum, sed ut communicarentur illis, quorum interest.

13 exinde igitur cognosceris, (1) delineationem nostram pansophiae non somnium esse, sed realissimum opus.

14 (2) nihil hic latere monstri, sed id quaeri et agi, ut verissimae ac formosissimae rerum facies, quemadmodum ab aeterna sapientia efformatae, rebusque impressae sunt, omnium oculis detegantur, eosque ad abjiciendum diabolicas (dogmatum pravorum et vitae enormis) larvas invitent et instruant. Non enim aliquid novi dogmatis cudere, nec errorem ullum interpolare, sed veritates rerum sparsas, naturales, artisiciales, morales, divinas, in unum colligere; collectas in ordinem unum continuum (ut finis nisi in fine reperiri non possit) digerere; digestas ad facilem usum scholarum (et quicunque compendio sapientiae dei amphitheatrum lustrare vellent) adaptare, propositum suit. Quod cum voluissem, numquid levitate usus sum? Inquit apostolus: aut quae cogio, num secundum carnem cogito? (2 cor. 1. 17.) Si cui minus commode aliquid dixisse videor, indictum esto: ego enim cum omnibus meis ecclesiae judicio sto. An vero propter naevulum aliquem corpus totum, pulchrum et harmonicum, abjici conveniat, judicent prudentes. Novit ille qui novit omnia, non alio ire desideria haec, quam ut universale quoddam mentibus accendatur lumen. Quod fieri posse videre dedit deus, artificiosa quadam a natura mutuata methodo, qua omnes humanarum observationum rivuli, omnes etiam divinorum operum et verborum amnes, ad suos reducuntur fontes, denuoque suis didueuntur venis, ad facile influendum animis universaliorem quandam rerum cognitionem, quam usurpatis hucusque viis fieri potuit. Dum enim prolixa donantur brevitate, consusa distinctione, obscura luce, pervia fiunt ingeniis omnia.

15 (3) videbunt tamen hic censores, nos, quia quo profundius in haec penetramus, eo major sapientiae dei circumdat fulgor, viarumque et operum ejus multitudo ac varietas obumbrat, eo magis de assequendo tam excellente scopo (adornanda scilicet perfecta, et amplitudini ac majestati rerum exacte respondente, universi imagine) dubitare: nisi sint, qui sub tantae structurae mole labascentibus auxiliatricem porrigant manum. Quod in re communiter profutura exspectare, et expetere quidni aequum sit?

Page 461/462, image: s267

16 verumenimvero dolendum est. Hominum incogitantiam eousque prorumpere, ut ad versus eos qui amice accedentes palmam, non gladium, praeferunt (pro opinionum tumultu realioris scientiae aliquid exhibere parati) impotenter insurgant, maledictis impetant, probris exagitent, vulneribus etiam consodiant: ut hujus rei exempla nonnulla vidit aetas nostra, nosque ipsu jam quoque (etiam a quibus minime conveniebat) experimur.

17 miserum ac deplorandum, non meminisse nos literas armis contradistingui! Nonne, eheu, satis est gladiis ferreis consumi mundum, nisi calami etiam omnes, et linguae omnes, vertantur in gladios? Habeant sane arma, quae ab irato deo immittuntur orbi, characterem irae, vementis in turbine venti, dissipantis montes, et subvertentis peiras, cum fragore et flamma ignis: literas certe, quae sapientiae instrumenta sunt, divinae praesentiae, in aura leni, sine tumultu et strepitu vememis, characterem habere aequum est. Nec quidquam magis conveniens, quam ut viri pii et sapientes, cum elia ad ostium prospectantes, facies suas involuant, et quid favoris dei aura hinc aut hinc ferat, attendant.

18 quid alioqui profuir odiosis disputationibus mundum conflictasse tot saeculis! Jam tandem igitur praepostera contradicendi ac litigandi consuetudine seposita, scrutemur juncta diligentia sapientiae dei vias; ut ejus quaquaversum se diffundentis ubique percepto suavissimo gustu, jucundius transigamus mortalem vitam, immortali autem praeparemur docentius.

19 non id peto, ut quisquam voluntatem potius quam intellectum his, quae affero, accommodet: sed ne affectum et praejudidum pro ratione adhibeat. Censuras peto, sed liberas, a mente libera profectas: quia anticipata suffragia, et hominum potius quam rerum respectus, praeconceptaeque opinionis potius quam concipendae veritatis studium, quantumvis solertia ingenia ligant et mancipant. Neminem ego oppugno: cur ergo me oppugnet aliquis? Viam reconciliandi omnes, qui ulla parte veritati litarunt, trado: et cur mihi aliquis irreconciliabiles denuntiet iras? Etsi (fateor) monitis sum minor ipse meis: an ob id tamen odio dignus?

20 certe enim nullo eruditionis apparatu, aut ingenii acumine, fretus, universalis sapientiae pomoeria designare sum aggressus: sed quia quod cogitare dedit deus, saluberrimum fore mundo scio, arbitratus sum occasiones ad alios qui rem tantam felicius possunt, exstimulandos non praetermittendas: inde factum, ut prostituere me, quam stimulorum illam segetem in hominum animos non spargere, maluerim. Scopum nempe quia mihi propono excelsum, meritoque toti mortalium generi desiderabilem, si in mediis deficio, commiseratione dignior ero quam odio. Inhumanum nimis est, prodesse conantem plagis affligere: aequitatis autem plenum, eum qui perpublicam viam incedit, publica frui securitate: quique communia promovere quaerit commoda, eum communi patrocinio defendi ac protegi. Sed veniamus ad rem ipsam, ut nostra pro eeclesiae incrementis iterum exponamus vota. Praeloquium tamen hoc verbis augustini claudam.

21 cum his colloquar coram te, deus meus, qui haec omnia quae intus inmente mea non tacet veritas tua, vera esse concedunt. Nam qui haec negant, obstrepant quantum volunt, persuadere conabor ut quiescant, et viam praebeant ad se verbo tuo. Quod si noluerint, et repulerint me, obsecro. Tedeus meus, ne tu sileas a me. Tu loquere in corde meo veraciter: tu enim solus sic loqueris, ut dimittam eos foris sufflantes in puluerem, et excitantes terram in oculos, suos etc. Domine deus, miserere, ne implumem pullum conculcent qui transeunt viam: mitte angelum tunm, qui eum reponat in nido, ut vivat donec volet (august. Lib. Xii. Confess. Cap. 16. Et 27.

[note: eruditionis universalis fundamenta.] Complexum aliquem totius eruditionis colligere pridem tentarunt viri summi: non constare sibi mentis lumen, nisi coeuntibus undique veritatis rerum radiis, satis animadvertentes. Aristoteles [note: nb.] Ipse, sapientem debere omnia scire, quantum possibile est, scripsit: et debere talia ponere principia, per quae omnibus quaesitis satisfaciat: et debere incipere ab his quae magis nota, sunt, et ideo a magis universalibus: et oportere ut habeat magnam rerum certitudinem, eamque non quomodocunque, sed causas. (uti haec ex aristotele collecta habet joh. Bellarinus, in praxi scientiarum lib. 4. Dist. 1. Num. 1.) Vbi ad omni-scientiam, quae homini possibilis est, tria haec requirit philosophus.

1. Principiorum universalitatem

2. Ordinis methodum veram.

3. Veritatis certitudinem insallibilem.

[note: et varia variorum tentamenta.] 2 ad quas leges doctrinarum syntagmata construere, non solum aristoteles ipse, aliique antiqui, tentarunt, sed et nostri aevi scriptores quam plurimi, encyclopaedia, polymatheias, panepistemonas, artes cyclognomicas, syntaxes artis mirabilis, instaurationes magnas,

---

Page 463/464, image: s268

Transformationes scientiarum, theatra sapientiae humanae, omniscientias christianas, pansophias, panaugias, panarchias, pancosmias, (et si qui alias libris suis tribuerunt inscriptiones) in publicum edendo. Quorum conatus tametsi laudabiles omnium, haud tamen par omnium successus: quemadmodum nec intentio eadem. Alii quidem sibi proposuerant omnem eruditionis varietatem, ut per bibliothecas diffusa habetur, in unum redigere corpus: alii non nisi delectu adhibito, sive subtilitatis, sive elegantiae, sive ad vitam communem usus. Et quidem alii methodo pressa, rebus adstricta: alii liberiore, ad placitum, sic vel sic. Quicquid tamen sibi quisque eorum vel proposuit, vel praestitit, de omnibus nihilominus verissime pronuntiari poterit, quod pronuntiavit seneca: multum egeruant qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt. Multum adhuc resta: operis, multumque restabit: nec ulil nato post mille secula praecludetur occasio aliquid adhuc adjiciendi, (epist. 65.)

[note: an etiam insuper aliquid tentari possit?] 3 quid igitur prohibet alios etiam, si quid utile ferant, audiri? Et in his quidni nos etiam, qui opus prorsus universale condi suademus? In usum non scholasticae solum juventutis, aut eruditorum, sed et totius christianae plebis, quo omnes in universum rectius sapere doceantur. Nempe (quemadmodum in praeludio conatuum pansophicorum vota nostra expressimus) librum esse conscribendum, qui esset universae eruditionis breviarium solidum: intellectus bumani fax lucida: veritatis rerum norma stabilis: negotiorum vitae tabulatura certa: ad deum denique ipsum scala beata. Cujus rei rationes et fundamenta ibidem sic generaliter detecta sunt, ut multi jam de necessitate et possibilitate rei non ambigendum esse, nobiscum statuant.

[note: et an citra confusionem sapientiae divinae cum bumana.] 4 at quia non nemo consusionem sic aliquam sapientiae divinae cum humana metuit: occasio data est aliquanto distinctius haec proponendi, et ex fundamento tili, qui titulum etiam libro immutet. Nempe ut inscribatur,

Pansophiae templum, ad ipsius supremi architecti, omnipotentis dei, ideas, normas, legesque, exstruendum, et usibus catholicae jesu christi ecclesiae, ex omnibus gentibus, tribubus, populis et linguis, collectae et colligendae, consecrandum.

[note: ratio hic reddenda] 5 et quoniam de optima methodi forma nunc consultamus, reddenda erit ratio; [note: i.] Cur talem librum christianae pansophae templum appellari? [note: ii.] Et ad ideas, normas, legesque architecti [note: iii.] Summi dei, construi? Cur denique vsibus catholicae jesu christi ecclesia, ex omnibus populis et linguis collectae et colligendae, consecrari suademus? De singulis ex orline dicendum est.

[note: de i. Cur templum appellandrum? I. Quia contemplationis amplum theatrum: ut caelum] 6 templum, priscis latinis dicebatur omnis locus patulus, ex quo in omnes partes prospici poterat: quasi tu-emplum, hoc est, ad tuendum amplum spatium, unde et contemplari aliquid, est libere sine impedimentis contueri. Quo sensu appellation templi quam maxime coelo convenit: quia undique prospectui patet, et quia deus inde libere contuetur omnia. Quemadmodum david loquitur: dominus in templo sancto suo, in coelo

sedes ejus est, oculi ejus vident, et palpebrae explorant, filios hominum, (psal. 11. 4. Et psal. 33. 13.) Ita lucretius lucida coeli templa dixit, ennius autem: contremuit templum magnum lovis altitonantis. Quia vero [note: et locus numini colendo consecratus.] Autiquitas loca terrae editiora, colles et tumulos, e quibus prospectus dabatur amoenus, numini colendo consecrabat, erectisque ibi aris ad usus sacros signabat, tandemque aras ipsas septis circummuniebat: factum inde est, ut templi nomen ad significandum inprimis aedificium divino cultui destinatum transierit, eoque sensu [note: et curia] nunc porissimum usurpetur. Constat tamen e cicerone, curiam, ubi senatus ad consultandum quasi in dei conspectum convenit, templi quoque appellatione honestatam fuisse. Curia est sedes ac templum publici consilii, inquit. Et alibi (pro milone) curiam vocat templum [note: et mens sapiens] sancti atis. Tandem poeta mentis templa vocat intimos animi humani (praesertim sapientis) recessus: unde mens velut ex edita specula contemplatur universa, et de iis quae cernit, pro conscientia etiam decernit. Unde iterum lucretius ipsam sapientum doctrinam edita templa vocat, noto illo versu.

Sed nil dulcius est, bene quam munita tenere. Edita doctrina sapientum templa serena;

Despicere unde queas alios, passimque videre

Errare, atque vias palantis quaerere vitae.

Atque haec prima est causa, cur novae nostrae encyclopaediae templi nomen indendum putamus: quia hic menti humanae universalis quaedam fabrica paratur, unde quaquaversum prospectando omnia quae usquam sunt, visibilia et invisibilia, temporaria

---

Page 465/466, image: s269

Et aeterna, (modo revelata sint) jucunde contemplari queant.

[note: 2. Quia hic omnia dei templa sive habitacula tabernacula, sanctuaria, delineantur: numero sex.] 7 altera causa sublimioris est considerationis, quam nobis ipsa divina scriptura suggessit; nempe quod quidquid aetaerna sapientia templum suum, habitacu lum suum, domum suam, tabernaculum et sanctuarium suum, appellare argnata est, id omne hic repraesentatur. Appellavit autem deus habitaculum suum. (1) aeternitatem suam, ies. 57. 19 (2) mundum hunc, coelo et terra constantem, ies. 66. 1. (3) domum nomini suo aedificatam, 1 reg. 5. Vers 5. (4) cor contri tum ac humile. Ief. 57. 19. (5) ecclesiam. 1 tim. 3. 15. (6) christi humanitatem. Quam tota divinitatis plenitudo inhabitat corporaliter. Colossi. 2. 9. Quae omnia ut hic veras suas accipiant delineationes, seria datur opera.

[note: 2. Quia ob oesdem fines erigitur, ob quos materiale dei templum, numero quinque.] 8 addatur causa tertia, magni ipsa quoque momenti: quod qui fines et usus erant materialis illius sub veteri test. Templi, iidem esse poterunt adeoque debebunt, hujus christianae sapientiae tempil: quintuplex autem e scripturae testimoniis dei scopus in ordinando mosaico tabernaculo, et salomonico templo, observatur: nempe,

(1) ut populus dei solenni illo ad locum unum (quem ipse deus elegisset) confluxu, in unitate fidei, hoc est unius illius dei cultu, contineretur.

(2) ut doctrinae legis auditu, et decori ceremoniarum aspectu, rationalem illum dei cultum addiscendi occasionem haberent.

(3) ut recordando hic solenniter variorum dei beneficiorum solenniter ad laudandum et amandum deum excitarentur. Inde est quod introire jussi fuerint portas domus dei in confessione, atria ejus in hymnis, et laudare nomen ejus, psal. 100. 4.

(4) ut mutuam inter se concordiam et caritatem foverent inflammarentque, utpote ejusdem dei conservi.

(5) tandem ut magis hac etiam ratione, in spem vitae, futurae erigerentur, ubi in magna electorum angelorum hominumque in conspectu throni dei congregatione laudabitur deus in aeternum.

[note: application finium] 9 jam autem ad eosdem plane fines hac sapientiae templi erectione tenditur. Nempe (1) ut christiani omnes in una catholica et saluifica fide facilius inter se consensum, et agnoscere, et tueri possint: ex iisdem fundamentis, de eodem deo, ad eundem scopum, eadem edocti. Via enim sionis illa sancta, quae in se tam plena est, ut ne stulti quidem deerrare possint (jes. 35. 8.) Hic planissime docetur. (2) ut rationabili contemplatione, et collatione, operu et verborum dei, attendere doceantur omnes, quam magnifica sint omnia dei no stri opera, et quam sapienter fiant. Ps. 104. 24. Quo et ipsi nos, utpote imago dei nostri, non nisi sapienter omnia nostra administrare discamus. (3) provideri potest ac debet, ut sapientiae hoc templum lustrantibus, perpetui adsint stimuli, affectum in se davidico similem excitandi, in quem ille operum dei contemplatione abreptus fuit, ut diceret: sit gloria domini in saeculum, laetetur dominus in operibus suis. Camabo domino in vita mea, psallam deo meo quamdiu sum (psal. 104. Sub finem) (4. Nec est cur desperetur major inter mortales concordia, si major fuerit consensio; hoc est, idem de rebus iisdem sensus. Nam si attenderent. Omnes, se ab eodem conditore, iisdem communibus viis (quanquam particulares variant) eodem duci; verisimile est paratiores fore huic providentiae ordini suum relinquere cursum, quam obluctando turbare, et tamen nihil proficere, nisi quod inviti tandem in ordinem cogendi sint, aeterna confusione sua. (5) denique sapientiae hoc templum ad excitandam vitae futurae spem ac desiderium accommodari poterit, si mentibus per omnia ductis, omnium ex aeternirate effluxus, et in eandem refluxus, tam graphice ob oculos ponatur, ut omnes qui se hac in vita figunt, nil nisi umbras captare, clarissime intelligantur.

[note: cur pansophia dicenda?] 10 haec cur sapientiae theatrum, templi appellatione insigniendum veniat. Dicendum jam est, cur non sapientiam simpliciter, sed omni-sapientiam, seu universalem sapientiam (graece rotundius pansophiam) appellitemus. Non exempla praetendam, (ut laurenbergii, et alstedii, qui commendat quinque genera [gap: greek word(s)] illi, qui [gap: greek word(s)] fieri et dici velit, archilogias cap. 1.) Nobis stat ratio nostra, eaque triplex: desumpta a subjecto, objecto, et modo docendae hic sapientiae.

[note: propter 1. Subjecti amplitudinem] 11 quantum ad subjectum: obtinuit mos aliquot saeculorum, ut ea in quibus sapientiae mysteria contineri credebantur, non linguis vernaculis, vulgo intelligibilibus, sed exoticis, ob id peculiariter discendis (latina et graeca) traderentur, eaque ratione sapientia ipsa ut peculium quorundam, ad fontes nempe illos admissorum, [note: nb.]Habebatur. At nos contendimus esse communitati generis humani concessam possessionem, publico juri et usui merito vendicandam: oramusque et obtestamur per gloriam dei, viam quaeri et inveniri, parari, qua omnibus in universum, etiam de infima plebe,

---

Potentiae, sapientiae, bonitatisque creatoris sui vestigia, omnibus illis quae omnes vident, audiunt, gustant, tangunt, agunt, dicunt, cogitant, ubique impressa, intueri et adorare liceat. Eo inquam primo fine non simpliciter sapientiam, sed omni homini debitam sapientiam, profitemur.

[note: 2. Objecti universalitatem.] 12 quod objectum sapientiae attinet, partiebantur id fere hactenus inter se eruditi: ut alius philosophiam, alius theosophiam, seu theologiam, alius medicinam, alius jura sibi deposceret, posthabita aliorum cura, et communis veritatis respectu. Imo ipsius. Philosophiae partem alius hanc, alius aliam, eligit et colit, reliquis ne a limine quidem salutatis. Unde fir, ut plerorumque scientia particularis tantum sit; imo, quod pejus, partialis. In [note: nb.] Partes enim abeunt, qui non conveniunt in toto; et fundant sectas, qui quomodo se eadem inbasi sua insectilis veritas diffundat, non intelligunt.

13 nos autem protestamur, nec animam rerum, ordinem, nec vinculum rerum veriratem, cognosci integre posse, nisi e toto rerum complexu. Non percipit certe rerum ordinem, qui in unum, aut pauca, defixus, quomodo omnia omnibus cohaereant, non considerat. Nec veritatem rerum totam capit, qui non quomodo per omnia diffusa sui similis sit, observat. Suademus proinde universum rerum et scientiae humanae orbem sumi, et per commensuratam omnium ad omnia proportionem, media essentiarum centra observari: quo veneranda veritatis facies in abstractis formis nobis veniat in conspectum, eaque ratione sui alibi etiam, nempe ubi rebus concreta est, facilius cognoscendae faciat copiam.

14 hic autem facile colligi potest, etiam nobis divortia illa theologiae a philosophia, et philosophiae a theologia, quam passim videre. Est, improbari. Plerumque enim theologi muneris sui esse putant, divinis vacare tantum. Vicissim philosophi [note: nb.] Creaturarum speculationi nimium intenti nullum theologiae, nullum etiam saepe ipsius dei, habent respectum. Unde fit, ut philosophorum quidam deum et religionem desueti, in atheismum incidant: contra theologorum quidam philosophos et philosophiam omnem pertaesi, detestentur: manifesta ibi impietate, hic injuria. Deus etenim, tam operum quam verborum suorum auctor, utrobique agnosci ac celebrari vult, et potest nam quanquam nos vitae futurae parat, ad illam tamen nos per ea quae hic, non loquitur solum, sed et operatur, erudit ac instruit. Ideoque non tantum audire mandat vocem suam, sed et intueri jubet opera. Nos igitur ut reconciliemus [note: nb.] Philosophiam theologiae (hoc est opera dei verbis dei, seu veritatem rebus impressam veritati verbis expressae) atque per id rationem subordinemus fidei: suademus apud christianos [note: nb.] Doceri nec philosophiam separatim, nec theosophiam separatim, sed utramque conjunctim, id est, pansophiam. Id enim erit proprie omni-sapientia nostra, sapere ad vitam su uram, et non desipere in praesenti: habere deum et vitam fu uram in prospectu, et sentire tamen quomodo nos jam nunc undique circumster per omnia diffusa majestas ejus.

[note: objectio.] 15 si quis dicat (dicunt autem, jactatae jam sunt in nos voces istae:) tua vero ista pansophia confundet theologiam cum philosophia, sapientiam divinam cum humana, coelumque terrae miscebit: respondebo. [note: resp 1.] 1. Si non ista confunduntur in mente eruditi: (dantur enim viri excellentes, scientia sacra et profana potentes) quid est [note: 2] quod in libro confusionem metuamus? Annon distincta distincte tradi possunt? Ut tametsi simul sint, inconfusa tamen maneant. Denique quomodo ista non confunduntur [note: 3] in scriptura sacra? Quae non coelestia et aeterna solum tradit, multa etiam hujus vitae attingit.

[note: occup. Resp.] 16 dices: sed subordinate ad aternam. Recte, atque hoc idem est, quod faciendum suademus in pansophiae libro, ut omnia quae mundus habet coelo subordinentur,

scientiaque omnis philosophica, scientiae illi quae secundum pietatem est, servire cogatur. Id autem sine triplici. Primum ne ignorent filii dei, quae admirantur, et ob quae sibi placent, sapientuli hujus mundi: hi autem ut placere desinant, si nos eadem intelligere, et tamen prae dulcedine majorum alio magis trahi, videant, secundo, quia opera naturae, et multiplicia in illis abscondita mysteria, non ideo sunt, ut impiis solum ac profanis delicias faciant: potius ut oblectent filios dei, angelos et homines, quibus tam admirabile hoc potentiae sapientiae bonitatisque suas expandit theatrum. Utamur ergo jure osttro, et in theatro hoc considentes rationabiliter omnia speculemur potius ipsi, quam ut id scientes [note: nb] volentes cedamus profanis. Tandem, eo fine coordinari, et sibi invicem subordinari. Volumus omnia, ut per omnia inferiora mens gradatim attollatur ad omnia sublimiora. Certum siquidem est, ad fastigia rerum non veniri, aut certe non veniri commode, nisi per gradus. Certum et hoc, naturalia omnia (et artificialia omnia) alphabeta esse filus dei, quo praeparantur ad melius legendum et intelligendum sublimiora illa, quae dictat

---

Page 469/470, image: s271

Lex dei. Quod ostendit david: magna de deo nos doceri coeli et naturae quotidiano cursu, majora autem ipsius divinae legis dictamine, admonens. Psal. 19.

[note: 3. Ob sapientiae tradendae modum plenum.] 17 tertia causa, cur pansophiaae titulum usurpari suademus, est modus ejus tradendae amphor, quam quo philosophia sola, aut theologia sola, utitur. Nam quod aristoteles a sapiente (qui omnia quantum possibile est sciret) requirebat, idem in [note: 1] pansophia requiretur necessirio: nempe [note: 2] principiorum universalitas; ordinis continuo fluentis nusquam interrupta series, [note: 3] a principio ad finem; et rerum ipsarum infallibilis veritas. Et [note: principia] quidem hic ponuntur vere universalia, per quae [note: nb.]Omnibus quaesitis omnino satisfiat, sensus, ratio, et divina revelatio. Methodus autem usurpari docetur facillima, a notissimis incipiens, in ignorissimis desinens: ad ea tamen sine saltu et hiatu ullo, gradatione perpetua, deducens. Unde tertium quoque emergit, ceritudo et veritas scierntiae, qua discens in lumine semper constitutus progredi se videt, non regredi, non stare, aut haesitare: sciens autem scit se scire, non falli.

18 cum igitur doceamus, quomodo omnes, circa omnia, omnino ([gap: greek word(s)],) sapere possint, quidni [gap: greek word(s)] docere videamur?

19 at cur tamen pansophiam cum [note: cur dicenda pansophia christiana.] Adjectione christianam, dicendam putamus? Primo quia pansophiam condere, et haurire, soli possunt principiis sufficienter instructi, sensu, ratione, fideque revelationibus divinis adhibenda. At soli christiani habent mundum in oculis, verbum der in ore, spiritum dei in cordibus, juxta promissum ies. 59. 21. Ideo augustinus acriter contendit solum christianismum veram esse philosophiam. (lib. 3 contra academicos. Cap. 19. Secundo, omnes fideles et pii christiani, etiam simplicissimi, eo ipso quia christiani boni sunt, pansophi sunt: quatenus magis coelum quam terram, aeterna quam temporaria sapiunt, christumque (in quo omnis sapientiae thesauri absconditi sunt) possident. Involute id quidem, vere tamen: eo modo quo semen quodvis arborem aut herbam totam, cum fructu suo, vere continet.

[note: cur potius humana pansophia.] 20 at quia tamen haec non christianis solis servire deberent (ex intentione universalis institutionis, quae a facilimis, omnibus confessis, incipiendo, ad ignota ducit) sed omnibus qui homines nati [note: nb.] Sunt, ut etiam ad collustrandum et convincendum infidelium mentes (si deo visum fuerit) vim habeant: convenientius forsan humana pansophia diceretur: quemadmodum et ad excludendam

incogitantiae notam, quasi aliquid supra hominem attentemus, cum nihil nisi humana, id est, homini possibilia et debita, urgeamus.

[note: cur vel aristosophia, vel chrestosophia, vel etiam ignovantia, dici possit.] 21 tandem tamen, sive hoc sive illud placeat, nos non alio magis fine pansophiae titulum usurpandum censuimus, quam quod excitatos vellemus homines, ut omnes sapere cupiant, et cirra omma, et omnino: rerum veritate animos explentes, non opinionum fumis. Hoc seposito respectu, parimur vel [gap: greek word(s)] vel [gap: greek word(s)] (sapientia circa optima, aut selecta) vel sane ignorantiam, dici: lubentissime cum socrate profitentes, hoc unum nos scire, nos nihil scire et cum apostolo: si quis existmat se: alivid scire, is nondum scit quemodo scire oportet. (1 cor. 2.)

22 sequitur dicendum, cur pansophiae [note: cur adideas die exstruenda?] Hoc templum adipsius architecti. Summi, dei, ideas, normas, legesque construi dicamus? Ratio in promptu est: quia totius dimensione partiumque numero, situ, usu, exemplar sequimur, quod ipsa sibimet delineavit sapientia [note: 1] dei. Primum apud mosen, in erigendo [note: 2] tabernaculo: deinde apud salomonem [note: 3] in exstruendo templo: tandem apud ezechielem, in gloriosius restaurando diruto templo. Primo enim ad mosen ita dominus:facient mihi sanctuarium, ut habitem inter eos, omnino juxta similitundinem quam ostendam tibi. El postea: inspice et fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est in mon e (exod. 25. Vers. 9. 40) deinde, ad davidem misit deus (per nathanem prophetam, ut creditur) exemplar templi, et omnium partium ejus, quod ille salomoni tradens, mandabat non recedere a forma illa, sic protestatus. Omnia haec venerunt scripta manu domini ad me, ut intelligerem universa opera exemplaris. (i chron. 28. 19.) Tandem ezechieli ostendit formam templi mystici, id est, ecclesiae novae sub christo, cum mandato expresso attente omnia excipiendi, et annutiandi domui israel (ezech. 40. 4.

[note: trini die (sub v. T. Habitaculi structura, semper perfectior.] 23 observandum autem est posteriorem quamque formam pleniorem ac perfectiorem fuisse priore. Non quod deus temporis et operarum progressu profiecret, et opera sua emendaret (quemadmodum homini bus in architectando evenit, ut posteriores cogitationes videantur, et sint, meliores): sed quia sic ecclesiae suae profectus, cum tempore venuro, praefigurare voluit non enim sua, sed nostri causa, ista: [note: 1] figurari jusserat. Tabernaculum ergo mosaicum non nisi tripartitum fuit atrio, sanctuario, et sancto sanctorum constans, uti ex 40. Cap. Exodi liquet salomonis templum hahuit ante ultimum [note: 2] illud et intimum penetrale (sanctum sanctum dictum) exteriora atria tria:

Page 471/472, image: s272

Atrium vulgi, atrium levitarum, atrium sacerdoium, tandemque illud soli sacerdoti summo semel anno patens, sanctum [note: 3.] Sanctorum. Ezechieliani templi structura tantodem partium numero constabat (quanquam pluribus muris et portis:) situ [note: nb.] Tamen diverso. Salomonicum enim templum in monte moriah jacebat, sed in montis piano totum: ezechieliani vero templi exteriora in acclivitate montis sita erant, quovis interiore atrio gradibus aliquot supra proximum elevato; ut tandem ipsum templum, hoc est, sanctum sanctorum, in summo montis constitutum splendidissime quaquaversus fulgeret.

[note: quam (in novo t.) Significationem habeat.] 24 quae diversa habitaculorum dei inter homines structura, ecclesiae dei varia incrementa, semper tamen in majus, ostendebat: tam ratione dilatationis per populos et linguas, quam ratione cognitionis et scientiae, cum aetatibus

ecclesiae augendae. Nam ut ipsi mundo suae sunt aerates, ita et eccllesiae: infantia, pueritia, virilitas, rusumque declinans aetas, senectus; quae ut virium corporis decrementa patitur, ita mentis vires fere intendit. Nempe propter temperamenti ad siccitatem de vergentiam, qua motus animi sedatiores, et spiritus animales fixiores fiunt.

[note: templi sap. Idea ex ezechiliano templo cur sumenda.] 25 cum itaque ecclesiam novi testamenti, praesertim hoc aevo, (mundo ad senium vergente) prorsus adultam sensu esse conveniat (i cor. 14. 20. Ephes 4. 14.) Nos huic sapientiae christianae templo formam ex delineatione templi ultimi, eziechieli facta, mutuamur: distinguentes totum pansophiae apparatum in septem diversas partes, in quarum singulis diversa spectanda exhibeantur, quo mentes ab humilioribus semper ad sublimiora elevatae, tandem ad sanctum sanctorum, in beatam ejus aeternitatem, deducantur. Id autem quomodo ex forma ezechieliani templi obtineatur, explicandum est.

[note: descriptionis templi ezechieliani partes septem praecipuae.] 26 i. Primum ezechiel generaliter, paucisque verbis narrat quid in visionibus vidisse: dei nempe. (1) civitatem in monte sitam, locum augustissimi illius templi, quod descripturus erat: cap. 40 vers. 2. [note: i.] (2) virum adstantem ut sibi monstraret omnia, instructum mensuris ac normis, et se ad videndum, audiendum, cordeque attendendum exhortantem. V. 3. 4 (3) tum ambitum templi, cum mensura ejus in latitudinem et altitudinem, v. 5.

[note: ii.] 27 mox describit portam templi, quae unica fuit, in tototempli ambitu, ab orientali plaga: (v. 6 ad 17.)

[note: iii.] 28 atrium primum, seu extimum, quod vulgi seu populare, dicebatur (quia huc introitus patebat omni populo) describit, a v. 17. Ad 28. Quod habuit portos tres per quas gradibus septemascendebatur in ipsam atrii aream, v. 6. 19. 22. 26.

[note: iv.] 29 tum describit atrium medianum, ubi sacra instrumenta asservabantur, et a levitis curabantur ea quae anteire oportebat sacrificiis et oblationibus ex lege. Illius descriptio absoluitur a v. 28. Ad 44. Notandumque est, altius fuisse atrio primo gradibus octo: ut patet ex descriptione portarum ejus: v. 31. 34. 37.

[note: v.] 30 sequitur atrium intimum, in quo aliare holocausti erat, cum reliquo ad expiationes faciendas apparatu: ideoque dicitur esse sacerdo um v. 45. Descriptio ejus habetur a v. 44. Ad 48.

[note: vi.] 31 templum iplum sanctum sanctorum dictum (cap. 41 v. 4.) Describitur a versu 48. Capitis 40. Per totum caput 41. Situsque ejus in ipso montis vertice cap. 43. V. 12. Iraque in descriptione vestibuli ejus (cap. 40. Versu ultimo) graduum fit mentio, quamvis sine expresso numero, quot fuerint. In ipso templo, seu domo jehovae, nihil memoratur praeter cherubim, palmas, (cap. 41. V. 20. 21) et mensam quae est coram jehova (v. 24.)

[note: vii.] Vii. 32 describit tandem (post repetitam formam cultus dei in novo hoc templo, cap. 43. Et 44 et formam novae politiae in populo dei cap. 45. Et 46.) E templo dei per atria illa tria emanantem fluvium aquarum, a principio exili, in profunditatem vastam assurgentem, et se diffundentem per omnem terram, fructificantemque et vivificantem omnia: cap. 47. Versu 1. Etc.

[note: ergo templi pansophiae totidem. I.] 33 ad hanc ideam si templi sapientiae structuram pariimur, septemilla quoque pari bus constabit. Prima pars erunt prole omena generaha,

ostendentia (1) quid libri pansophia, et quis sinis ac usus ejus; (2) quiapparatus, quos ad parandam universariam sapientiam nobis suppeditavit bonitas dei; (3) quae ejus generalis sorma.

[note: ii.] 34 loco poriae illius orieetalis, erit nobis systema notionum communium, quarum varietas intellectui humano per se obvia est. Est enim animus noster harmonice factus, urpote summi dei, a quo rationes rerum promanant imago: habetquesibi congenitas rerum normas, verum a falso dignoscendi. Hae autem normae sunt communes quaedam veritates; quae enunciatae nulla probatione opus habent, quia ab omni [note: nb.] Sana mente ultro admittuntur: alia vero particularia, de quibus quandoque dubium incidit, per has examinantur, probantur, aut reprobantur. Talium autem primarum et communium notitiarum apparatus sufficiens, vere erit porta sacra, in omnium rerum cognitionem, sacile, cito, tuto, penetrandum.

Page 473/474, image: s473

[note: iii.] 35 atriam vulgi dabit nobis tertiam pansophiae partem, explicaniem ea quae sensibus subjacent, nempe mundum visibilem, cum omnibus visibilibus creaturis, et quae in illis et circa illas vi naturae fiunt. Huc enim a porta communium notitiarum proximus transitus est, ut praelibata jam communis illa veritas in illis primum quaeratur et cognoscatur, quae proxime ad manum sunt, videri et palpari possunt: quod facillimum, et ad remotiora facilius quoque, coguoscenda, gradus certus: addiscetque hic homo naturali suae vitae requisita ac fabricam, ut eam naturalibus mediis sustentare ac tueri possit, et sciat, quamdiu fata sinunt.

[note: iv.] 36 atrium medianum dabit nobis quartam pansophiae partem, explicaniem ea quae rationi subjacent: nempe munadum repraesentatium, hoc est omnia arte et ingenio producta et producenda humana opera, et quaecunque vi mentis nostrae fiunt. Huc iterum ex atrio naturae proximus est adirus: quandoquidem ars et prudentia nostra nihil nisi naturam aut imitatur, aut emendat, aut supplet. In hoc theatro addiscet homo ea, quae peculiaria habet prae brutis, rationis puta usum rectum; operum omnis generis prudentiam, et linguae artarres. Verbo, vivere vitam rationalem, tam in se, quam in commercio cum creaturis omnibus, et societate humana qua cunque.

[note: v.] 37 atrium intimum dabit nobis pansophiae partem quintam, in qua homo seipsum inume cognoscere, vitamque spiritualem ac divinam vivere docebitur. Hic enim contemplabitur seipsum ea parte, qua proxime deum referr, libertate voluntatis, seu arbitrii, absoluta: ut instructus antea sensuum ministerio, ad cognoscendum omnia; et rationis lumine, ad dijudicandum omnia; jam etiam ut rex solutae potestatis, quidquid sensus ostendunt aut occultant, et ratio suadet aut dissuadet, libere velit aur nolit, pro arbitrio. Hoc etenim dignitatis fastigium est summum, quod a creatore communicari poterit creaturae: quemadmodum id expressit deus in sua de homine creando consultatione: faciamus inquiens, hommem ad imaginem nostram, qui dominetur in pisces et aves, etc. Id est, pro arbitrio agat. Requirebat quippe mundi perfectio, dari talem creaturam, quae non a natura determinaretur ad suas actiones, et impetu naturae solum ageret (uti elementa, lapides, plantae, bruta) sed quae se ipsam incitaret, aut retraheret, pro lubitu intereat quoque gloriae dei, cujus sapientia magis elucescit in regendis creaturis sua voluntate se agentibus, quam iis quae per naturam ad

actiones suas deter minantur. Et stravit sibi deus viam ad patefaciendam abyssum bonitatis suae in remunerando spontaneo obsequio, et justitiae in plectendo scelera: tandemque clementiae, in restituendo collapsam hanc excellentem creaturam. Hoc itaque demum fuit adaequarum objectum sapientiae dei omnimode declarandae, homo: qui suae dignitatis fastigium recogitans: facilius agnoscet enormitatem sui prolapsus in prosundissimum miseriarum barathtum: e quo rerrahi et dignitati suae restitui non potuit, nisi deus ipse se demitteret, reuniendoque se illi firmiori vinculo eum sibi astringeret in aetemum.

38 in hac igitur pansophiae parte homo magna illaetprosunda, ab oculis mundi abscondita, internae generationis, degenerationis, et regenerationis suae msteria, speculabitur: una cum admirandis dei circa. Hominem condendum, redimendum, sanctificandum, regendum aut deserendum, saluandum aut damnandum, arcanis. Discetque e perditionis prosundo retractus, et sibi ac deo redditus, abnegare post hac seipsum, id est, arbitrium suum deo resignando spiritui ejus dare se regendum: verbo, spiritualem vivere vitam, et adhaerere jam deo. Haec igitur pansophiae pars continebit scientiam illam, quae dicetur sanctorum (prov. 30. 3.)
Et sapientia occulia (psal. 51. 8.) Omnisque sapietiae compendium (job. 28. 28. Eccles. 12. 13.) A sapientibus mundi absconditum (mat. 11. 25:) ut appareat, quanto doctrina ecclesiae praecellat doctrinae philosophorum, quantoque domus domini elevetur super vertices aliorum montium. (jes. 2. 2.)

[note: vi.] 39 ultimi templi penetrale, sanctum sanctorum, dabit nobis pansophiae partem sextam, in qua suam aeternitatem inhabitans deus deorum spectabitur: in quantum nempese, et infinitam illam suam aeternamque majestarem atque gloriam, in hac vita cognoscendam dat illis, quos aeterno suo consortio destinat, et ad id allicit. In hoc theatro homo archetypum sui, et mundi, contemplando, quam vere opera dei omnia deum, suo modo reserant, et quam infinito tamen sublimiora in deo sint omnia, quaecunque in creaturis bona, pulchra, jucunda, desiderabilia, inveniuntur, agnoscet. Cujus agnitionis effectus erit, ut beatitudinis illius aeternae dulcedine captus, et gustu ejus jam velut inebriatus, nihil sciat et possit, quam in deo suo gaudere et amore ejus colliquescere, et se totum illi inhabitandum permittere: eoque plena jucunditate transmittere vitam hanc, et ad mortis delatus portam, ingredi aeternam.

Page 475/476, image: s274

40 tandem, fluvius ille aquarum e templo promanantium, et se in omnem terram dissendentium, dabit partem pansophiae ultimum, usum verum aquarum sapientiae verae explicantem. Equidem per aquas illas e templo ezechieliano erumpentes, designatum fuisse evangelii cursum, placidum initio, sensim tamen augmenta capienrem, ut nemo impedire ac sistere posier, aeque ac fluvius nullis objectis molibus cohiberi potest, scio: sed et in genere doctrinam sapientiae aquis conferri constat. Doctrinam sapientiae est scaturigo vitae, inquit salomon, prov. 13. 4. Item: aquae profundae sunt verba ex ore viri praestan is: torrens eructans est scaurigo sapientiae, prov. 18. 4. Apud syracidem vero inducitur ipsa sapientia ita loquens: ego sapientia effudiflu mina, sicut aquae ductus processim paradisum. Dixi, irrigabo hortummeum, et inebriabo pratum meum, etc. (24.) Cogitandum igitur, quibus designatis alueis persundere debeant hae aquae omnes hortulos animae nostrae, et omnia vireta negotiorum vitae nostrae, et torum ecclesiae paradisum: id inquam disquiri, et in aperto poni, in hac ultima pansophiae parte debebit.

[note: cur sapientia templum ecclesiae catholicae dedicandum?] 41 atque haec est causa, cur sapientiae hoc templum caholicae iesu christi ecclesiae, ex omnibus gentibus collectae et colligendae, consecrandum diximus. Nempe quia 1 huic matri debetur, quidquid in ejus solatia et [note: 1.] Honorem filii ejus possunt ac sciunt. 2 non [note: 2.] Accendunt lucernam inquit christus, ut ponant sub modio, sed super candetabrum, ut lucea. Omnibus qui in domo sunt. (matth. 5. 19.) Atqui lumen hoc sapientiae universalis, omnia finibus suis subordinantis, lucerna quaedam dei est: suspendenda igitur omnino, in domo ecclesiae, ut luceat omnibus. [note: 3.] 3 haec domus dei vivi, ecclesia (ut dictur 1. Tim. 3. 15.) Exstructa est ad eandem ideam, ad quam ipsum hoc sapientiae templum conditum est, ut hujus contemplatione in ampliorem sui ipsius cognitionem provehi possit. Iuxta illud canticor 1. 88: si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum, etc. Hic enim, per vestigia rerum quae usquam sunt deducta, ad suam et sponsi sui aeterni pulchritudinem cognoscendam ecclesia promovetur. Et quandoquidem angelis per ecclesiam nota sit multiformis sapientia dei (ephes 3. 10.) Ipsa quoque ecclesia, contemplatione, sui angelorum, dei; in ejusdem multisormis sapientiae dei cognitionem altius altiusque se promovendi occasiones ut habeat, providendum est.

42. Maxime autem, quia templi sui novi (ecclesiae novi testamenti) magnificentiam maxime conspicuam ultimis temporibus praedixit, eique luminis et benedictionis suae torrentes promisit deus, et erit in novissimis diebus (dicit per jesaiam et micheam deus, idem per diversos, diverso tempore, et bis iisdem verbis, ut notetur decreti divini certitudo) praeparatus mons domus domus in verlice aliorum montium, et elevabitur super colles, ut confluant ad eum gentes. (ies 2. 2. Mich. 4. 2.) Et erit die illo, stillabunt montes dulcedinem, et colles stuent lacte, et per omnes rivos indae ibunt aquae, et fons de domo domini egredietur, et irrigabit vallem lectissmarum cedrorum (ivel. 3. 18.) Exibunt enim aquae vivae de hierusalem, medium earum ad mare orientale, et medium earum ad mare novissimum, in aestate et in hieme. Et erit dominus rex super omnem terram dominus unus, et nomen ejus unum. (zach. 14. 8, 9.) Hoc quia complendum est omnino, excitandi sunt universalibus quibuscunque mediis homines, non solum ad spectandum, sed et promovendum, splendorem hunc domus dei: proferendumque quibuscunque viis datur terminos ecclesiae, et diducendum de torrente dei rivos, etiam per loca arida, noudum ante coelesti hoc rore conspersa: ut tandem omnes stantes super vitreum mare, citharas dei nacti, cantare incipiant canticum mosis servi dei, et cantiticum agni, dicentes; magna et mirabilia sunt opera tua, domine deus omnipotens! Iustae et verae sunt viae tuae, rex sactorum. Quis non timebit te domine, et magnisicabit nomen tuum? Quia solus sanctus es. Nam omnes gentes venient, et adorabunt in conspectutno; quoniam judicia tua manifesta factasunt. [apoc 15. 2. 3, 4.]

[note: objectionum solutio. I de confusione scientiatum.] 43 atque sie jam patere potest, quid libri sit, quod suademus condi, et quibus de causis suadeamus? Desinant ergo (metuere, aut suspicari, consusum hic iri sacra profanis. Primum enim, omnia munda sunt mundis (tit. 1. 15.) Nihil israelitas, nihil tabernaculi structuram, inquinavit aurum et argentum impuris aegyptiis ereptum etc. Deinde nihil hic confunditur, sed confusionum, quibus hominum mentes laborant, remedia parantur: per distinctam, et gradibus suis in fastigia sua se elevantem, cognitionem omnium quae cognosci possunt, merentur, debent. Ideoque primum ostendimus generalissima illa et notissima, quae ipso sensus communis testimonio era esse, per se liquet. Tum producimus ea quae sensus externi vident et palpant, et videre ac palpare se sciunt, mox ea quae ab his ratione

Page 477/478, image: s275

Certa deducuntur; sed ita, ut veritas eorum ad sensualia quoque experimenca deducatur. Tandem ea quae a revelatione divina veniunt, et fide sola prehenduntur: sed ita, ut simul tamen ratio et sensus subtestari deo, revelatorumque invisibilium veritatem per analogiam visibilium agnoscere, doceantur, quo totius aeternae per omnia sparsae veritatis, unus aeternus concentus undique sibi constet. Quid ergo hic consusionis, ubi harmonia mera?

[note: obj. 2. Resp. 1.] 44 sed talia christus non docuit, inquiunt. Solam salutis viam iradidit: resp. (1) eccur igitur vos minora etiam illa, ad vitam hanc spectantia, docetis, aut doceri curatis, filios vestros? Literarum nempe, numerorum, syllogismorum, etc. Doctrinas? [note: 2] (2) esto, non docuerit haec christus, certe. Tamen nec vetuit: potius non ignoranda esse passim innuit. Quum a naturalibus et artificialibus varia mysteria spiritualia declarandi et occasiones et formas sumeret, ostendens nimirum cas esse visibilium ad invisibilia rationes, ut haec a nobis vix alia commodiore via, quam illorum ductu, intelligi queant. Supra [note: n. B.] Christum ergo sapiunt, qui spiritualia tantum et coelestia volunt, et jactant, remotis a christianismi studio omnibus iis, quibus (ut ajunt) profani occupantur. Occupentur sane illi, et hic se figant: nos nostri plus ultra memores non occupabimur illis, sed illa occupabimus, tanquam gradus et scalas ad ulteriora et altiora illa nostra sacilius et expeditius [note: 3] nos promovendi. 3 si christus talia non docuit per so, docuit per alios: si non docuit tunc, docet nunc. Ille enim idem est heri et hodie et in secula(hebr. 13. 8.) Sapientia illa dei per quam siunt omnia (prov. 8. Et 1. 9) quicquid ergo usquam est luluminis, ordinis, sapientiae, ab illo est: per quemcunque tandem hominum, et quocunque seculo, ex operum et verborum ejus thesauro erutum. Ipse in mundum venerat, non ut minora haec expediret, sed ut animam suam daret [gap: greek word(s)], in redemptionem pro multis(matth. 20. 28.) Ideo etiam libros evangelii scribendi, et ecclesia sua ordinis externi constituendi partes, commisut discipulis suis; promittens illis, et successoribus, praesentiam suam ad consummationem usque seculi. Erit proinde hoc etiam opus, si utile erit, et quidquid unquam boni emerget, ad consummationem usque seculi, christi opus: qui cuncta bona facit, unumquodque in tempore suo (eccles. 3. 10.)

[note: arehitectis.] 45 nos, si aedificandi hoc universariae [note: templi spientiae observandaere gulae.] Sapientiae templum sententia stabit, meminisse aequum erit. 1 templum aedificandum esse (ut david monebat salomonem) magnum, excellens celebre, ac gloriosum [note: i] per omnes terras (1 chro. 22. 5.) Quia magnus est deus noster super omnes deos. (2. Chron. 2. 5.) Conquirendos igitur undecunque artifices tanto opere dignos, qui sciant adinvenire prudenter quidquid fuerit necessarium. (2. Chron. 2. 7. 14.)

[note: ii] 46 templum saiomonis fundatum fuit, dei jussu, in monte moruih, quod visionem dei sonat: teinpli item sapientiae fundamentum erit visio domini: hoc est eo ibunt omnia, ut per visibilia universa, ipse invisibilis universi praeses, cum dissusa per omnia potentia, sapientia, bonitateque sua, mente videri queat.

[note: iii] 47 materia templi salomonici terni generis erat, lapides, ligna, metalla: et quidem lapides pretiosiores, marmor et gemmae: ligna succosa et odorifera, et gemmae et cedrina; metalla purissima; aurumo bryzum. Templo sapientiae materiam dabunt tres illae principiorum syluae, sensus, ratio, et divina revelatio: sensu palpabilitate sua naturam lapideam; ratione vernante sua vi arborcum vigorem; verbo dei sua in aeternum permanente virtute, incorruptibilitatem auri purissimi, referente.

[note: iv] 48 e lapidibus erigebantur parietes: e ligni fiebant tabulae oblegendum parietes: ex auro laminae ad inducendum tabulas (2. Chron. 3. Vers. 5, 6, 7.) Quin et pavimentum marmoreum (2. Chron. 3. 6.) Tectum fuit auro (1. Reg. 6. 30) sed vasa sacra, altare, mensa,

candelabra, lucerna, [note: n. B.] Thuribula, etc. Ex auro purissimo (2. Chron. 4. 19. Etc.) Ita sapientiae templi fundamenta et parietes ex illis solis ponantur, quorum veritas ad sensualem usque evidentiam consolidata est: adjunctis tamen, et vi ratiocinatis in apertum productis, causis, cur ita esse unumquodque uti est, necesse sit: tandemque divinorum testimoniorum supperaddito splendore, quo veritati rerum integre sua ubique constet majestas. Sacra tamen supellex, ad sidei et salutis spectans mysteria, purissimum elocquiorum die aurum sit.

49 salomonis templum aedificatum [note: v] fuit e lapidibus dolatis, atque perfectis, ut inter aedisicandum neque malleus, neque securis, neque ferramentum ullum anditum fuerit (1. Reg. 6. 7.) Ita inter aedificandum sapientiae templum, nullos disputantium et rixantium strepitus audiri convenit: sed ut componantur omnia e veritate in quadraturam redacta: h. e. dogmatibus et doctrinis non temere congestis, ibi demum ubi

---

Page 478/479, image: s276

Tanquam structurae pars jam ponuntur, asciandis, dolandis, ad veri similitudinem aliquam confirmandis, intellectuique adaptandis: sed quae ex pramissa principiorum officiua quasi jam parata prodeant, nullosque ad reliqua anfractus, aut hiatus, aut quascunque inaequalitates, ostentando, omnibus praemissis, connexis et connectendis, ex amussim quadrare appareant. Ita demum veritas rerum in luce sisti, et a contradictionibus liberari poterit.

[note: vi.] 50 templi illius ma erialis partes erant proportionatissimae: idedque aediricati illius historia plena est numerorum et mensurarum (1 reg. 6.) Angelusque structuram typici templi, ostensurus ezechieli, funiculo lineo et calamo mensorio instructus accessit (ezech. 40. 3.) Eodem modo in sapientiae templo ad universalem synmetriam redigenda erunt omnia, ut vagabundis mentis nostrae cogitationibus cancelli sint fixi, certi ac immoti.

51 addita ibi erant artificiosa ornamenta, sculpturae et calatura, cherubinorum, palmarum, florum (reg. 6. 29.) Id in sapientiae templo erit externa methodi concinnitas, stylique elegantia, ad faciendum externo quoque palato, quantum convenit, delicias.

52 ibi omnia templi ambitu conclusa sancta erant: (solus enim extremus, in circuitu templi murus, inter sacrum et profanum distinguere debebat, ezech. 42. 20) ita quidquid sapientiae templum continebit, sanctum esto, sive in se, sive quod ad sanctos usus adhibeatur, nempe in gradum facilius agnoscendi et assequendi fines nostros, gloriam dei et beatitudinem in deo nostram, ad quae omnia haec maxima, minima, unumquodque ordine suo, referuntur.

53 quod autem olim desolati hierosolomytani templi reaedificatoribus deus, ut animum adderet promittebat, praesentiam, opem, benedictionemque largam (hagg. 1 et 2.) Idem sibi merito pollicebuntur sapientiae templi aedificatores: juxta illam sapientiae coelestis vocem, ego diligentes me diligo, etc. Ut repleam thesauros eorum (prov. 8. 17. 11)

54 tandem, quemadmodum cum fundaretur a coementariis templum illud materiale, sacerdotes cum levitis stabant in ornani suo, cum tubis et cymbalis, ut laudarent deum, totusque populus acclamabat laudans dominum (esd. 3. V. 10. 11.) Ita dum sapientiae templum fundatur, omnes pios pii propositi conscios non inconveniens erit adjungere vota et suspiria sua, ut coeptum in nomine domini opus feliciter surgat et in ejusdem laudem cedat, dicentes: sit nomen domini benedictum, ex hoc nunc, et usque in seculum. A solis ortu usque in occasum landetur nomen domini, (psal. 113. Vers. 2. 3.)

Septem partium templi pansophiae christianae tituli speciales.

I. Templi sapientiae propylaeum

Anteriora ejus, nempe structuram externam, cum ejus condendi di et adeundi necessitate, possibilitate, faciliteque, spectanda exhibens.

Ii. Templi sapientiae porta per quam in omnium scibilium cognitionem veram aditus primus datur. Sive sapientiae apparatus generalis,

In quo summa rerum omnium genera, structurae, legesque spectandae exhibentur. Idque ductu communium notitiarum, omni humanae menti insitarum, quae probatione nullam indigent, illustrata solum exemplis, mox admittuntur: e quibus tamen, ut veritatis fontibus primis, omnes particularium scientiarum rivuli dimanabunt.

Page 481/482, image: s277

Iii. Templi sapentiae atrium primum,

In quo mundus visibilis, cum omnibus quae in illis et circa illas vi naturae fiunt, spectanda exhibentur. Eo fine, ut homo naturalis suae vitae requisita et fabricam nosse, creatorisque sui sapientiam religiose venerari, addiscat.

Iv. Templi sapientiae atrium medium.

In quo creatura rationalis, homo, cum omnibus illis. Quae ingenio humano siunt, ac fieri possunt, spectanda exhibentur. Eo fine, ut homo vim mentis suae nosse, eaque deo plasmatori suo in honorem uti, et vitam vere rationalem vivere condocefiat.

V. Templi sapientiae atrium intimum.

In quo interiora hominis, qua proxime deo accedit, nempe liberum arbitrium, et agendi soluta potestas, cum horrendo ejus abusu et attracta inde pernicie, reparataque per christum [gap: greek word(s)] salute, spectanda exhibentur. Eo fine, ut homo sibi ac deo restitutus, spiritualem et divinam vivere incipiat vitam.

Vi. Templi sapientiae penetrale ultimum, sanctum sanctorum dictum.

In quo ipse adorandus mundi praeses, angelorum et hominum dominus, jehovah deus deorum, cum aeterno suo regno, majestate et gloria, in quantum se et illa revelavit, mentibus spectanda exhibentur eo fine, ut homo per omnia, et omnium ope; ad deum adductus, eumque tanquam aeternae quietis beatitudinisque centrum flagrantissimo amore complexus, semet ipsum, ut templum vivum, sancttim, inhabitandum ei tradat in aeternum.

Vii. Templi sapientiae fons aquarum viventium. Hoc est,

De usu sapientiae vera, e templo dei dimanantis: nempe ut exundet ac se diffundat per omnemterram, ad implendum eam cognitione jehovae, sicut mare aquis opertum est.

Psal. 43. Vers. 3.

Emitte lumen tuum, et veritatem tuam, deus, ut me deducant, et adducant in montem sanctum tuum.

Finis

Addenda

De Comenio et de operis eius Andreas Fritsch Berolinensis

DE COMENIO ET DE OPERIS EIUS ANDREAS FRITSCH BEROLINENSIS, ANNO MMII, SCRIPSIT:

Cito: Ioannes Amos Comenius (1590-1670), princeps facile omnium paedagogorum saeculi septimi decimi ac fortasse omnium temporum, natione erat Moravus, lingua Bohemus, professione theologus, propter evangelii fidem profugus et exul, fato autem et sua sponte scholarum reformator pansophicus. Tamen homines, qui hodie sunt, pauca admodum opera eius noverunt. Adhuc notissima esse videtur illa Didactica Magna, quam Comenius anno 1657 primum Amstelodami in lucem edidit in prima parte eorum voluminum, quibus titulus est Opera Didactica Omnia. Sed Comenius etiam multa alia opera confecit, primum Bohemice, tum maxime Latine conscripta; nec solum paedagogus erat, sed imprimis theologus atque etiam philosophus. Potissimum autem opus eius non auctore vivo in lucem prodiit. Maior pars huius operis compluribus demum saeculis post mortem Comenii Halae ad Salam inventa est. Quod opus ingens inscribitur De rerum humanarum emendatione consultatio catholica et divisum est in partes septem, quarum duae partes priores (Panegersia et Panaugia) iam antea in lucem prodierant, pars autem tertia (Pansophia), quarta (Pampaedia), quinta (Panglottia), sexta (Panorthosia) anno 1935 demum, pars septima (Pannuthesia) anno 1939 reperta est. Huius operis editio princeps omnes septem partes complectens anno 1966 demum facta est ab Academia Scientiarum Pragensi.

Objectivum Huius Publicationis Vernacule Explanatum. Darcy Carvalho

OBJECTIVUM HUIUS PUBLICATIONIS VERNACULE EXPLANATUM. DARCY CARVALHO.

O texto de Jan Amos Comenius, Opera Didactica Omnia, publícase aquí como un corpus para estudantes do latín moderno vivo do século XVII. A súa orixe era a versión OCR orixinal, escaneada, parcialmente editada e publicada por Reinhard Gruhl, para acompañar as imaxes do orixinal, páxina por páxina, dentro do Proxecto Camena de textos latinos modernos. Os textos de Comenius son difíciles de editar debido á súa práctica de escribir sustantivos que fan referencia a conceptos filosóficos en maiúsculas. O problema está agravado polo feito de que Comenius sendo un cristián devoto escribe con maiúsculas todos os substantivos e adxectivos que fan referencia a Deus, o Cristo, o Espírito Santo ea Igrexa. Para evitar estas e moitas outras dificultades, decidimos usar só letras minúsculas en todo, incluídos os nomes propios. Só a primeira letra de cada frase está escrita con maiúsculas. Todos os diacríticos foron suprimidos, a ortografía foi parcialmente modernizada e mantívose a letra j representativa, unha práctica da ortografía ramista. Tendo en conta a longa extensión do texto de Camena, estas foron medidas sensatas e necesarias para poñer a disposición un texto precioso exclusivamente para o

coñecemento do latín. O procedemento mecánico que adoptamos para publicar este texto foi posible grazas aos recursos de edición do Microsoft Office 365. Cf. CAMENA Textos latinos de Europa moderna. Corpus Automatum Multiplex Electorum Neolatinitatis Auctorum.Termini. Vocabulario estruturado de coñecemento moderno. Departamento alemán de Heidelberg. Cátedra Universitaria de Literatura Alemá (Período Moderno). Prof. Dr. Wilhelm Kühlmann en Cooperación co Centro de Tecnoloxías da Información ea Biblioteca da Universidade de Mannheim. Financiado por Deutsche Forschungsgemeinschaft.

Le texte suivant de Jan Amos Comenius, Opera Didactica Omnia, est publié ici juste comme un corpus pour les étudiants du latin moderne vivant du dix-septième siècle. Sa source était la version OCR de l'original, scannée, partiellement éditée et publiée par Reinhard Gruhl, pour accompagner les images de l'original, page par page, dans les textes du Camena Project of Early Modern Latin. Les textes de Comenius sont difficiles à éditer en raison de sa pratique d'écrire des substantifs se référant à des concepts philosophiques en majuscules. Le problème est aggravé par le fait que Comenius, chrétien dévot, écrit avec majuscules tous les substantifs et les adjectifs qui se réfèrent à Dieu, au Christ, au Saint-Esprit et à l'Église. Pour contourner ces difficultés et bien d'autres, nous avons décidé d'utiliser uniquement des lettres minuscules, y compris pour les noms propres. Seule la première lettre de chaque phrase est écrite avec des majuscules. Tous les signes diacritiques ont été supprimés, l'orthographe a été partiellement modernisée et la lettre j a été maintenue représentant la i consonantique, une pratique de l'orthographe ramiste. Considérant la longue extension du texte de Camena, il s'agissait de mesures sensées et nécessaires pour rendre disponible un texte précieux exclusivement pour apprendre le latin. La procédure mécanique que nous avons adoptée pour publier ce texte a été rendue possible grâce aux ressources d'édition de Microsoft Office 365. Cf. Textes latins de l'Europe moderne de CAMENA. Corpus Automatum Multiplex Electorum Neolatinitatis Auctorum.Termini. Vocabulaire structuré des premières connaissances modernes. Département allemand de Heidelberg. Chaire universitaire de littérature allemande (période moderne). Prof. Dr. Wilhelm Kühlmann en coopération avec le Centre de Technologie de l'Information et la Bibliothèque de l'Université de Mannheim. Financé par Deutsche Forschungsgemeinschaft.

Der folgende Text von Jan Amos Comenius, Opera Didactica Omnia, wird hier nur als Korpus für Studenten des lebendigen modernen Latein des 17. Jahrhunderts veröffentlicht. Seine Quelle war die OCR-Version des Originals, gescannt, teilweise bearbeitet und veröffentlicht von Reinhard Gruhl, um die Bilder des Originals Seite für Seite im Camena-Projekt der lateinischen Texte der Frühen Neuzeit zu begleiten. Die Texte von Comenius sind schwer zu bearbeiten, da er in großen Buchstaben philosophische Begriffe in Großbuchstaben geschrieben hat. Das Problem wird durch die Tatsache verschärft, dass Comenius, der ein frommer Christianer ist, mit Großbuchstaben alle Substantive und Adjektive schreibt, die sich auf Gott, den Christus, den Heiligen Geist und die Kirche beziehen. Um diese und viele andere Schwierigkeiten zu umgehen, haben wir uns dazu entschlossen, nur winzige Buchstaben zu verwenden, einschließlich der Eigennamen. Nur der erste Buchstabe jedes Satzes wird mit Großbuchstaben geschrieben. Alle diakritischen Zeichen wurden unterdrückt, die Orthographie wurde teilweise modernisiert und der Buchstabe j wurde beibehalten, was konsonantisch war, eine Praxis der Ramist-Orthographie. Die langen Ausführungen des Camena-Textes vorausgesetzt, waren dies sinnvolle und notwendige Maßnahmen, um einen kostbaren Text ausschließlich zum Zwecke des Lateinlernens zur Verfügung zu stellen. Das mechanische Verfahren, das wir zur Veröffentlichung dieses Textes übernommen haben, wurde durch die Bearbeitungsressourcen von Microsoft Office 365 ermöglicht. CAMENA Lateinische Texte der Frühen Neuzeit. Corpus Automatum Multiplex Electorum Neolatinitatis Auctorum.Termini. Strukturiertes Vokabular des

frühmodernen Wissens. Deutsches Departement Heidelberg. Universitätslehrstuhl für deutsche Literatur (Neuzeit). Prof. Dr. Wilhelm Kühlmann in Kooperation mit dem Zentrum für Informationstechnologie und der Bibliothek der Universität Mannheim. Gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft.

Následující text Jan Amos Comenius, Opera Didactica Omnia, je zde publikován právě jako korpus pro studenty žijící moderní latiny sedmnáctého století. Jeho zdrojem byla verze OCR originálu, naskenovaná, částečně editovaná a publikovaná Reinhardem Gruhlem, která doprovázela obrazy originálu, stránky po stránce, uvnitř Cameny Projektu raně moderních latinských textů. Texty Comeniusu jsou obtížně upravitelné kvůli jeho praxi psaní věcí odkazujících na filozofické pojmy velkými písmeny. Problém se zhoršuje skutečností, že Comenius, který je oddaným křesťanem, píše velkými písmeny všechny substantivy a přídavná jména, která se týkají Boha, Krista, Ducha svatého a církve. Abychom obešli tyto a mnoho dalších potíží, rozhodli jsme se, že budeme používat pouze nepatrné písmena, včetně vlastních jmen. Pouze první písmeno každé věty je napsáno velkými písmeny. Všechny znaky byly potlačeny, pravopis byl částečně modernizován a písmeno j bylo zachováno, což reprezentovalo konsonantní i, praxi raistské ortografie. Vzhledem k dlouhému prodloužení Camenova textu se jednalo o rozumná a nezbytná opatření, aby se drahocenný text dostal výhradně pro výuku latiny. Mechanický postup, který jsme přijali k publikování tohoto textu, byl umožněn úpravou prostředků Microsoft Office 365. Viz. CAMENA Latinské texty raně moderní Evropy.Corpus Automatum Multiplex Electorum Neolatinitatis Auctorum.Termini. Strukturovaný slovník moderních poznatků. Německé oddělení v Heidelbergu. Univerzitní katedra německé literatury (moderní období). Prof. Dr. Wilhelm Kühlmann ve spolupráci s Centrem informačních technologií a knihovnou Univerzity v Mannheimu. Financováno Deutsche Forschungsgemeinschaft.

PROF. DR. DARCY CARVALHO: Senior Professor of the University of São Paulo.Următorul text al lui Jan Amos Comenius, Opera Didactica Omnia, este publicat aici doar ca un corpus pentru studenții Latinului modern viu al secolului al XVII-lea. Sursa sa a fost versiunea OCR a originalului, scanată, parțial editată și publicată de Reinhard Gruhl, care să însoțească imaginile originalului, pagină în pagină, în cadrul Proiectului Camena al textelor latine timpurii moderne. Textele lui Comenius sunt greu de editat datorită practicii sale de a scrie substanțe care se referă la concepte filosofice cu majuscule. Problema este agravată de faptul că Comenius, fiind un creștin credincios, scrie cu litere mari toate substantivele și adjectivele care se referă la Dumnezeu, Hristos, Duhul Sfânt și Biserica. Pentru a evita aceste dificultăți și multe alte dificultăți, am decis să folosim doar litere minuscule, inclusiv pentru numele proprii. Numai prima literă a fiecărei fraze este scrisă cu majuscule. Toate diacriticele au fost suprimate, ortografia a fost parțial modernizată, iar litera j a fost menținută reprezentând i consonantic, o practică a ortografiei Ramistului. Condiționând extinderea prelungită a textului Camena, acestea erau măsuri sensibile și necesare pentru a pune la dispoziție un text prețios exclusiv pentru a învăța limba latină. Procedura mecanică pe care am adoptat-o pentru a publica acest text a fost posibilă prin resursele de editare ale Microsoft Office 365. Cf. CAMENA Texte latine ale Europei moderne timpurii.Corpus Automatum Multiplex Electrorum Neolatinitatis Auctorum.Termini. Vocabular structurat al cunoștințelor timpurii. Departamentul german din Heidelberg. Catedra de literatură germană (Perioada modernă). Prof. Dr. Wilhelm Kühlmann în colaborare cu Centrul pentru tehnologia informației și Biblioteca Universității din Mannheim. Finanțat de Deutsche

PROF. DR. DARCY CARVALHO. FEA USP. SÃO PAULO. BRAZIL. ANO 2018. STUDIES IN MODERN AND MEDIEVAL LATIN. FINIS OPERIS.

Finis Operis

